

Hunc libellum Jacobus Palladius Altinecenus
vendidit Joanni Philomelo Gitzino
7½ albis 5 Idus Junii Mezericii anno Christi
1591.

# GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS,

# De re Poëtica Libri VII.



Lipſiæ,

CVM PRIVILEGIO CÆSAREO.

БИБЛИОТЕКА

232617 I

# GEORGIVS FABRICIVS CHEMNICENSIS, IOHANNI IOHANNIS F. Sculteto Piranenſi.

*TVrbine cum pueris, & arundine ludit agreſti,*
*Qui teneros animos conciliare cupit.*
*Res etiam varia mollit ratione moleſtas,*
*Tradita cui viridis cura paterna gregis:*
*Dumq́ illis primas inſtillat ſedulus artes,*
*Quædam etiam pueri more iocantis agit:*
*Ne fragiles nimijs præceptis obruat annos,*
*Triſtis & imponat grande laboris onus.*
*An non Phœbæam nunc geſtans fronte coronam,*
*Et docti eximio clarus honore viri:*
*Sic olim primo fuit informatus ab auo,*
*Hoc quaſi nutritus ſimplice lacte puer?*
*Ergo ne tenuis contemne elementa libelli,*
*Commoda ſunt ſtudijs multa datura tuis:*
*Tradimus hæc autem magnis auctoribus vſi,*
*Nec noſtra addidimus ſedulitate nihil.*
*In ſtadio nam nos* HESSVS *præceßit eodem,*
*Aemulus ingenij Naſo poëta tui.*
*Talia propoſuit nuper præcepta* SABINVS,
*Cuius ego Muſas carmine credo loqui.*
*Nec non* HVTTENVS, *ſtudijs vir clarus et armis,*
*Auſus in heroos iſta referre pedes.*
*Quicquid vbiq́ fuit, corpus collegit in vnum,*
*Ille tui nemoris, Phœbe,* MICYLLVS *honor.*

*Tantorum ſtudijs vtens operaq́ꝫ virorum,*
*Diſce puer, quam lex indicat, ire viam.*
*Si tenues ortus, atqꝫ incunabula parua*
*Non ſpernes, aliud ſponte patebit iter:*
*Vt doctum docta poßis quoqꝫ carmen ab arte*
*Condere, & ingenij dulce parare decus.*
*Carmine diuinum celebratur nomen, & vſus*
*Ille vetus noſtro tempore durat adhuc.*
*Carmine ſunt leges, præceptaq́ꝫ tradita vitæ,*
*Vt mores ſtudijs conuenienter eant.*
*Nireus carminibus formoſus, & impiger Hector,*
*Andromache conſtans, fidaq́ꝫ Penelope.*
*Et docet, haud vates ſpernendos eſſe, Lycambes,*
*Quiq́ꝫ omnis nomen criminis Ibis, habet.*
*Dicebat puero, clarus pietate* MELANTHON:
*Diſce bona imparibus iungere verba modis.*
*His Domino grates vt poßis dicere* CHRISTO,
*Et ſanctas dulci voce referre preces.*
*Neúe mali ſtudijs auſint impune nocere,*
*Ingenij vt timeant libera tela tui.*
*Te quoqꝫ cara pij ſoboles patris, ore* PHILIPPI
*Hortor, vt has artes ingenioſus ames:*
*Vt Chriſtum celebres, & prauis bella mineris,*
*Aetas adueniet cùm tibi plena viri.*
*Interea placidæ peragas bona tempora vitæ,*
*Et ſic vt valeas vtilis eſſe, Vale.*

CATA-

# CATALOGVS LIBRORVM DE RE poëtica.

PRIMVS.

De ratione cognoſcendarum ſyllabarum, earumq; figuris, & de nouem vſitatis carminum generibus.

SECVNDVS.

Exemplorum varietatis & copiæ, ex Ouidio, Tibullo, Propertio.

TERTIVS.

Deſcriptionum, Aetatis, Signorum cœleſtium, & Temporum. Item Similitudinum & comparationum.

QVARTVS.

De epithetis nominum propriorum.

QVINTVS.

De epithetis nominum appellatiuorum.

SEXTVS.

De virtutibus & vicijs carminis Elegiaci, & catholica Horatij de re poëtica.

SEPTIMVS.

De verſuum accidentibus.

*Elegantiæ poëticæ libro alio continentur, cum primi huius libri epitome.*

# POETÆ ELEGIACI.

*EST grauis & cultus, puroq́ ſimillimus amni,*
*Dulciaq́ eloquio verba* TIBVLLVS *habet.*
*Mollis et abſtruſus, teneriq́* PROPERTIVS *oris,*
*Interdum Baccho ſed trahit ille pedem.*
*At facilis* NASO, *ſulcans pleno æquora velo,*
*Pectore Caſtalias diuite fundit opes.*
*Hos celebrat blandos Elegeïa docta Poëtas:*
*Diuerſi quamuis, laus ſua quenq; manet.*

# GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS DE ratione cognoſcendarum ſyllabarum.

# Liber Primus.

IN ſyllabis primùm obſeruatur collocatio, quæ primæ, mediæ, vltimæq́ ſint: tum quantitas, quæ ſint longæ, quæ breues, quæue ambiguæ. Collocatio cuiuis aperta, ſed in quantitate ea differentia eſt, quòd ſyllabæ vel in genere, vel in ſpecie cognoſcuntur.

In genere cognitio fit poſitione & diphthongo, quæ omnibus accidunt ſyllabis, easq́ longas faciunt: item regula & exemplo, quibus aut productæ aut correptæ eſſe poſſunt. Præterea in genere etiam primæ & mediæ cognoſcuntur, vocali ante vocalem & deriuatione.

In ſpecie cognoſcuntur ſecundum poſitum ſyllabarum. In primis ſyllabis præpoſitione, compoſitione, & reſolutione. In medijs accentu & diminutione. In vltimi. terminatione vocalium aut conſonantium

## DE OMNIBVS SYLLABIS IN GENERE.

### I. DE POSITIONE.

Poſitio fit,

I. Aut vſitatè, iuxta vulgarem conſuetudinem, idq́

1. Aut reuerà, ſequentibus vocalem, duabus pluribusúe conſonantibus, aut litera geminata: vel in vna eademq́ dictione, vt *amnis, ferrum*: vel in dictionibus diuerſis, vt *In rebus ſecundis viue beatus.*

2. Aut facultate, cùm è duplicibus aliqua vocalem ſequitur, vt,

*Dum fueris felix.* Item:

*& Troia gaza per vndas.*

Vel i litera, inter duas vocales ponitur. Vt,

*Dominus ſcuti ſeptemplicis Aiax*
*Pectora traiectus Lynceio Caſtor ab enſe,*
*Vellem ait Harpyijs gula digna rapacibus eſſet.*

II. Aut minus vſitatè, ſed (vt veteres vocant) modo quodam: vel

1. Cùm dictio, quæ vocali terminatur, ab altera dictione incipiente à duabus conſonantibus, excipitur, ſolito more Græcorum. Vt Ouid. 1. de Ponto,

*Officij cauſa pluribus eſſe dati.*

Idem 5. Triſt.

*Nil opus eſt morte pro me, ſed amore, fideq́.*

Hoc ne quis inciſo tribuat, inueniuntur & alia exempla. Catullus in Hymenæo,

*Nulla fugæ ratio, nulla ſpes: omnia muta.*

Tibul. lib. 1.

Pro

*Pro ſegete ſpicas, pro grege ferre dapem.*

2. Cùm particula enclitica in fine producitur. Ouid. 2. de Ponto,

*Fluminaq́ue, monteſq́ue, & in altas proſlua ſiluas.*

## Observatio.

Si poſt mutam ſequitur liquida, triplex obſeruatio ſtudioſè annotanda eſt.

1. Syllabæ poſitione longæ, breues fiunt. Ouid. in Heroid.

*Hercule ſuppoſito ſidera fulcit Atlas.*

Item 6. Metam.

*Ad mandata Prognes, & agit ſua vota ſub illis.*

2. Contrà breues ſyllabæ, propter eandem poſitionem, fiunt longæ.

Idem 13. Met.

*Et primo ſimilis volucri, mox vera volucris.*

Eôdem referuntur,

| | |
|---|---|
| *Tenebræ,* | *lugubris.* |
| *Cyclops,* | *Patroclus.* |
| *Trinacria,* | *ludicrus.* |
| *Cupreſſus,* | *ſupremus.* |
| *Quadrupes,* | *cedrus, Hadria.* |
| *Pater patris,* | *Hetruſcus, Atrides, meretrix,* |

*latro, pro graſſatore,* & his ſimilia.

3. Syllabæ verò natura longæ, propter mutam & liquidam, fieri breues nunquam poſſunt, Vt, *mater matris, ater atri, acer acris,*

*mitra, latro*, quod eſt canum, *migro*. Item, *ebrius*; *ſalubris*, *lauacrum*, *clepſydra*, *compotrix*.

### II. DE DIPHTHONGO.

Diphthongus eſt duarum vocalium connexio, quæ natura longam facit ſyllabam. *Aurum, Eunuchus, Aetas, Oeſtrum, Thaleia.*

Diphthongus interdum corripitur, idq́ fit

1. Vel in compoſitione, vt *præire, praeſſe, præhendere*. Ouid. 7. Met.

*Quas vbi viderunt præacutæ cuſpidis haſtas.*

Hoc tamen non eſt perpetuum.

Virgil. 3. Georg.

*Inferniq́ lacus, Aeææq́ inſula Circes.*

2. Vel extra compoſitionem, more Græcorum, quod rarius eſt apud Latinos.

Virg. 3. Aen.

*Inſulæ Ionio in magno, quas dira Celæno,*
*Harpyiæq́ colunt aliæ.*

### III. DE REGVLA.

Regula eſt obſeruatio, comprobata vſu & conſuetudine: raro aut nunquam ſine exceptione. Regulas annotabimus ſedecim.

I. Contractio longam ſemper efficit ſyllabam. Ea fit vel

1. Exem-

1. Exempta aſpiratione. Vt, *Nil* pro *nihil. Mî* pro *mihi.*

2. Conſonantibus obliteratis. Vt, *Ni* pro *niſi*, in quo ſibilus obliteratur. *Quîs* pro *quibus*, niſi ſit *quís ex quijs*. Vnde nonnulli ſcribunt cum circumflexo *Quîs*: in marmoribus antiquis cum I longa duplicata *QuIs*: alij cenſent cum diphthongo ſcribendum, *Queis*, cuius ego rationem non video.

3. Vocalibus coaleſcentibus. Vt *Di* pro *dij*, *cui* pro *cuij*.

Huius generis ſunt illa de Græcis. Virg.

*Ilioneî monitu, & multùm lacrimantis Iuli.*

Ouid.

*Forſitan & grauidam Didô ſcelerate relinquis.*

I I. Apoſtrophus ſyllabam facit.

1. In aliquibus vocalibus breuem.

Virg. 6. Aen.

*Viden' vt geminæ ſtent vertice criſtæ?*

Ouid. in Heroid.

*Noſtin' an exciderint mecum loca?*

2. In aliquibus vocabulis longam.

Horat. in Sermon.

*Illuc vndè abij redeo: nemon' vt auarus*
*Se probet?*

Virg. 1. Aen.

*Tun' ille Aeneas, quem Dardanio Anchiſæ.*

I I I. Monoſyllaba ferè producuntur, in nominibus, in pronominibus, in verbis, in aduer-

aduerbijs, in coniunctionibus. Excipiuntur *mel, ſel.* Item verba, vt,

*Nempe ſtat & fortuna cadit.* Et,

*Ipſoq; ſit vtilis vſu.*

Item aduerbia, *an, bis, ter.* Item præpoſitiones, *in, ſub.* de quibus mox plura.

IIII. Præterita duarum ſyllabarum priorem producunt omnia exceptis ſex: *bibi, dedi, fidi, ſcidi, ſteti, tuli.* id appâret ex compoſitis, *ebibi, addidi, conſcidi, aſtiti, abſtuli.*

Horat. 2. Carm.

*Diffidit vrbium*

*Portas, vir Macedo.*

V. Præterita quæ Græcorum modo augmentum in initio habent, primam corripiunt: & niſi obſtet poſitio, ſimiliter mediam. Vt, *Cécidi à cado, fefelli, pepuli, tetigi,* & antiquum, *tetuli.*

*Didici.*

*Momordi, ſpopondi, totondi.*

*Cucurri, pupugi, tutudi.*

Excipiuntur duo,

*Pepedi à pedo, cecîdi à cædo*, quorum media tantùm longa eſt.

VI. Præterita in vi, vnam ſyllabam deſinentia, mediam producunt. Vt, *Spectaui, deleui, agnoui, ambiui.*

VII. Supina duarum ſyllabarum producuntur. Excipiuntur nouem:

*Datum,*

*Datum, ratum, ſatum.*

*Citum, itum, litum, quitum, ſitum.*

*Rutum.*

*Statum*, anceps apud veteres fuit.

VIII. Tempora verborum, quæ à præſenti veniunt, eius quantitatem in modis omnibus ſeruant. Vt à *Lego, legebam, legam, lege, legito, legerem, legere*: prima breui. Similiter quæ à præterito, Vt à *Legi, legeram, legiſſem, legerim, legero, legiſſe*: prima longa.

IX. Voces quædam ſeparatim longæ, in compoſitione corripiuntur. Vt, *diu in diuturnus, quando in quandoquidem.* Huc pertinent, *ſiquidem*, in prima ſyllaba: *totidem*, in media: *quomodo in vltima.* Item *dicier, dominarier*, quæ fiunt acceſsione figurata. Excipiuntur, *quandocunque, vbique, quandoque*: quæ in compoſitione quantitatem non mutant. *Tantidem*, dubium eſt. Ouid. 7. Met.

*Thura liquefaciunt.*

vſitatè eam, quæ antepenultimam antecedit, produxit: nam ſimplex ſecundæ coniugationis eſt. Eam modo contrario corripuit 2. de Ponto,

*Sic mea perpetuis liqueſiunt pectora curis.*

quam etiam ſemper corripit Virgil. vt 4. Georg. *Frigore mella*

*Cogit hyems, eademque calor liquefacta remittit.*

Hoc

Hoc præceptum modò obſeruauit Catullus, vt in Hymenæo.

*Alta tepeſaciet permiſta flumina cæde.*

modò neglexit, vt ad Mallium,

*Frigida deſertò, tepefecit membra cubili.*

quem in poſtremo ſecuti jidem Virgilius atq; Ouidius.

X. Nomina propria eandem perpetuò quantitatem non retinent, vt *Sichæus*, apud Virgilium: *Pelion*, *Pyrene* pro monte, *Fidenæ*, *Curetes*, *Orion*: apud alios Poëtas, primam interdum producunt, interdum corripiunt. *Sicanus* & *Italus* apud Virgilium, *Arabs*, apud Propertium primam natura poſsident breuem: ſed in deriuatiuis *Sicania*, *Italia*, *Arabia*, decedentes de iure ſuo, eandem producunt, alioquin in carmen non venirent. *Cybele* communem habet penultimã. *Oenotria*, *Apulia*, *Sidonius*, *Ionius*, antepenultimam. Huc pertinent nominum propriorum genitiui, Vt *Orion Orionis & Oriônis*, *Syphax Syphacis & Syphácis*, *Dauid Dauidis & Dauîdis*. In his non omnium auctoritas eſt ſequenda, ſed probatiſsimorum.

XI. Particulæ illiteratæ nominum numeralium in compoſitis ſunt breues, vt BI & TRI. Horat. *Bimariſúe Corinthi Mœnia.* Virg.

*Et forma tricorporis vmbræ.*

Excipe

Excipe *biduum* & *triduum*.

Item TRE, vt in nominibus, *Tredecim, trecenti, treuiri.* Virg.

*Lernam tremefecerit arcu.*

Item DV, in *Duplex.*

XII. Variatio ſignificationis variat interdum numerum, vt Virg.

*Tribulaq́ trahæq́.* pro inſtrumento ruſtico.

Idem.

*Lappæq́ tribuliq́ abſint.* pro herba & ſpinæ genere, quæ variatio genere etiã ſpectatur.

XIII. Diminutiua nomina ab origine primitiuorum plerunque diſcedunt, vt *à mamma mamilla, à qualo quaſillus, à tigno tigillum, ab offa ofella, à pagina pagella:* quæ prima leguntur breui. *A' pugno pugillus, à flabro flabellum:* quæ prima ancipite & dubia.

XIIII. Patronymica mediam habent dubiam, diſcretionis cauſa.

Ouid. in Hyperm.

*Surge age Belide, de tot modò fratribus vnus.*

vbi loquitur de Beli nepote. Idem in Ibin,

*Quaſq́ gerunt humeris periturus Belides vndas.*

vbi ſermo eſt de eiuſdem neptibus. In primo eſt, *Belides Belidæ* in genere maſculino, in altero *Belis Belidos*, in genere fœminino.

XV. In verbis quæ deſideratiua nominantur, antepenultima in quibuſdam corripitur, vt *eſurio, parturio.* Horat.

*Partu-*

*Parturient montes naſcetur ridiculus mus.*

In quibuſdam producitur, vt *ſcaturio, ligurio.*

Idem.

*Semeſos piſces, tepidumq́, ligurierit ius.*

XVI. Verbis aliquibus vtraq; quantitate poëtæ vtuntur, vt *rudere*, quod de feris dicitur. Virg. 7.

*fera ſub nocte rudentum.* Perſius,

*Arcadiæ pecuaria rudere dicas.*

*Vibro & flagro*, primam habent ferè productam: ſed illud Catullus in Epigrammate, hoc Virgilius in Georgicis corripit.

## IIII. DE EXEMPLO.

Exemplum nihil aliud eſt, quàm laudata bene ſcribentium auctoritas. Ad exempla comparanda lectione & exercitatione opus eſt: inprimis autem probanda ſunt Virgilij, Horatij, Tibulli, Ouidij, Propertij, & qui his ſimilimi ſunt: apud alios multa reperias, quæ interdum obſeruatione, quàm imitatione digniora ſunt, ad finem admonebimus.

## DE PRIMA AC MEDIA SYLLABA IN GENERE.

Syllaba prima ac media proprias rationes

nes habent, præter eas, quæ dictæ ſunt, quibus dignoſcantur.

## I. DE VOCALI ANTE VOCALEM.

Si vocalis antecedit vocalem, ſyllaba corripitur vſitatè, ſed id mutatur tribus modis.

I. Imitatione Græcorum: vel

1. Propter vocales longas, vt, *Aër, Chaon, Briſeis, Ixion, Aones, Herois.*

2. Propter diphthongos, vt, *Aegæon, Medea, Laodomia, Orion, Darius.* Huc pertinent accuſatiui illi Ionici, apud Virgil. 1. Aen. *Ilionêa petit dextra.* Et, 3.
*Idomenêa ducem regnis ceßiſſe paternis.*

II. Conſuetudine Latinorum, vt *Diei, ſpeciei*, & apud Lucretium in omnibus genitiuis & datiuis quintæ. quod etiam imitatur poëta Chriſtianus Paulinus, vt,

*Nuda fides armata Deo eſt, virtute fidei*
*Fortior Ezechias.*

Item in genitiuis pronominum, *Nullius, vnius, illius, vtrius*, qui ſunt natura breues, dubij auctoritate. *Alîus* & *Solîus*, nunquam breues fiunt: *alterius* nunquam eſt longum, niſi apud Ennium, vt annotat Priſcianus.

Idem in verbo *Fio*, quando litera R vo-

calem non ſequitur, vt, *Fiam, fiebam.* nam *Fierem & fieri* excipiuntur, quam diſtinctionem oſtendit Ouid. 1. Triſt.

*Omnia nam fient, fieri quæ poſſe negabam.*

Idem fit in Interiectionibus. Vt *Ohe, Eheu.*

III. Vſu poëtarum, vt apud antiquos in reſolutione diphthongi. Ennius apud Perſium, *Lunai portum eſt opera cognoſcere ciues.*

Et in illo Virgilij,

*Exercet Diana choros.* Item:

*Hinc atq; hinc glomerantur Oreades.*

ſed vtrunque eſt figuratum: vt & illa ſunt, *Rhea* pro ſacerdote, *Malea* pro promontorio. Simpliciter enim ſolent corripi, interpoſitione vocalis produci.

## II. DE DERIVATIONE.

Deriuatiua ſequuntur quantitatem ſuorum primitiuorum. Vt *Curare* verbum primam habet longam, à nomine cura. Ouid.

*Cura quid expediat, prior eſt, quàm quid ſit honeſtum.*

*Pecunia* priman breuem, venit enim à *pecu vel pecore.* Horat.

*Et genus & formam regina pecunia donat.*

Hæc regula variat rationibus contrarijs, Interdum enim,

1. A' breuibus dictionibus fiunt deriua-

tiones

tiones longæ, vt *à penus penuria, à ferijs ferale, à macer maceror, à fruendo fruges, à cado caſus, à moueo mobilis, à baculo imbecillis, à lino litera, à ſedeo ſedes, à nare natare, à ſtatum ſtaturus, à temetum abſtemius, ab homo humanus, à quater quatuor, à nouem nonus, à ſecus ſecius, à Cerere Ceritus, à Chio inſula, poſſeſſiuum Chius.*

Horat. 1. Epiſt.

*Roma laudatur Samos, & Chios, & Rhodus abſens.* Tibul. 2.

*veteris proferte falernos*
*Conſulis, & Chio ſoluite vincla cado.*

Fieri id in verborum præteritis, minus mirum, vt *à gigno genui, à poſſum potui,* & ſimilib.

2. A' longis dictionibus exiſtunt deriuationes breues, vt *à ſopio ſopor, à dico dicax*: item, *maledicus, fatidicus*, & ſimilia, *ab ire iturus, à vitando vitium, ab odi odium, à ſtando ſtatio & ſtabilis, à pene penitus, à mole moleſtus, à diſſero diſertus, à fido fides, à fando fatuus & affatim, à ſagio ſagax, à luceo lucerna, à litera litura, à nubo pronubus, à Gadibus Gaditanus, à ſtrideo ſtriges.* Huc pertinent diminutiua quædam, de quibus paulò antè.

3. A' breuibus ſeu longis inueniuntur deriuationes multiplices, vt *quotidie, à quoto die,* primam apud Catullum producit, apud Martialem corripit: alteram ſyllabam producit apud Terentium, corripit apud Catullum.

tullum. *Vietum*, *à vieui*, regulariter penultimam producit, vt apud Lucretium: contrà eandem corripit, vt apud Comicos & Horatium. A' *ſto ſtatus*, prima breui apud Horatium: eadem longa, apud Terentium. A' *temetum abſtemius*, penultima longa.

Ouid. 15. Metam.

*Vina fugit, gaudetq; meris abſtemius vndis.*

Ab eodem *temulentus*, in initio vtraq; breui, Terentius. *quando in quandôq;* longa eſt, in *quandoquidem* breuis. A' *nubo connubium*, antepenultimam longam habet origine, breuem auctoritate. Plura, ſi volunt, colligent ſtudioſi: hæc admonendi cauſa appoſuimus.

4. A' diuerſis dictionibus, ſed inter ſe ſimilibus deriuationes indifferentes; vt, *liquidus*, à deponente *liquor*, primam producit: à neutro *liqueo*, eandem corripit, manifeſto Lucretij teſtimonio, lib. 4.

*Craſſaq; conueniant liquidis, & liquida craßis.*

5. Huc referri poteſt, quod de perſonis pluralibus modi coniunctiui dicitur, temporum præteriti & futuri, nam diſcriminis cauſa produci futurum volunt. Catul.

*Dein cum millia multa fecerîmus.*

Ouid. 4. de Ponto.

*Et maris Ionij tranſierîtis aquas.*

Eadem ſyllaba in præteritis corripitur.

Ibi-

Ibidem.

*Hæc vbi dixeritis, ſeruet ſua dona, rogate.*

## II.

# DE SYLLABARVM QVANTITATE IN ſpecie.

### DE PRIMA SYLLABA.

Prima ſyllaba cognitionem ſingularem, triplicem habet.

### I. DE PRAEPOSITIONE.

Præpoſitionum aliæ in compoſitione

I. Breues, vt AB, AD, IN, OB, PER, SVB: Et inſeparabilis RE, quæ longa fit, vel differentiæ cauſa, vt *Refert*, *pro vtile eſt*: vel figuratè. Ouid. 10. Met.

*In quem recidimus, quidquid mortale creamur.*

Horat. 1. Serm.

*Dij tibi dent capta claſſem reducere Troia.*

II. Longæ, vt A, E, DE, O, PRO: & inſeparabiles DI, CO, SE, TRA. Hæ mutantur dupliciter.

1. Vocali ante vocalem, vt *deamo, dehiſco.* Item, *coactus, ſeorſum.*

2. Vſu auctorum. *Omitto* breui prima, apud Horatium.

*Præſens in tempus omittat.*

DI corripitur in verbo *dirimo*, & in nomine *diſertus*. PRO in multis anceps eſt: vt in *procuro, profundo, propello*. Lucret. lib. 4.

*Paruula cauſa*
*Eſt ſatis, à tergo quæ prouehat atq; propellat.*

Corripitur in certis nominibus, vt, *procella, profeſtus, profugus, profundus, pronepos, proteruus, propago* pro genere, *propola* pro mercatore. Item in verbis: vt, *proficiſcor, profiteor, profano, propino*. Item in aduerbijs: vt, *proinde, profectò*.

## II. DE COMPOSITIONE.

Compoſitio eſt, cùm orationis pars ſimplex cum alia iungitur, & è compoſiti accentu quantitas indicatur. Vt *Decus, dedecus, ego egomet, fero perfero, quidem ſiquidem*, correpta penultima. Rurſus, *clarus, præclarus, duro obduro, quando quandoq;, mirum permirum*, penultima producta.

## III. DE RESOLVTIONE.

Reſolutio eſt compoſitioni contraria, cùm vox aliqua reducitur ad ſimplices, & è litera finali apparet quantitas. Vt *Vtinam* & *quoties* primas habent breues, quia *vt* & *quot* vltimam corripiunt. *Sicubi* & *quinetiam* primas

primas longas, quia *ſic* & *quin* poſtremam producunt. Quædam excipiuntur, vt *Diu* in *diuturnus*, de quibus ſupra in Regulis.

## DE MEDIA SYLLABA.

Media ſyllaba ſpeciatim non ſatis facilem & explicatam habet cognitionem. Cognoſcitur autem modis duobus, accentu & diminutione, quibus vtriſque ſyllaba anceps & incerta eſt.

### I. DE ACCENTV.

Accentus eſt depreſsio eleuatioúe ſyllabæ. Adhibetur accentus in nulla alia ſyllabá, quàm in penultima, quæ vel deprimendo corripitur, vel eleuando producitur. Vt *facilis, prodigus, diſcere, docere.* In cognoſcenda penultima, ne quis ſimilitudine fallatur, conſideranda in vocabulis ſunt hæc ſeptem:

I. Natura, quæ ſe ſtatim offert in caſu recto, vt mediam productam habent hæc ſequentia, *haſtile, erica, tibicen, petîtor, Briſeis, Getulus, Inſuber*: eandem correptam iſta, *miſsile, mantica, fidicen, inſtitor, Nereis, Rutulus, Vluber.* In proprijs Græca producuntur, *Thraſybulus, Andronicus*: Latina corripiuntur, *Atabulus*, pro vento: *Hermicus*, gentile.

II. Qualitas, quæ ex obliquorum regulis diſcenda eſt, vſu obſeruatis, vt *Iber Iberis, Brito Britonis, calcar calcaris, ferox ferocis, calor caloris, radix radicis*, media efferuntur longa. Contrà verò, *æther ætheris, Myrmido Myrmidonis, iubar iubaris, præcox præcocis, frigus frigoris, calix calicis*, eadem breui pronunciantur. Mediam in genitiuis naturam habent quædam nomina propria, de quibus in generalibus, regula decima dictum eſt.

III. Analogia, quæ nominum diuerſorum eſt æqualitas, propter ſimilitudinem deriuationis. Vt quemadmodum mediæ producuntur in *loquela, vinoſus, alumen*: ſimiliter in *medela, generoſus, bitumen*. & vt antepenultima breuis in *monumentum*, ita quoq; in *documentum*. Hæc enim, ſi ortum ſpectes, ſub eandem rationem cadunt.

IIII. Deductio, quæ eſt

1. Aut certorum nominum, & tantùm adiectiuorum: nam quæ à nominibus ſubſtantiuis rerum animatarum deſcendunt, producunt penultimam, vt *muſtelinus, murinus, porcinus, anſerinus*: *à muſtela, mure, porco, anſere*. Huc pertinent, *mediaſtinus, clandeſtinus, feſtinus*. Quæ autem veniunt à nominibus rerum non animatarum, eandem corripiunt, vt, *criſtallinus, adamantinus, coccinus, ianthinus,*

*nus, faginus, cupreſsinus*. Temporis dubia ſunt. Quædam longa, *matutinus, veſpertinus*. Quædam correpta, *craſtinus, ſerotinus*.

2. Aut certorum verborum in prima coniugatione: quorum aliqua producuntur, quæ actionem abſolutam habent, vt *feſtino, inclino, propino*: aliqua corripiuntur, quorum actio ad aliud refertur, vt, *inquino, contamino, deſtino, prædeſtino*.

V. Etymologia ſeu origo dictionis, quæ eſt omnium, tam nominum quàm verborum, eaq; ſolet inueſtigari.

1. Vel ex parte orationis, vt,

*Exilis* nomen producitur. Lucan. lib. 4.

*Glebis exîlis Arisbæ.*

*Exĭlis* verbum corripitur, ab *exilio*. Horatius libro Epodon,

*Vtcunq; fortis exĭlis puerpera.*

verſus eſt iambicus trimeter ſeu ſenarius.

2. Vel ex partium varijs accidentibus, vt *decŏris à decus*. Virg. 5. Aen.

*Oblitus decŏrisq; ſui.*

*Decôris à decor*. Idem 1.

*Diuini ſigna decôris.*

Item *parêre* pro obtemperare. Tibul. lib. 1.

*Longa dies homini docuit parêre leones.*

*Párere* pro eniti. Terent. in And.

*Hanc ſimulant parĕre, quò Chremetem abſterreant.*

verſus hic idem iambicus ſenarius. Hanc differentiam pulchrè vno verſu oſtendit Alcimus lib. 1.

*Qui cùm paſſurus ligno ſublimis in alto*
*Pendêret, nexusq́, & culpas pénderet orbis.*

Item *cecîdi*, à cado. Virg.

*Cecĭditq́, ſuperbum Ilium.*

*Cecîdi*, à cædo. Ouid.

*Silua frequens trabibus, quam nulla ceciderat ætas.*

V I. Significatio, vt *oblîtus* ab *obliuiſcor*, media longa. Virg. in Buc.

*Nunc oblita mihi tot carmina.*

*Oblĭtus* ab *oblinor*, eadem breui. Tibul.

*Oblĭtus & muſto feriet pede ruſticus vuas.*

Alia ſignificatio nominis eſt, cùm canit Virgilius, *Gaudent propagine vites.*
alia cùm idem,

*Nimium vobis Romana propago*
*Viſa potens ſuperi.*

primum enim dicitur de plantis, alterum de hominibus. Valet hæc eadem in primis ſyllabis, vt cùm Ouidius canit de tabellis:

*At quondam vile fuiſtis Acer.*

loquitur de arbore. Cùm verò idẽ de equo,

*Acer, & ad palmæ per ſe curſurus honores.*

aperta ſyllabæ eſt differentia. Apud eundem. *Verba puellarum folijs leuiora caducis.*
quid leue ſit, eſt notiſsimum. Apud Tibullum aliud ſignificat, canentem:

*Carior*

*Carior eſt auro iuuenis, cui leuia fulgent Ora.*

VII. Vſus auctorum. Nomina quædam habent indifferentem penultimam. Catul.

*Mucuſq́, & mala pituita naſi.* Perſius,

*Somnia pituitæ qui purgatiſſima mittunt.*

Meliorum autem ſemper emineat atq; valeat auctoritas.

II. DE DIMINVTIONE.

Diminutio eſt propriè aliquot ſyllabarum de fine ademptio, donec ad tres perueniatur, è quibus correptio vel mora, accentu intelligitur. Tibull.

*Diuitias alius fuluo ſibi congerat auro.*

In nomine *diuitias* ſublata vna de fine ſyllaba, ex eo quod reliquum eſt, antepenultimam illius dictionis, apparet eſſe breuem. Virgil. Georg.

*Nam quis te iuuenum confidentiſſime noſtras.*
*Iuſſit adire domos?*

Detractis de fine tribus ſyllabis, reſtat *confidens*, quod mediam natura & accentu producit. Interdum aliquid de initio quoque detrahitur, vt de relicto ſimplice nomine, deinceps etiam quod neceſſe eſt, ad quantitatis ſcientiam, tollatur. Iuuenalis,

*Intolerabilius nihil eſt, quàm fœmina diues.*

In prima voce, præpoſitio initialis demitur, manent

BIBLIOTHECA

manent ſyllabæ ſex: detrahe tres finales, relinquitur *tolera*, quod mediam habere correptam, indicat accentus.

## DE VLTIMA SYLLABA.

Vltimæ ſyllabæ terminantur aut literis vocalibus, quæ omnes apud Latinos, u excepto, dubiæ ſunt. Aut conſonantibus, de quibus in libello Epitomes egimus: nunc alia quædam ſcitu non indigna, adiungemus.

### I.

### TERMINATIO VOCALIS.

### A.

A producuntur. Item numeralia, quæ non declinantur, longa ſunt. Virg.

*Triginta capitum fœtus enixa iacebit.*

Ablatiuus primæ declinationis producitur, ad diſcretionem Nominatiui. Id monſtrat Ouid. 1. Met.

*Maxima pars vnda rapitur, quibus vnda pepercit.*

& in Hyper.

*nuda nuda recumbis humo.*

Accuſatiui Græci corripiuntur, vt,

*Agamemnona pœnitet iræ.*

Vocatiui item à Græcis quidam producuntur, vt, *Aenea*, *Theutra.* quidam corripiuntur,

tur, vt, *gauiſus Atrida triumpho.* apud Propertium, & apud Ouid. 1. Triſt.

*Fecerunt furiæ triſtis Oreſta tuæ.*

*Antea* aduerbium producitur. *Poſtea* corripitur, ſed hoc fit ratione reſolutionis.

E.

E corripiuntur. Ablatiuus quintæ producitur. Ouid. 1. de ponto,

*Ventorum rabie ſolibus orba tument.*

Tertiæ corripitur. Idem 5. Triſt.

*Exiguum pleno de mare demat aquæ.*

Græca fœminina producuntur, *Penelope*, *Canace*, *Euadne.* Neutra item indeclinabilia producuntur, vt, *Cete*, *Tempe.* Vocatiuus primæ & tertiæ nominatiuorum ES terminatorum producitur, vt *Anchiſe*, *Achille.* Item ablatiuus tertiæ, à Græcis primæ, producitur, vt, *Laërteq́; ſatus.*

Ab Adiectiuis in VS deriuata aduerbia, item aduerbiorum gradus, in comparatione producuntur, vt *doctè*, *doctiſſimè.* Ab adiectiuis in IS, corripiuntur, vt *facilè.* Item illa primitiua, *pænè*, *ritè*, *ſæpè*, *nempe*, *quippe.* Excipiuntur *ferè*, *fermè*, *hodie.* TE in compoſitione corripitur, vt *meopte, ſuopte & tute.* Propert. lib. 3.

*Nullo præmiſſo de rebus tute loquaris.*

Item CE, vt *eiuſce, huiuſce.*

I pro-

I.

I producuntur. *Vbi* & *Ibi*, ſunt communia: horum tamen compoſita producuntur, *vbiq;* & *ibidem*. Græci vocatiui breues. Ouid. *Tu Pari ſemper ama.* &,

*Phylli fac expectes Demophoonta tuum.*

O.

O communia ferè ſunt, maſculina & fœminina. Neutrum indeclinabile, *pondo*, producitur. Græca maſculina plerunq; corripiuntur, vt *Dido*, *Hero*, *Sappho*. In DO gerundia natura longa, vſu breuia. Tibul.

*Aufer & ipſe meum pariter medicando dolorem.*

Aduerbia quædam communia ſunt, vt *modò*, *citò*, cum ſunt temporis. item compoſita, *poſtmodo* & *quomodo*.

V.

V producuntur omnia. Seruius & Victorinus aiunt corripi, ſine auctoritate: illud tamen in 8. Aen.

*Tuq; ô Tybri, tu ô genitor cum flumine ſancto.*

imitatione Græcorum dictum eſt, nimirum vt ſequente vocali, ſyllaba longa corripiatur.

Y.

Y vocalis Græca corripitur. Vt,

*Moly vocant ſuperi.*

TER-

## II.

## TERMINATIO CONSONANTIS.

### B.

B. latina corripiuntur, externa producuntur: *Iob, Iacob.*

### C.

C. producuntur, exceptis aduerbijs. *Fac* verbum, & *Hic* pronomen, ſunt cõmunia.

### D.

D. latina corripiuntur omnia, barbara producuntur, *Dauid, Bogud.*

### L.

L. corripiuntur. Peregrina cenſentur longa, *Tanaquil, Gilgil, Daniel, Michaël.* Item *Sol,* quod ad monoſyllaba pertinet.

### M.

M. corripitur, ſi non elidatur: vt apud comicos fit, & Lucretium. Id apparet è compoſitis. Ouid.

*More lupi clauſas circumeuntis oues.*

nam Tibullus ad Meſſalam Græca conſuetudine.

*Cimmeriôn etiam obſcuras acceßit ad oras.*

N. cor-

N.

N. corripiuntur. Græci Nominatiui variarum terminationum ſunt longi. Vt, *Pan, Titan, Pæan.* Item, *Hymen, Syren, attagen.* Item, *Ixion, Actæon.* Item, *Delphin, Salamin, Trachyn, Phorcyn.* Accuſatiuus primæ & ſecundæ inflexionis producitur. Horat.

*Pytahgoran, Anytiq́ reum, doctumq́ Platona.*

Ouid.

*Andromeden alius ſpectet, claramq́ coronam.*

Secundæ tamen in A N, modò producitur, Idem,

*Qui legis Electran, & egentem mentis Oreſtem.*

modò corripitur, vt apud eundem I.

*Maian, & Electram, Taygetamq́ Ioui.*

Nominatiuus tertiæ itidem eſt communis. Virg. *Cymmodoce ſimul & Triton annixus.*

Accuſatiuus tertiæ & quintæ in O N, I N & Y N corripitur. Ouid.

*Acheloon & Inachon amnes.* Prop.

*Thyrſin & attritis Daphnim arundinibus.*

Ouid.

*Feſſum Rhadamanthyn & Aeacon annis.*

R.

R. latina pleraq; corripiuntur. *Vir* commune eſt. Virg. 6.

*Hic vir hic eſt, tibi quem promitti ſæpius audis.*

Ouid.

Ouid. 1. Met.

*De grege nunc tibi vir, & de grege natus habendus.*

Græca à quinta declinatione producuntur. Vt *aër*, *æther*, *character*, *crater*, *ſpinther*, *Iber*. nam à tertia corripiuntur, vt *Leander*, *Euander*, *Thymber*. De prioribus etiam excipiuntur, *pater & mater*.

## A S.

A S. latina producuntur omnia. Græca quintæ, in DOS genitiuum habentia, corripiuntur, vt *Ilias*, *Pallas*, pro dea, *Pythias*, pro muliere. Item accuſatiui plurales. Ouid. *Et multos illic Hectoras eſſe puta.*

## E S.

E S. producuntur. Genitiuis creſcentia nomina quædam corripiuntur. Ouid.

*Et rudis ad partus, & noua miles eram.*

Item.

*Fertilior ſeges eſt, alieno ſemper in agro.*

*Præpes* corripitur, vt,

*Præpes adunca Iouis.*

Quædam producuntur, quæ habent videlicet ES purum, vt *Abies*, *aries*, *paries*: & quorum genitiui longi in penultima, *Merces*, *hæres*, *lebes*. Terminatio græca breuis eſt.

Ouid. in Faſtis.

*Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus.*

Idem in Heroid.

*Occurrent longo tibi Troades agmine matres.*

Iuuenalis Sat. 7.

*tenet inſanabile multos*
*Scribendi Cacoëthes, & ægro in corde ſeneſcit.*

## IS.

IS. corripiuntur, in paucis more antiquo producuntur, vt *ignis*, *ſanguis.* Horat. 1. Carm. *Vret Achaicus*
*Ignis Iliacas domos.*

Tibullus lib. 1.

*Quidquid agis, ſanguis eſt tamen ille tuus.*

Gentilia, & alia quædam propria maſculina producuntur, vt *Samnis*, *Curis*, *Opoïs*, *Simoïs:* Fœminina verò corripiuntur, *Theſſalis*, *Titanis*, *Thetis*, pro matre Achillis. Longa etiam ſunt, *velis*, *poßis.* Item *quamuis*, *quantumuis.* Horat. 1. Sermo.

*quas doceat quiuis eques atq; ſenator.*

Vltima futuri ſubiunctiui interdum producitur. Ouid. de Art. 3.

*Credula ſi fueris, aliæ tua gaudia carpent.*

Idem in Faſt. 1.

*Da mihi te placidum, dederis in carmine vires.*

*Quîs* ablatiui caſus producitur. Virg.

*Quîs ante ora patrum.* de quo ſupra in regulis generalibus.

O S.

## OS.

OS. producuntur. Quorum genitiuus apud Græcos in diphthongum exit, eorum nominatiui breues ſunt, vt *Ios, Argos, Delos, chaos.* Genitiui quintæ ſunt breues, vt *Arcados, Thetyos.* Attica producuntur. Ouid.

*Viueret Androgeos vtinam, nec facta luiſſet.*

## VS.

VS. corripiuntur. Græca producuntur propter diphthongum, vt *Hydrus, Amathus, Melampus, Panthus.* Item Genitiui, quia contracti ſunt, vt, *Fatidicæ Mantûs.*

*Palus paludis*, vltimam habet breuem apud Horatium, nullo exemplo alio.

## YS.

YS. peregrina corripiuntur, vt *Capys, Libys.* Excipitur *Thetys*, pro vxore Oceani. Virg. 1. Georg.

*Teq́ue ſibi generum Thetys emat omnibus vndis.*

## T.

T. corripiuntur. Colliſio facit ſyllabam longam. Ouid. 9. Met.

*Non adijt aptè, nec legit idonea credo*
*Tempora.* Idem.

*Mente deos adijt, & quæ natura negabat.*

idq́ꝫ ei poëtæ ferè perpetuum. Inde fortaſſe Martianus in T ait eſſe communia, ſed in præteritis tantùm apud Ouidium.

### Observatio.

A' communibus regulis, ſi quid diuerſi apud antiquos inuenitur poëtas, quamuis auctoritatem habeat, non omni in loco imitandum, ſed obſeruationibus eruditorum reſeruandum eſt. In nomine *Euripus* cùm ponitur pro freto, vt apud Lucanum, Senecam, Silium, Valer. Flaccum, Auſonium: item, cùm pro aquæ ductu, vt Cicero exponit, vt apud Ouid. 1. de Ponto:

*Stagnaq́ꝫ & Euripi, virgineusq́ꝫ liquor,*

producit, vt apparet, penultimam, quam Boëthius breuem ponendo primus luxauit. Similiter in nomine *Edonius*, antepenultimam producunt Virgilius, Horatius, Ouidius: quos ego imitari malim, quàm aut Lucanum aut Silium, qui eandem corripiunt, cùm ille Thraciæ populus, ſint ἠδωνοὶ. Eccleſiaſtici ſcriptores *idolum* & *paraclitus*, εἴδωλον καὶ παράκλητος, in penultimis contra naturam corripiunt: ſed id dederunt conſuetudini vulgi canentis, ne quid diſſonum in templis audiretur. Hæc duo nomina *voluptas* & *venuſtas*, ante pt & ſt literas, corripi apud Comicos certum eſt, exemplo Græ-

corum:

corum : quemadmodum & alia quædam cùm ante eaſdem literas, tum ante illas ſc, mn, gn, cm, atque ſimiles, vt in explicationibus Terentianis probauimus, Comicorum & Epicorum exemplis. In priore nomine *voluptas* metri gratia nonnulli elidunt vocales : Camerarius o, vt ſit *vluptas* : Eraſmus u, vt ſit *volptas.* Alij elidunt conſonantes. Glareanus p, vt ſit *volutas* : Alciatus t, vt ſit *volupas.* id ipſorum relinquo auctoritati & iudicijs. Talia ſunt, *Fieri,* prima longa : *Suſpicio,* longa antepenultima : *Abi, redi,* vltimis breuibus apud eoſdem Comicos, præter vſitatam aliorum Poëtarum conſuetudinem. Verùm nos puerorum ratione habita, & eiuſmodi exempla cognoſcendi via demonſtrata, prolixiores in hoc loco eſſe non conuenit.

## DE CARMINIBVS COMPONENDIS OBSERVATIONES.

### I.

Verbis proprijs & perſpicuis, in carmine eſt vtendum : ſelectis & ſignificantibus ſententia, quantum fieri poteſt, efferenda, Vt,

*Cœlum & terra peribunt,*
*Dei vox durabit perpetuò.*

 In ver-

II.

In verſu Hexametro, primùm inquirendi dactylus & ſpondeus: in pentametro, quærendi in fine duo dactyli.

III.

Ad verſum integrum abſoluendum inueſtiganda epitheta, quæ rei maximè conueniant. Vt,

| | |
|---|---|
| *Cœlum*, | *Terra*, |
| *Cœruleum*, | *Lata*, |
| *Sublime*, | *Viridis*, |
| *Stellatum.* | *Herboſa.* |

IIII.

Circumſpicienda ſunt alia vocabula, quæ idem ſignificant. Vt,

| | | |
|---|---|---|
| *Olympus*, | *Tellus*, | *Corruet.* |
| *Aether*, | *Solum*, | *Soluetur.* |

V.

Vtimur neutro adiectiuo, loco ſubſtantiui. *Serenum pro Cœlo.* *Solidum pro Terra.*

VI.

Vtimur poëticè interdum participio, loco nominis.

*Fulgens pro Cœlo.* *Iacens pro Terra.*

Adhi-

VII.

Adhibenda verba circumſcripta, hoc eſt, cùm pro vno ſumuntur plura. Vt,

*Cœli domus,* *Terræ ſolum,*
*Superum ſedes,* *Orbis terrarum.*

VIII.

Coniunctio copulatiua in carmine commutatur cum præpoſitione. Vt,

*Cœlum cum terra,*
*Terra cum cœlo.*

IX.

Loco verbi proprij licet tranſlato vti, vt,

*Templa cœli* *Sola terrarum*
*Concident.* *Frangentur.*

X.

Vti poſſumus verbo ampliore, & magis ſignificante. Vt,

*Arces cœli* *Terrarum ambitus,*
*Regia cœli,* *Circulus orbis,*
*Peribit.* *Conſidet in ignes.*

XI.

Numerum ſingularem permutare plurali, valde vſitatum eſt. Vt,

*Cœli,* *Terræ.*

XII.

Item ſimplicia mutare in poſſeſsiua. Vt,

*Cœlica ſedes,* *Terrea moles.*
*Cœleſtis aula,* *Terreſtris machina.*

XIII.

Vtendum eſt interdum contrarijs. Vt,

*Perire* *Manere*
*Durare* *Interire.*

XIIII.

Affirmans oratio poteſt per negantem exprimi.

*Peribunt* *Non ſtabunt*
*Non firma manebunt* *Non æterna futura ſunt.*

XV.

Præſens tempus pro futuro ponere, euidens eſt. Vt,

*Cœlum & terra perit.*
*Dei vox durat.*

XVI.

Loco verborum vtimur nominibus aut participijs, more Græcorum.

*Peribunt,* *Sunt pereuntia.*
*Peribit,* *Eſt periturum.*

XVII.

Inter ſubſtantiuum & epitheton aliud non-

nonnunquam verbum interijciendum eſt, elegantiæ cauſa. Vt,

*Cœli peribunt ignei,*
*Inuicta ſed vox eſt Dei.*

XVIII.

Interdum generis loco ſpecies eximia ponenda eſt, quod in alia declarare materia neceſſe eſt, quia in vno exemplo omnes oſtendi obſeruationes nequeunt. Vt,

*Cœlum Rhodi inſulæ*, pro ſalubri.
*Terra Pontica aut cholchica*, pro horrida & venenorum ferace.

XIX.

Frequens apud Poëtas eſt, pro aliquo certo, nomen commune ponere. Vt,

*Omnipotens*, pro Deo.
*Senex*, pro Domino.

XX.

In vſu eſt, auctorem pro re condita ponere, per denominationem. Vt,

*Auctor cœli*, pro Deo.
*Conditor terræ*, pro eodem.

XXI.

Vulgatum etiam eſt, parte aliqua totum ſignificare, per intellectionem. Vt,

*Axis,* pro cœlo.
*Artifex cœli manus*, pro Deo.

XXII.

Particulæ vniuerſalis vſitata periphraſis apud poëtas eſt. Virg. 4. Aen.

*Nunc hiemem inter ſe luxu, quàm longa, fouere.*

pro totam hiemem. Horat. Carm. 2. 14.

*Non ſi tricenis, quotquot eunt dies, &c.*

pro ſingulis diebus.

XXIII.

Nomina propria nominibus cognatis efferuntur. Vt,

Patrio, *Anchiſiades*, pro Aenea.
Auito, *Nereïus*, pro Achille.
Materno, *Latonius*, pro Apolline.

XXIIII.

A' patria aut perſonis oſtendi poſſunt hominum mores.

A' patria. Vt, *Sybarita* pro luxurioſo. *Thebanus* pro craſſo.

Ab hominum ingenijs. Vt, *Dædalus* pro ingenioſo: *Procruſtes*, pro latrone.

Ab habitu corporis. Vt: *Milo* pro robuſto, *Nereus* pro pulchro.

A' rebus externis, vt: *Irus* pro mendico, *Midas* pro diuite.

Hæc

Hæc vt obſeruentur à pueris facilius, ſententia à præceptore ſimpliciter præſcribenda, tum aſsignandæ phraſes & epitheta ſunt: nam tituli indicibus aut ſerie literarum inueniuntur: vt hoc modo doctoris fidelis veluti manu ducti, primùm diſcant carmen fingere, donec & ætas & exercitatio ipſos faciat aptiores, nam imperitis noſtra hac prodeſſe ſtuduimus induſtria.

Exemplum ſit hoc, de quo alia formari poterunt.

Qui non verè amat artes,

*Amore incendi, Tit. 45. in Elegantijs.* — *Epith. in proprijs Muſæ lib. 4. Appell. Artes. lib. 5.*

Et ſcribendo ſe exercet cotidie:

*Meditando Carmen ſcribere Tit. 2.* — *Dies noctesq́ue, Tit. 19. in Eleg.*

Hic ſine laude vitam ducet,

*Ep. laus lib. 5.* — *Aetatem exigere, Tit. 75.*

Et poſt mortem erit obſcurus.

*Epith. Mors, lib. 5.*
*Mori. Tit. 76. in Eleg.*

Quòd ſi tanta copia ſe non offeret in omnibus ſententijs, præceptor ſua opera ſimplices adiuuabit. ſine cortice enim natare (quod dicitur) minus exercitato eſt difficile

cile & periculoſum: nulla autem ſententia eſt, in qua epithetorum non ſit vſus, quæ non tantùm ſeruiunt aut argumento, aut elegantiæ, aut decoro, verumetiam neceſſitati.

## DE PROSODIAE FIGVRIS.

Figuræ, quæ ad Proſodiæ cognitionem potiſsimum pertinent, ſunt ſex: in quibus vocalis aliqua aut excluditur, aut immutatur, aut reſoluitur. Excluſio in contrahendo, immutatio in inuertendo, reſolutio in diſtrahendo verſatur. Primum & alterum genus ſpectat ad vocales ſimplices, poſtremum ad coniunctas aut diphthongos.

I. Cùm quid excluditur, id fit modis duobus,

Eliſione, ſeu (vt Pontanus) exploſione, συναλοιφῇ, cùm vocalis antecedens, propter proximè ſequentem, in ſcandendo abijcitur. Ouid. 1. Triſt.

*Quocunq; aſpexit, nihil eſt niſi mortis imago.*

Idem 1. de Rem.

*Dum furor in curſu eſt, currenti cede furori.*

Colliſione, (ſeu vt idem) comploſione, ἐκθλίψει, cùm vocalis præcedens, cum muta abſumitur. Propert. 2.

*Nec forma æternùm, aut cuiquam fortuna perenne.*

Ouid.

Ouid. 3. Met.

*Quem quidem ego actutùm, modò vos abſiſtite, cogam.*

Hæc figura apud Græcos non eſt, & vetuſtiſsimi Latinorum eadem caruerunt, teſte Priſciano, & nomen ipſum Græcum, eſt à recentioribus Græcis impoſitum.

II. Cùm quid immutatur, præter ſyllabarum naturam, vel tarditate vel celeritate numeri inſolita. Hæc fit itidem dupliciter,

Productione ſeu extenſione, διαστολῆ, cùm breuis prolongatur. Virg.

*Exercet Diana choros.*

Correptione, συστολῆ, cùm longa vocalis, pro breui æſtimatur. Idem,

*Obſtupui, ſteteruntq́; comæ.*

III. Cùm id, quod connecti debet, diuiditur: id variatione fit quadruplici,

Diſſolutione, διαιρέσει, cùm vocales coniunctæ ſeparantur. Ouid. in Heroid.

*immixtaq́; vota timori,*

*Nunc quoq; te ſaluo perſoluënda mihi.*

Contractione, συνζήσει, cùm vocales comprimuntur. Ouid.

*Quod voci deêrat, clamore repleui.*

Diductione, διαλύσει, cùm diphthongus more Græco dirimitur. Virg.

*pictai veſtis & auri.*

quod

quod locis tantùm quatuor à Virgilio factum, Probus annotauit.

Hiatu, χιασμῷ, cùm eliſio, quam neceſsitas requirit, nulla fit. Ouid. 3. Met.

*Dictoq́; vale, vale inquit & Echo.*

## DE NOVEM VSITATISSIMIS CARMINVM GENERIBVS.

In compoſitione carminis, locorum & pedum prima debet eſſe intelligentia. Locus (quem & regionem nominant) eſt, poſitus ſeu collatio pedis. Pes eſt apta & conueniens ſyllabarum compoſitio. Loca diſtinguuntur ſecundum æqualitatem & inæqualitatem: vt, *locus ſecundus, quartus, ſextus*, æquales ſunt: *primus, tertius, quintus*, inæquales, & ſic de cæteris. Pedes cenſentur ſyllabarum quantitate. Primùm numero: alij enim duas, alij tres, alij quatuor ſyllabas habent. deinde correptione & productione: alij enim è breuibus aut longis, aut ijſdem inter ſe miſtis conficiuntur. Pedes, quorum in his nouem carminum generibus vſus eſſe poteſt, ſunt hi.

### DVARVM SYLLABARVM.

Pyrrhi-

| | | |
|---|---|---|
| Pyrrhichius | ∪ ∪ | *Deus.* |
| Spondeus | – – | *Vindex.* |
| Iambus | ∪ – | *Mali.* |
| Trochæus | – ∪ | *Omnis.* |

TRIVM SYLLABARVM.

| | | |
|---|---|---|
| Dactylus | – ∪ ∪ | *Pectore.* |
| Anapæſtus | ∪ ∪ – | *Vacuo.* |
| Moloſſus | – – – | *Virtutes.* |
| Tribrachys | ∪ ∪ ∪ | *Colite.* |

Elegimus hæc genera præcipua nouem: quorum duo priora ab Epicis & Elegiacis vſurpantur cõmuniter: Iambica, Trochaica, Anapæſtica, præcipuè à Comicis & Tragicis, reliqua à Lyricis & alijs ſcriptoribus.

I. HEXAMETRVM.

Hexameter verſus, quem Cicero longum nominat, loca habet ſex, pedes binos, ſpondeum & dactylum. In quatuor locis prioribus ſine differentia collocantur ſpondeus & dactylus, in quinto ſolus dactylus, in ſexto ſpondeus.

– –   – –   – –   – –

– ∪ ∪   – –

– ∪ ∪   – ∪ ∪   – ∪ ∪   – ∪ ∪   – ∪ ∪

*Vnicuique dedit vicium natura creato.*

II. PENTAMETRVM.

Penta-

Pentameter verſus loca habet pauciora, ſed pedes eoſdem. In primo & ſecundo indifferenter aſſumit ſpondeum & dactylum, remanente ſyllaba longa: in tertio & quarto ſolos dactylos, iterũ cum ſyllaba longa.

– –  – –

– –∪∪ –∪∪ –

–∪∪ –∪∪

*Tardius aut propius mors ſua quenq; manet.*

E' libro nono Quintiliani liquet, veteres finem pentametri menſos fuiſſe per anapæſtos: ſed nos conſuetudinem ſequimur per uulgatam. Fit autem hexametro & pentametro coniuncto carmen Elegiacum, quod eſt ex omnibus ſcriptis ferè vſitatiſsimum.

III. IAMBICVM SENARIVM.

Iambicum trimetrum ſeu ſenarium, pedes habet iambum & ſpondeum: ſed hunc locis tantùm admittit imparibus, primo, tertio & quinto. Optimum eſt, quod è puris iambis conſtat: illi proximum, quod iambis alternatim admiſtos habet ſpondeos, qualia ſunt:

∪– ∪– ∪– ∪– ∪– ∪–

–– ∪– –– ∪– –– ∪–

*Suis & ipſa Roma viribus ruit.* Item:
*Nam ſera non eſt ad bonos mores via.*

Hoc

Hoc aut additione aut tranſpoſitione verborum mutatur in pentametrum, mira quadam viciſsitudine :

*Roma ſuis etiam viribus ipſa ruit.* &:
*Ad mores non eſt nam via ſera bonos.*

Interdum ademptione manet pentameter. Vt in illo ſenario, quem Acro citat in Horatium,

*Semper adeſt cupido, ſemper abeſt aliquid rei.*

Tolle dictionem vltimam, & erit pentameter.

*Semper adeſt cupido, ſemper abeſt aliquid.*

Eâdem ratione pentameter mutatur in iambicum, detractione & tranſpoſitione, vt, *Frangitur ipſa ſuis Roma ſuperba bonis.*
*Bonis ſuperba Roma frangitur ſuis.*

Sublatis duobus pedibus fit iambicum dimetrum, ſeu (vt Latini vocant) quaternarium: cuius plurimus in hymnis Eccleſiaſticis vſus eſt, vt,

*Te manè laudum carmine,*
*Te deprecor veſperi.*

## IIII. TROCHAICVM OCTONARIVM.

Trochaicum octonarium conſtat locis ſeptem, cum ſuperflua ſyllaba, habet pedes duos, trochæum & ſpondeum: tro-

D chæum

chæum locis omnibus, ſpondeum tantùm paribus, ſecundo, quarto, & ſexto.

–∪ –∪ –∪ –∪ –∪ –∪ –∪ –
–∪ –– –∪ –– –∪ –– –∪ –

*Ipſe iuſſit, & creata: dixit ipſe, & facta ſunt:*
*Terra, cœlum, foſſa ponti, trina rerum machina.*

Hoc genus vnica ſyllaba in initio præpoſita, in Iambicum mutatur octonarium, Trochaicum autem catalectum appellatur, cui ad perfectionem deeſt ſyllaba. Vt,

*Crux fidelis, inter omnes arbor vna nobilis.*

Iambicum verò acatalectum, cui nihil deeſt, vt præpoſita ſuperiori verſui vocandi nota.

*O' crux fidelis, inter omnes arbor vna nobilis.*

## V. ASCLEPIADEVM.

Aſclepiadeum primo loco accipit ſpondeum, ſecundo dactylum, remanente longa ſyllaba, tertio & quarto dactylum. Qui per choriambos metiuntur, à quibus proprio nomine appellatur: rectius quidem illi, ſed hoc incipientibus facilius. Fit igitur hunc in modum.

–– –∪∪ – –∪∪ –∪∪

*Paſtor cùm traheret per freta nauibus.*

Ex hoc carminis genere fit pentametrum vnica ad finem adiecta ſyllaba: vt ſi dicas,

*Paſtor*

*Paſtor cùm traheret per freta nauigijs.*

## VI. PHALECIVM.

Phalecium ſeu hendecaſyllabum loca quinq́, pedes tres habet. Primo loco recipit ſpondeum, altero dactylum, tribus reliquis trochæum.

– –  – ∪ ∪  – ∪  – ∪  – ∪

*Nobis cum ſemel occidit breuis lux,*
*Nox eſt perpetu' vna dormienda.*

Hoc commoditate ſua tranſit in Iambicum ſenarium, vnius ſyllabæ facta adiectione, & permutatione verborum.

*Nobis ſemel cùm perbreuis lux occidit,*
*Nox vna cunctis dormienda eſt perpetim.*

## VII. SAPPHICVM.

Sapphicum, quod ipſum quoq́ hendecaſyllabum, certos & immutabiles retinet pedes in omnibus quinq́ locis. primo trochæum, ſecundo ſpondeum, tertio dactylum, extremis duobus trochæum. Rarò ponitur abſq́ dimetro Adonico, è dactylo & ſpondeo conſtante, hoc modo.

– ∪  – –  – ∪ ∪  – ∪  – ∪
– ∪ ∪  – –

*Ocium & reges prius, & beatas*
*Perdidit vrbes.*

Sapphicum, quia tot loca habet, quot Phalecium, & ex ijſdem omnino conficitur pedibus: facilimè alterum in alterum tranſit: vt,

*Et reges prius ocium, & beatas*
*Vrbes perdidit.*

De conſtitutione Sapphici apud veteres, plura annotauimus in Senecæ Tragœdias.

## VIII. ANACREONTEVM.

Anacreonteum, ſeu heptaſyllabum, habet loca tria, & ſyllabam vnam: pedes vſitatos duos, iambum & ſpondeum. Loco primo ponitur iambus vel ſpondeus, & huius reſolutione interdum anapæſtus: reliquis ſolus iambus.

∪– ∪– ∪––
–– ∪– ∪–∪

*Sat eſt quiete dulci*
*Feſſum fouere corpus.*

Hoc quoq; adiectione ad finem ſyllabæ, fit iambicum quaternarium, hoc eſt, è mutilato integrum, Vt,

*Sat eſt quiete languida*
*Dulci fouere corpora.*

## IX. ARISTOPHANICVM.

Ariſtophanicum anapæſticum, quo in

choris Tragici vtuntur: loca habet quatuor, pedes tres, anapæſtum, dactylum, ſpondeum: qui pedes in locis omnibus ponuntur indifferenter.

– – ∪ ∪ – ∪ ∪ – – –
∪ ∪ – ∪ ∪ – – ∪ ∪ – ∪

*Caſtos ſequitur mala paupertas,*
*Vicioq́ potens regnat adulter.*

Hæc de vſitatis carminum generibus, & de ipſorum inter ſe varietate & neceſsitudine breuiſsimè diximus.

Ad percipienda præcepta, & ad facultatem in ſcribendo comparandam, non inutile, vel ex oda Horatiana Elegiam facere: vel ex aliquo epigrammate aliud genus carminis excudere: vel (quod mihi magis probatur) vnum idemq́ue argumentum modis diuerſis exponere. Hoc aliquibus veterum monſtrare exemplis opportunum videtur, vbi idem argumentum diuerſis carminum generibus tractatum eſt.

## HYPERMNESTRÆ PIETAS IN MARITVM.

### HORAT. LIB. III. CARM. OD. XI.

*AVDIAT Lyde ſcelus, atq; notas*
*Virginum pœnas, & inane lymphæ*

*Dolium fundo pereuntis imo,*
*Seraq; fata.*
*Quæ manent culpas etiam ſub Orco*
*Impiæ. nam quid potuêre maius?*
*Impiæ ſponſos potuêre duro*
*Perdere ferro.*
*Vna de multis face nuptiali*
*Digna, periurum fuit in parentem*
*Splendidè mendax, & in omne virgo*
*Nobilis æuum.*
*Surge, quæ dixit iuueni marito,*
*Surge, ne longus tibi ſomnus, vndè*
*Non times, detur: ſocerum, & ſceleſtas*
*Falle ſorores.*
*Quæ, velut nactæ vitulos leænæ,*
*Singulos eheu lacerant. ego illis*
*Mollior, nec te feriam, neq; intra*
*Clauſtra tenebo.*
*Me pater ſæuis oneret cathenis,*
*Quòd viro clemens miſero peperci:*
*Me vel extremos Numidarum in agros*
*Claſſe relêget.*
*I, pedes quô te rapiunt, & aura,*
*Dum fauet nox, & Venus: i ſecundo*
*Omine, & noſtri memorem ſepulchro*
*Sculpa querelam.*

OVID. IN HEROID.

*Ducimur*

*Ducimur Inachides magni ſub tecta Pelaſgi,*
*Et ſocer armatas accipit ipſe nurus.*
*Vndiq; collucent præcinctæ lampades auro,*
*Dantur in inuitos impia thura focos.*
*Vulgus hymen hymenæe vocant: fugit ille vocantes,*
*Ipſa Iouis coniunx ceßit ab vrbe ſua.*
*Ecce mero dubij, comitum clamore frequentes,*
*Flore nouo madidas impediente comas,*
*In thalamos læti, iuuenes, ſua buſta, feruntur,*
*Strataq́; corporibus funere digna premunt.*
*Iamq́; cibo, vinoq́; graues, ſomnoq́; iacebant,*
*Securumq́; quies alta per Argos erat.*
*Circum me gemitus morientum audire videbar:*
*Et tamen audieram, quodq́; verebar, erat.*
*Sanguis abit, mentemq́; calor corpusq́; relinquit,*
*Inq́; nouo iacui frigida facta toro.*
*Vtq́; leui Zephyro graciles vibrantur ariſtæ:*
*Frigida populeas vt quatit aura comas:*
*Aut ſic, aut etiam tremui magis. ipſe iacebas,*
*Quæq́; tibi dederam vina ſoporis erant.*
*Excuſſere metum violenti iuſſa parentis,*
*Erigor, & capio tela tremente manu.*
*Non ego falſa loquor, ter acutum ſuſtulit enſem,*
*Ter male ſublato decidit enſe manus.*
*At rurſus monitis, iuſſuq́; coacta parentis*
*Admoui iugulo tela paterna tuo.*
*Sed timor, & pietas crudelibus obſtitit auſis,*
*Caſtaq́; mandatum dextra refugit opus.*
*Dum petis amplexus, ſopitaq́; brachia iactas,*

Pœnè manus telo ſaucia facta tua eſt.
Iamq́ patrem, famulosq́ patris, lucemq́ timebam:
Expulerant ſomnos hæc mea dicta tuos.
Surge age Belide, de tot modò fratribus vnus,
Nox tibi ni properas, iſta perennis erit.
Territus exurgis: fugit omnis inertia ſomni,
Aſpicis in timida fortia tela manu.
Quærenti cauſam, dum nox ſinit, effuge dixi,
Dum nox atra ſinit: tu fugis, ipſa moror.
Manè erat, & Danaus generos de cæde iacentes
Dinumerat, ſummæ criminis vnus abes.
Fert malè cognatæ iacturam mortis in vno,
Et queritur facti ſanguinis eſſe parum.
Abſtrahor à patrijs pedibus, raptamq́ capillis
(Hæc meruit pietas præmia) carcer habet.
At tu, ſiqua piæ Lynceu tibi cura ſororis,
Quæq́ tibi tribui munera, dignus habes:
Vel fer opem, vel dede neci, defunctaq́ vita
Corpora fortuitis inſuper adde rogis.
Et ſepeli lacrimis perfuſa fidelibus oſſa,
Sculptaq́ ſint titulo noſtra ſepulcra breui.

## THESEI RES GESTÆ.

### OVID. IN HEROID.

INTER & Aegidas media ſtatuaris in vrbe,
Magnificus titulis ſtet pater antè ſuis.
Cùm fuerit Scyron lectus, toruusq́ Procruſtes,
Et Scinis, & tauri miſtaq́ forma viri,

Et

*Et domitæ bello Thebæ, fuſiq́; Bimembres,*
*Et pulſata nigri regia cæca Dei.*
*Hoc tua poſt illos titulo ſignetur imago :*
*Hic eſt, cuius amans hoſpita capta dolo eſt.*

IDEM VII. METAM.

*te maxime Theſeu*
*Mirata eſt Marathon Cretæi ſanguine tauri,*
*Quodq́; ſuam ſecurus arat Cromyona colonus.*
*Munus opusq́; tuum eſt. tellus Epidauria per te*
*Clauigeram vidit Vulcani occumbere prolem.*
*Vidit & immitem Cephiſias ora Procruſten,*
*Cercyonis telum vidit Cerealis Eleuſis.*
*Occidit ille Scinis magnis malè viribus vſus,*
*Qui potuit curuare trabes, & agebat ab alto*
*Ad terram latè ſparſuras corpora pinus.*
*Tutus ad Alcathoën Lelegeïa mœnia limes*
*Compoſito Scyrone patet, ſparſisq́; latronis*
*Terra negat ſedem, ſedem negat oſsibus vnda.*
*Si titulos, annosq́; tuos numerare velimus,*
*Facta prement annos.*

## HERCVLIS LABORES ET VICTORIAE.

LVCRETIVS LIB. V.

HERCVLIS *antiſtare autem ſi facta putabis :*
*Longius à vera multò ratione ferere.*
*Quid Nemeæus enim nobis nunc magnus hiatus*

*Ille leonis obeſſet? & horrens Arcadius ſus?*
*Deniq; quid Cretæ taurus, Lernæaq; peſtis*
*Hydra venenatis poſſet vallata colubris?*
*Quidúe tripectora tergemini vis Gerionaï?*
*Et Diomedis equi ſpirantes naribus ignem,*
*Thracen, Biſtoniasq; plagas, atq; Iſmara propter,*
*Tantopere officerent nobis? vncisq; timendæ*
*Vnguibus Arcadiæ volucres Stymphala colentes?*
*Aureaq; Heſperidum ſeruans fulgentia mala*
*Aſper, acerba tuens, immani corpore ſerpens,*
*Arboris amplexus ſtirpem? quid deniq; obeſſet*
*Propter Atlantæum littus, pelagiq; ſonora,*
*Quò neq; noſter adit quiſquam, nec Barbarus audet?*

VIRG. VIII. AENEID.

*Hîc iuuenum chorus, ille ſenum, qui carmine laudes*
*Herculeas, & facta ferunt. vt prima nouercæ*
*Monſtra manu, geminosq; premens eliſerit angues:*
*Vt bello egregias idem diſiecerit vrbes,*
*Troiamq;, Oechaliamq;: vt durus mille labores*
*Rege ſub Euryſtheo, fatis Iunonis iniquæ,*
*Pertulerit: tu nubigenas inuicte bimembres,*
*Hyleumq; Pholumq; manu, tu Creßia mactas*
*Prodigia, & vaſtum Nemeæ ſub rupe leonem.*
*Te Stygij tremuêre lacus, te ianitor Orci,*
*Oſſa ſuper recubans antro ſemeſa cruento:*
*Nec te vllæ facies, non terruit ipſe Typhoeus*
*Arduus, arma tenens: non te rationis egentem*
*Lernæus turba capitum circumſtetit anguis.*

*Talia*

*Talia carminibus celebrant, ſuper omnia Caci*
*Speluncam abijciunt, ſpirantemq́ ignibus ipſum.*

## OVID. IX. METAM.

*Ergo ego fœdantem peregrino templa cruore*
*Buſirim domui? ſæuoq́ alimenta parentis*
*Antæo eripui? nec me paſtoris Iberi*
*Forma triplex, nec forma triplex tua Cerbere mouit?*
*Vóſne manus validi preßiſtis cornua tauri?*
*Veſtrum opus Elis habet, veſtrum Stymphalides vndæ,*
*Partheniumq́ nemus: veſtra virtute relatus*
*Thermodontiaco cælatus baltheus auro,*
*Pomaq́ ab inſomni malè cuſtodita dracone.*
*Nec mihi Centauri potuêre reſiſtere, nec mî*
*Arcadiæ vaſtator aper: nec profuit Hydræ,*
*Creſcere per damnum, geminaſq́ reſumere vires.*
*Quid? cum Thracis equos humano ſanguine pingues,*
*Plenaq́ corporibus laceris præſepia vidi?*
*Viſaq́ deieci? dominumq́ ipſoſq́ peremi?*
*His eliſa iacet moles Nemeæa lacertis,*
*Hac cœlum ceruice tuli.*

## IDEM IN DEIANIRA.

*Scilicet immanes eliſos faucibus Hydros,*
*Infantem nuda dilaceraſſe manu.*
*Vt Tegeæus aper cupreßifero Erymantho*
*Incubat, & vaſto pondere lædit humum.*
*Non tibi Threicijs affixa penatibus ora,*
*Non hominum pingues cæde tacentur equæ:*

*Prodi-*

*Prodigiumq́ triplex armenti diues Iberi*
*Geryones : quamuis in tribus vnus erat,*
*Inq́ canes totidem trunco digeſtus ab vno*
*Cerberus, implicitis angue minante comis,*
*Quaq́ redundabat fœcundo vulnere ſerpens*
*Fertilis, & damnis ditior ipſa ſuis.*
*Quiq́ inter læuumq́ latus, læuumq́ lacertum,*
*Prægraue compreſſa fauce pependit onus,*
*Et malè confiſum pedibus, formaq́ bimembri,*
*Pulſum Theſſalicis agmen equeſtre iugis.*
*Hæc tu Sidonio potes inſignitus amictu*
*Dicere?*

CICERO EX SOPHOCLE.

*Veſtróne preſſu quondam Nemeæus leo*
*Frendens, efflauit grauiter extremum halitum?*
*Hæc dextra Lernam terram, mactata excedra,*
*Placauit : hæc bicorporem afflixit manum :*
*Erymanthiam hæc vaſtificam abiecit beluam :*
*Hæc è Tartarea tenebrica abſtractum plaga,*
*Tricipitem eduxit Hydra generatum canem :*
*Hæc interemit tortu multiplicabili*
*Draconem, auriferam obtutu aſſeruantem arborem.*
*Multa alia victrix noſtra luſtrauit manus :*
*Nec quiſquam è noſtris ſpolia cepit laudibus.*

SENECA IN HERCVLE FVRENTE.

*Infantis ætas monſtra ſuperauit prius,*
*Quàm noſſe poſſet : gemina criſtati caput*

*Angues*

*Angues ferebant ora, quos contrà obuius*
*Reptauit infans, igneos ſerpentium*
*Oculos remiſſo pectore ac placido intuens,*
*Arctos ſerenis vultibus nodos tulit,*
*Et tumida tenera guttura elidens manu,*
*Præluſit Hydræ. Mænali pernix fera,*
*Multo decorum præferens auro caput*
*Deprenſa curſu eſt. maximus Nemeæ timor*
*Gemuit lacertis preſſus Herculeis leo.*
*Quid ſtabula memorem dira Biſtonij gregis,*
*Suisq́; regem pabulum armentis datum?*
*Solidumq́; denſis hiſpidum Erymanthi iugis*
*Arcadia quatere nemora Mænalium ſuem?*
*Taurumq́; centum non leuem populis metum?*
*Inter remotos gentis Heſperiæ greges,*
*Paſtor triformis littoris Tarteſſij*
*Peremptus, acta eſt præda ab occaſu vltimo.*
*Notum Cithæron pauit Oceano pecus:*
*Penetrare iuſſus ſolis æſtiui plagas,*
*Et aduſta medius regna quæ torret dies:*
*Vtrinq; montes ſoluit abrupto obijce,*
*Etiam ruenti fecit Oceano viam.*
*Poſthæc adortus nemoris opulenti domos*
*Aurifera vigilis ſpolia ſerpentis tulit.*
*Quid ſæua Lernæ monſtra, numeroſum malum,*
*Non igne demum vicit, & docuit mori?*
*Solitasq́; pinnis condere obductis diem,*
*Petijt ab ipſis nubibus Stymphalidas?*
*Non vicit illum cœlibis ſemper tori*

*Regina,*

*Regina, gentis vidua Thermodontiæ:*
*Nec ad omne clarum facinus audaces manus,*
*Stabuli fugauit turpis Augiæ labor.*

IDEM IN HERCVLE OETEO.

*Nullus per vrbes errat Arcadius leo,*
*Stymphalis icta eſt, Mænali nulla eſt fera.*
*Sparſit peremptus aureum ſerpens nemus,*
*Et Hydras vires poſuit, & notos Hebro*
*Cruore pingues hoſpitum ſudi greges,*
*Hoſtisq; traxi ſpolia Thermodontiæ.*
*Vidi regentem fata, nec tantùm redij,*
*Sed trepidus atrum Cerberum vidit dies,*
*Et ille ſolem: nullus Antæus Libys*
*Animam reſumit: cecidit ante aras ſuas*
*Buſiris: vna eſt Geryon ſparſus manu,*
*Taurusq; populis horridus centum pauor.*

AVSONII MONOSTICHA.

*Prima Cleonæi tolerata ærumna leonis.*
*Proxima Lernæam ferro & face contudit Hydram.*
*Mox Erymanthæum vis tertia perculit aprum.*
*Aeripedis quarto tulit aurea cornua cerui.*
*Stymphalin pepulit volucres diſcrimine quinto.*
*Threïciam ſexto ſpoliauit Amazona balteo.*
*Septima in Augiæ ſtabulis impenſa laboris.*
*Octaua expulſo numeratur adorea tauro.*
*In Diomedeis victoria nona quadrigis.*
*Geryone extincto decimam dat Iberia palmam.*

*Vndeci-*

*Vndecimum mala Heſperidum diſtracta triumphum.*
*Cerberus extremi ſuprema eſt meta laboris.*

AVCTORIS INCERTI.

*Compreſſit Nemeæ primùm virtute leonem.*
*Extincta eſt anguis quæ pullulat Hydra ſecundò.*
*Tertius euictus ſus eſt Erymanthius ingens.*
*Cornibus auratis ceruam necat ordine quarto.*
*Deijcit horriſono quintò Stymphalidas arcu.*
*Abſtulit Hippolyte ſextò ſua vincula victæ.*
*Septimus Augiæ ſtabulum labor egerit vndis.*
*Octauò domuit magno luctamine taurum.*
*Tum Diomedis equos nonò cum rege peremit.*
*Geryonem decimò triplici cum corpore vicit.*
*Vndecimò abſtractus vidit noua Cerberus aſtra.*
*Poſtremò Heſperidum victor tulit aurea mala.*

## DESCRIPTIO CHAI ET ELEMENTORVM.

OVID. V. FAST.

*Poſt chaos vt primùm data ſunt tria corpora mundo,*
*Inq́; nouas ſpecies omne receſſit opus,*
*Pondere terra ſuo ſubſedit, & æquora traxit,*
*At cœlum leuitas in loca ſumma tulit.*
*Sol quoq; cum ſtellis nulla grauitate retentus,*
*Et vos lunares exiluiſtis equi.*

IDEM I. FAST.

Me

*Me Chaos antiqui (nam ſum res priſca) vocabant,*
*Aſpice quàm longi temporis acta cano.*
*Lucidus hic aër, & quæ tua corpora reſtat,*
*Ignis, aqua, & tellus vnus aceruus erant.*
*Vt ſemel hæc rerum ſeceßit lite ſuarum,*
*Inq́; nouas abijt maſſa ſoluta domos.*
*Altum flamma petit, propior locus aëra cepit,*
*Sederunt medio terra, fretumq́; loco.*
*Tunc ego qui fueram globus, & ſine imagine moles,*
*In faciem redij, membraq́; digna Deo.*

## IDEM I. MET.

*Ante mare, & terras, &, quod tegit omnia, cœlum,*
*Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,*
*Quem dixêre Chaos: rudis indigeſtaq́; moles,*
*Nec quidquam, niſi pondus iners, congeſtaq́; eodem*
*Non bene iunctarum diſcordia ſemina rerum.*
*Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan,*
*Nec noua creſcendo reparabat cornua Phœbe,*
*Nec circumfuſo pendebat in aëre tellus*
*Ponderibus librata ſuis: nec brachia longo*
*Margine terrarum porrexerat Amphitrite.*
*Quaq́; erat & tellus, illic & pontus, & aër.*
*Sic erat inſtabilis tellus, innabilis vnda,*
*Lucis egens aër: nulli ſua forma manebat,*
*Obſtabatq́; alijs aliud: quia corpore in vno*
*Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis,*
*Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.*
*Hanc Deus & melior litem natura diremit,*

*Nam*

*Nam cœlo terras, & terris abſcidit vndas,*
*Et liquidum ſpiſſo ſecreuit ab aëre cœlum.*
*Quæ poſtquam euoluit, cæcoq́; exemit aceruo,*
*Diſſociata locis concordi pace ligauit.*
*Ignea conuexi vis, & ſine pondere cœli*
*Emicuit, ſummaq́; locum ſibi lêgit in arce,*
*Proximus eſt aër illi leuitate locoq́;,*
*Denſior his tellus, elementaq́; grandia traxit,*
*Et preſſa eſt grauitate ſui, circumfluus humor*
*Vltima poſſedit, ſolidumq́; coërcuit orbem.*

Conferri eodem modo poſſunt hiſtoria Oreſtis & Pyladis lib. 4. Triſt. & 3. de Ponto. Fabula Cephali & Procridis 3. de arte, & 7. Met. Volatus Dædali atq; Icari 2. de arte, & 8. Metam. Iouis & Calliſtûs amores 2. Faſt. & 2. Meta. Raptus Proſerpinæ, & de eodem raptu querela Cereris, & conſolatio Iouis 4. Faſt. & 5. Met.

# GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS EXEMPLORVM VARIETATIS ET COPIAE.

## Liber Secundus.

# GEORGIVS FABRICIVS CHEMNICENSIS, CHRISTOPHORO IVDAE SIMONIS F. SCHLEINICIO, S. D.

*CVM ſis præclaris à ſtirpe parentibus ortus,*
*Et numeres longæ nobilitatis auos,*
*Chriſtophore, ingenuis natalibus addere par eſt*
*Virtutem, ſine qua non viget vllus honor.*
*Nam qui maiorum tantummodo nomina laudat,*
*Ille aliena magis, quàm ſua facta vehit.*
*Nobilitas vera eſt virtus, & propria virtus,*
*Nec tantùm externis nititur illa bonis.*
*Pugnantum ſtrepitus fugiens, hoſtiliaq́ arma,*
*Non eſt à forti ſemine fortis equus:*
*Sic quoq; non imitans clarorum facta parentum,*
*Immeritò titulum nobilis ille gerit.*
*Qui pietatis amans, quiq́ eſt ſtudioſus honeſti,*
*Nec patriæ vitam, corpus opesq́ negat:*
*Quiq́ bonas teneris artes adiungit ab annis,*
*Sintq́ ſui mores vt ſine labe ſtudet:*
*Quantumuis humili fiet de ſtipite magnus,*
*Laudatosq́ inter ſurget honore viros.*
*Sunt tibi, ſintq́ precor, merita virtute parentes,*
*Splendidaq́, & priſcæ gentis, & ampla domus:*
*Accipe, daq́ tuis nomen: nec deſine curſum*
*Vrgere, & pulchras impiger ire vias.*
*Ingenium ſtudijs, mentem pietate colendo,*

Hinc

Hinc melior venies, cultior inde domum.
In ſtudijs labor eſt, labor in pietate ſequendus,
Sed leuat hunc ardens pectoris acris amor.
Omnia vincit amor: quo ſi quis flagrat honeſto,
Nec ſtudij ſentit, nec pietatis onus.
Non onus eſt, ſed honos, aliquid perferre moleſti,
Nomine perpetuo clarus vt eſſe queas.
Vilia ſummus habet non rarò exordia ſplendor,
Et minimos ortus maxima quæq; tenent.
Quiſnam vno credat naſci de fonte tot vndas,
Iſter in Euxinum quot vehit amne fretum?
Sic ars è paruis elementis cuditur ampla,
Ingenteſq; breui tempore pandit opes.
Vtq; ſuos auget centeno flumine curſus,
Boſporicam introeat quàm vagus Iſter aquam:
Sic quoq; cognitio rerum pulcherrima creſcit,
Atq; hinc theſauros quærit, & inde nouos:
Cùm merces varia Muſarum colligit arte,
Comparat inq; vſus totum Helicona ſuos.
Non tamen ignaro ſpernenda eſt cymbula parua,
Ingenti donec nare trireme ſciat.
Ergo aptos ſtudijs primis euolue libellos,
Chriſtophore, vndè tibi copia diues erit.
Cætera perdiſces longo ſtudioſus ab vſu,
Auctorum quandò volueris omne genus.
Phaſidis Aemonium virtus vt Iaſona ripa
Clamat & extollens gloria rara viros:
Sic quoq; te pietas, ſtudij comitata decôre,
Auriferi ad ripas Albidos ore vocat.

*Hanc audi & ſequere, egregijs vt laudibus olim*
*Stemmatis illuſtres nomina magna tibi.*

# CAPITA LIBRI SECVNDI.

LAVDANDI
A bonis animi
A pietate in deos
A pietate in patriam
A fortitudine
Ab artibus imperatorijs
A clementia
A vitæ integritate
Ab animi candore
A fide.
Ab animorũ coniunctione
Ab amicitia cum prima ætate incœpta
Ab amicitia ſiue amore
A charitate
Ab vſu & conſuetudine
A iocorum ſeriorumque communitate
A ſtudiorum ſocietate
Ab eloquentia
Ab ingenio
A ſtudijs
A nobilitate virtuti coniuncta

A pudi-

A pudicitia & fide coniugali.

LAVDANDI A bonis corporis
A forma
Puerorum
Mulierum
A procis
A cultu
Varia
A corpore.

LAVDANDI A bonis externis
Ab equitandi pugnandiq; peritia
A generis nobilitate
A celebritate nominis
A diuitijs
A varijs rebus.

Vituperandi
Hominem
Regionem
Terram.

Officij in ſe collati commemoratio.
Officiorum ſe memorem promittendi.
Prius moriar.
Acceptæ calamitatis.
Implorandi auxilij.
In hominem aſperum & immitem.
Tremoris.
Palloris.
Planctus.

Subiti pauoris.
Obmuteſcentis.
Exanimationis.
Ad ſe redeundi.
Irriti conatus.
Irriti voti aut ſermonis.
Pudoris.
Rumoris vel nuncij.
Optandi.
Optandi longæuitatem.
Blanditiarum.
Salutandi.
Formulæ quibus initio literarum vtimur.
Formulæ quibus ante Vale.
Valedicendi.
Semper.
Nunquam.
Eius quod fieri nequit.
Numeri infiniti.
Gelu.
Nix ſoluitur.
Inuocandi.
Imprecandi.
Deuouendi.
Abominandi.
Increpantis.
Amentiæ.
Exprobrantis iactantiam.
Exprobrantis leuitatem.

Aſſen-

Aſſentiendi.
Vt verum fatear.
Vt conferamus parua magnis.
Ne longum faciam. 178
Non poſſum eloqui. 179
Quoduis optato donum, id optatum feres.
Dubitandi.
Carminum & incantationum vis.
Poëticæ excellentia.
Muſicæ excellentia.
A magnis vinci laus eſt.
Foci conſtruendi.
Res probat.
Cauſa caputq́;.
Celeritatis.
Aucupij vel piſcationis.
Vitæ incorruptæ.
Eſt aliquid.
Ebrij.
Tingendi lanas.
Anathemata ſeu vota dijs dicata.
Epithaphia.

I.

## LAVDANDI ALIQVEM RATIONES VARIAE.

## A BONIS ANIMI.

## A PIETATE IN DEOS.

VI. FAST.

*REGIS opus placidi, quo non metuentius vllum*
*Numinis ingenium terra Sabina tulit.* 67.a

I. META.

*Non illo melior quiſquam, nec amantior æqui*
*Vir fuit, aut illa reuerentior vlla dearum.* 7.a

V. META.

*Emathion æqui cultor, timidusq; deorum.* 57.a

I. META.

*Innocuos ambos, cultores numinis ambos,* 7.b

II. FAST.

*Aeneas pietatis idoneus auctor.* 23.b

XIIII. MET.

*Vir factis maxime, cuius*
*Dextera per ferrum, pietas ſpectata per ignes.* 176.b

XV. META.

*Micylus, illius dijs acceptiſſimus æui.* 189.b

## A PIETATE IN PATRIAM.

AD LIVIAM.

*Quàm paruo numeros impleuit principis æuo,*
*In patriam meritis occubuitq; ſenex.* 224.b

II. DE PON.

*Per patriæ numen, quæ te tibi charior ipſo eſt.* 177.b

AD LIVIAM.

*Vtilior patriæ, quàm tibi Druſe, tuæ.* 221.b

II. TRIST.

*O pater, ô patriæ cura ſalusq; tuæ.* 111.b

V. TRIST.

*Arbiter*

*Arbiter imperij, quo certum eſt ſoſpite cunctos*
*Auſoniæ curam gentis habere deos.*
*O decus, ô patriæ per te florentis imago,*
*O vir non ipſo quem regis orbe minor.* 139.b

II. DE PONT.

*Vir immenſo maior virtutibus orbe.* 176.a

PROPERT. I.

*Tu patrui meritas conare anteire ſecures,*
*Et vetera oblitis iura refer ſocijs.*
*Nam tua non ætas vnquam ſeruiuit amori,*
*Semper at armatæ cura fuit patriæ.* 82.a

## A FORTITVDINE.

AD LIVIAM.

*Maximus ille armis, maximus ille toga.* 220.a

II. DE PONTO.

*Iuuenum belloq; togaq;* *Maxime.* 167.b

XV. META.

*Marte togaq;* *Præcipuum.* 201.b

XII. META.

*Timor ille Phrygum, decus & tutela Pelaſgi*
*Nominis Aeacides, caput inſuperabile bello.* 158.a

II. DE PONTO.

*Sed quàm Marte ferox, & vinci neſcius armis,*
*Tam nunquam facta pace cruoris amans.* 177.b

XIII. META.

*Quippe manu fortes, nec ſunt tibi Marte ſecundi.*

III. META. (164.b

*Erat telum ſplendenti lancea ferro,*

 *Et iacu-*

*Et iaculum, teloq; animus præſtantior omni.* 30.b

V. META.

*Animi pleniſſima magni Pectora.* 58.b

I. DE PONTO.

*At tibi rex æuo detur fortiſſime noſtro,*
*Semper honorata ſceptra tenere manu.* 163.b

XIII. META.

*Fortis & infelix, & plus quàm fœmina virgo.* 166.a

IIII. FAST.

*Clarus erat, ſumtisq; ferox Meſſentius armis.* 58.a

XI. META.

*Acer erat, belloq; ferox, ad vimq; paratus.* 139.a

XIIII. META.

*Feruidus ingenio, tum verò & cladib. aſper.* 182.b

IIII. DE PONT.

*Nec mora, conſpicuus longè fulgentibus armis,*
*Fortia ne poßint facta latere caues.*
*Ingentiq; gradu contra ferrumq; locumq;,*
*Saxaq; brumali grandine plura, ſubis.*
*Nec te miſſa ſuper iaculorum turba moratur,*
*Nec quæ vipereo tela cruore madent.*
*Spicula cum pictis hærent in caßide pennis,*
*Parsq; fere ſcuti vulnere nulla vacat.*
*Nec corpus cunctos feliciter effugit ictus,*
*Sed minor eſt acri laudis amore dolor.*
*Talis apud Troiam Danais pro nauibus Aiax*
*Dicitur Hectoreas ſuſtinuiſſe faces.*
*Vt propius ventum eſt, admotaq; dextera dextræ,*
*Resq; fero potuit cominus enſe geri:*

*Dicere*

*Dicere difficile eſt quid Mars tuus egerit illic,*
*Quotq́ue neci dederis, quosq́ue, quibusúe modis.*
*Enſe tuo factos calcabas victor aceruos,*
*Impoſitoq́ue Getes ſub pede multus erat.*
*Pugnat ad exemplum primi minor ordine pili,*
*Multaq́ue fert miles vulnera, multa facit.*
*Sed tantum virtus alios tua præterit omnes,*
*Ante citos quantum Pegaſus ibat equos.* 198. A

## AB ARTIBVS IMPERATORIIS.

### TIBVLLVS IN HEXAmetro ad Meſſalam.

*Nam te non alius belli tenet aptius artes,*
*Quà deceat tutam caſtris deducere foſſam,*
*Qualiter aduerſos hoſti defigere neruos.*
*Quemúe locum ducto melius ſit claudere vallo.*
*Fontibus vt dulces erumpat terra liquores.*
*Vt faciliſq́ue tuis aditus ſit, & arduus hoſti,*
*Laudis & aßiduo vigeat certamine miles.*
*Quis tardamúe ſudem melius, celeremúe ſagittam*
*Iecerit, aut lento perfregerit obuia pilo.*
*Aut quis equum celeremúe arcto compeſcere freno*
*Poßit, & effuſas tardo permittere habenas,*
*Inq́ue vicem modò directo contendere curſu,*
*Seu libeat curuo melius contendere gyro,*
*Parma ſeu quos dextra velit, ſeu leua tueri.*
*Siue hac, ſiue illac grandis venit impetus haſtæ*

*Amplius, aut ſignata cita loca tangere ſunda.*
*Iam ſimul audacis veniunt certamina Martis,*
*Aduerſiq; parant acies concurrere ſignis.*
*Tunc tibi non deſit, faciem componere pugnæ,*
*Seu ſit opus quadratum acies conſiſtat in agmen,*
*Rectus inæquatis decurrat frontibus ordo,*
*Seu libeat duplicem, ſeu iunctum cernere Martem,*
*Dextraq; vt læuum teneat, dextrumq́; ſiniſtra*
*Miles, ſitq; duplex gemini victoria caſus.* 71.a

## A CLEMENTIA.

I. DE PON.

*Sed piger ad pœnas princeps, ad præmia velox:*
*Quiq́; dolet, quoties cogitur eſſe ferox.*
*Qui vincit ſemper, victis vt parcere poßit,*
*Clauſit & æterna ciuica bella ſera.*
*Multa metu pœnæ, pœna qui pauca coërcet,*
*Et iacit inuita fulmina rara manu.* 156.b

II. DE PONT.

*Sed placidus faciliſq́; parens, veniæq́; paratus,*
*Et qui fulmineo ſæpe ſine igne tonat.*
*Qui cùm triſte aliquid ſtatuit, fit triſtis & ipſe,*
*Cuiq; ferè pœnam ſumere pœna ſua eſt.* 169.b

IIII. DE PONT.

*Scilicet eiuſdem eſt, quamuis pugnare videtur,*
*Supplicibus facilem, ſontibus eſſe trucem.* 197.a

I. TRIST.

*Nec ſolet iraſci: nec enim moderatior alter,*
*Cùm quis in aduerſis, ſi quod amauit, amat.* 99 b

Lenem

IIII. DE PONTO.

*Lenem te miſeris genuit natura, nec vlli*
*Mitius ingenium quàm tibi Brute dedit.* 197. a

III. DE PONT.

*Adde quòd eſt animus ſemper tibi mitis, & altæ*
*Indicium mores nobilitatis habent.* 148. a

## A VITÆ INTEGRITATE.

IX. META.

*Ingenuum de plebe virum. nec cenſus in illo*
*Nobilitate ſua maior, ſed vita fidesq́;*
*Inculpata fuit.* 119. b

IN HERM.

*Tyndareus vita grauis auctor, & annis.* 20. b

I. TRIST.

*Siue aliquod morum, ſeu vitæ labe carentis*
*Eſt precium: nemo pluris emendus erat.* 99. b

AD LIVIAM.

*Exemplum iuuenis venerabile morum.* 220. a

III. FAST.

*Mamurius morum, fabræ'ne exactior artis*
*Difficile eſt vlli dicere.* 35. a

VI. META.

*Iuſticia dubium, validíſne potentior armis.* 78. a

TIBVL. III.

*Et longè ante alios omnes mitiſsima mater:*
*Isq́; pater, quo non alter amabilior.* 67. b

## AB ANIMI CANDORE.

Sed

II. DE PON.

*Sed ſunt tua pectora lacte,*
*Et non calcata candidiora niue.* 127.b

IIII. DE PONT.

*Tam felix vtinā, quàm pectore candidus, eſſem.* 206.b

III. TRIST.

*Quiq́; eſt in caris animi tibi candor amicis.* 117.b

IIII. TRIST.

*Cuius ineſt animo patrij candoris imago,*
*Non careat neruis candor vt iſte ſuis.* 130.a

II. DE PON.

*Candor in hoc æuo res intermortua penè*
*Exigit, vt faciam talia vota tuus.* 172.a

IN IBIN.

*Perennem*
*Candoris titulum non ſinit eſſe mei.* 109.a

IIII. DE PON.

*Adde quòd Illyrica ſi iam pice nigrior eſſem.* 206.b

## A FIDE.

IIII. DE PON.

*O mihi non dubios inter memorande ſodales.* 205.a

I. TRIST.

*O mihi poſt nullos vnquam memorande ſodales,*
*O cui præcipuè ſors mea viſa ſua eſt.* 95.a

III. TRIST.

*O mihi chare quidem ſemper, ſed tempore duro*
*Cognite, res poſtquam procubuêre meæ.* 115.a

IIII. TRIST.

*O mihi*

*O mihi dilectos inter ſors prima ſodales,*
*Vnica fortunis ara reperta meis.* 131.a

V. TRIST.

*Tu quoq; noſtrarum quondam fiducia rerum,*
*Qui mihi confugium, qui mihi portus eras.* 143.a

IIII. DE PON.

*O mihi non dubia cognite Brute fide.* 197.a

III. META.

*Aut vltor veſtræ fidiſsima corpora mortis,*
*Aut comes, inquit, ero.* 30.b

I. TRIST.

*Aut nunc vt peream, quoniam caret illa periclo,*
*Dimidia certè parte ſuperſtes ero.* 92.a

## AB ANIMORVM coniunctione.

VIII. META.

*Et cum Pirithoo felix concordia Theſeus.* 98.b

III. META.

*Nunc duo concordes anima moriemur in vna.*

AD LIVIAM.

*Adijce Ledæos concordia ſidera fratres.* 224.b

I. TRIST.

*Quosq; ego dilexi fraterno more ſodales,*
*O mihi Theſea pectora iuncta fide.* 94.a

III. TRIST.

*Nec tibi me tota iunctior vrbe fuit.* 117.b

II. META.

*Qui tibi materno quamuis à ſanguine iunctus,*

*Mente*

*Mente tamen Phaëthon propior fuit.* 21.a

XII. META.

*Par amor eſt illis, errant in montibus vnà,*
*Antra ſimul ſubeunt, & tum Lapitheïa tecta*
*Intrarant pariter, pariter fera bella gerebant.* 154.b

XV. META.

*Quamuis coniunctior illo Nemo mihi eſt.* 199.a

IN LEANDRO.

*Animis iuncti, ſecernimur vndis:*
*Vnaq́ mens, tellus non habet vna duos.* 51.a

X. META.

*Iunctiſsima quondam Pectora.* 123.a

AD LIVIAM.

*Par bene compoſitum, iuuenum fortiſsimus alter,*
*Altera iam forti mutua cura viro.* 225.a

IBIDEM.

*Heu par illud vbi eſt, totidem virtutibus æquum,*
*Et concors pietas, nec dubitatus amor?* 221.a

## AB AMICITIA CVM prima ætate incepta.

IIII. DE PON.

*Pænè mihi puero cognite pænè puer:*
*Perq́ tot annorum ſeriem quot habemus vterq́,*
*Non mihi quam fratri frater amate minus.*
*Tu bonus hortator, tu duxq́ comesq́ fuiſti,*
*Cùm regerem tenera frena nouella manu.* 204.b

II. DE PONT.

*Tu comes*

*Tu comes antiquus, tu primis iunctus ab annis,*
*Ingenio mores æquiparante, places.* 172.b

IIII. DE PONT.

*Pænè puer puero iunctus amicitia.* 194.a

IBIDEM.

*Hic tenor, hac viridi concordia capta iuuenta,*
*Venit ad albentes illabefacta comas.* 204.b

II. DE PON.

*Ille domus veſtræ primis venerator ab annis.* 167.b

IBIDEM.

*Veſtra domus teneris mihi ſemper ab annis*
*Culta.* 171.a

IIII. TRIST.

*Nam tuus, eſt primis cultus mihi ſemper ab annis*
*(Hoc certè noli diſsimulare) pater.* 130.b

II. DE PON.

*Pater ille tuus primo mihi cultus ab æuo.* 169.a

IBIDEM.

*Primo nobis à tempore cultus.* 171.a

I. DE PON.

*Primo dilectam ſemper ab æuo,*
*Eſt inter comites Martia cenſa ſuas.* 156.b

II. DE PONT.

*Culte mihi (quid enim ſtatus hic à funere differt?)*
*Supremum vitæ tempus ad vſq; meæ.* 170.a

## AB AMICITIA ſiue amore.

II. DE PONT.

F *Mouit*

*Mouit amicitiæ tum te conſtantia longæ,*
*Ante tuos ortus quæ mihi cœpta fuit.*
*Et quòd eras alijs factus, mihi natus amicus,*
*Quodq́ tibi in cunis oſcula prima dedi.* 171. a

III. TRIST.

*Fœdus amicitiæ, non vis, chariſſime noſtræ,*
*Nec ſi fortè velis, diſſimulare potes.*
*Donec enim licuit, nec te mihi carior alter.* 117. b

V. META.

*Et comes & veri non diſſimulator amoris.* 56. b

V. TRIST.

*Teq́ Menœtiadem, te qui comitatus Oreſten,*
*Te vocat Aegidem, Euryalumq́ ſuum.*
*Nec patriam magis ille ſuam deſiderat, & quæ*
*Plurima cum patria ſentit abeſſe ſibi,*
*Quàm vultus oculosq́ tuos. ô dulcior illo*
*Melle, quod in ceris Attica ponit apis.* 241. b

I. DE PON.

*Tanto eſt mihi iunctus amore,*
*Quantus in Atridis Tyndaridisq́ fuit.* 162. b

II. DE PON.

*Deniq́ tantus amor nobis chariſſime ſemper,*
*Quantus in Aeaciden Actoridenq́ fuit.* 172. a

III. DE PONT.

*Par fuit his ætas & amor.* 183. b

IIII. TRIST.

*Qui duo corporibus, mentibus vnus erunt.* 131. a

III. DE PON.

*Magnaq́ pars animi mecum vixiſtis amici.* 187. b

Pars

I. DE PON.

*Pars animæ magnæ Seuere meæ.* 163.a

VIII. MET.

*O me mihi charior, inquit,*
*Pars animæ conſiſte meæ.* 100.b

IN HERONE.

*O penitùs toto corde recepte mihi.* 55.b

## A CHARITATE.

V. TRIST.

*Te tamen (ô ſi quid credis mihi) charius ille*
*Omnibus in toto pectore ſemper habet.* 141.b

IIII. TRIST.

*Abſunt mea cura, ſodales,*
*Et qua nulla mihi charior, vxor abeſt.* 133.a

V.

*O mihi me coniunx charior.* 149.b

IIII. DE PONT.

*Quo non tibi charior alter.* 195.a

TIBVL. III.

*Teq́; ſuis iurat charam magis eſſe medullis.* 65.a

IBIDEM.

*Tantùm chara tibi, quantum nec filia matri,*
*Quantùm nec cupido bella puella viro.* 67.a

## AB VSV ET CONſuetudine.

III. TRIST.

*O nobis vſu iunctiſſime longo,*
*Pars deſiderij maxima pænè mei.* 117.b

III. DE PONT.

*Turpe erit ambobus, longo mihi proximus vſu,*
*Si nulla libri parte legêre mei.* 190.a

II. DE PONT.

*Exciderit tantùm ne tibi cura mei:*
*Quàm tu vel longi debes conuictibus æui.* 178.b

IIII. DE PON.

*Ille ego conuictor, longoq́; domeſticus vſu,*
*Ille ego iudicijs vnica Muſa tuis.* 194.a

IIII. TRIST.

*Dulcia conuictus membra fuêre mei.* 135.b

IBIDEM.

*Iure ſodalitio qui mihi iunctus erat.* 135.b

II. DE PONTO.

*Nec tu potes ipſe negare*
*Et nos in turba parte fuiſſe tua.* 169.a

III. TRIST.

*Vſus amicitiæ tecum mihi paruus, vt illam*
*Non ægrè poſſes diſſimulare fuit.* 116.b

II. DE PON.

*Non fuerim quamuis modico tibi iunctus ab vſu,*
*Diceris exilijs indoluiſſe meis.* 172.a

III. TRIST.

*Idq́; recens præſtas, nec longo cognitus vſu.* 116.b

## A IOCORVM SERIO-rumq́ communitate.

*Seria*

II. DE PONTO.

*Seria multa mihi tecum collata recordor,*
*Nec data iucundis tempora pauca iocis:*
*Sæpe cita longis viſa ſermonibus horæ,*
*Sæpe fuit breuior, quàm mea verba, dies.* 171.b

I. TRIST.

*Quid niſi tot luſus, & tot mea ſeria noſſes,*
*Tot noſſem luſus ſeriaq; ipſe tua?* 98.b

I. DE PONTO.

*Sæpe refert animus luſus grauitate carentes,*
*Seria cum liquida ſæpe peracta fide.* 164.b

IIII. DE PON.

*Ille ego qui primus tua ſeria noſſe ſolebam,*
*Qui tibi iucundis primus adeſſe iocis.* 194.a

II. DE PONT.

*Et modò res egiſſe ſimul, modò rurſus ab illis*
*Quorum non pudeat poſſe referre, iocos.* 179.b

II. TRIST.

*Nil ita celabas, vt non ego conſcius eſſem,*
*Pectoribusq; dabas multa tegenda meis.*
*Cuiq; ego narrabam ſecreti quicquid habebam,*
*Excepto, quod me perdidit, vnus eras.* 117.b

## A STVDIORVM ſocietate.

V. TRIST.

*Vos quoq; conſortes ſtudij pia turba poëtæ.* 140.b

II. DE PONTO.

*Te iuuenum princeps, cui dat Germania nomen,*

*Participem ſtudij Cæſar habere ſolet.* 172.b

IN SAPPH.

*Nec plus Alcæus conſors patriæq; lyræq;*
*Laudis habet.* 65.b

II. DE PON.

*Artis & ingenuæ cultor vterq; ſumus.* 172.b

IX. META.

*Par ætas, par forma fuit, primaſq; magiſtris*
*Accepêre artes, elementa ætatis ab ijſdem.* 120.b

II. DE PON.

*Nos fora viderunt pariter, nos porticus omnis,*
*Nos via, nos iunctis curua theatra locis.* 172.a

III. DE PON.

*O iuuenis ſtudiorum plene meorum.* 188.b

## AB ELOQVENTIA.

I. FAST.

*Pagina iudicium docti ſubitura mouetur*
*Principis, vt Clario miſſa legenda Deo.*
*Quæ ſit enim culti facundia ſenſimus oris,*
*Ciuica pro trepidis cùm tulit arma reis.*
*Scimus & ad noſtras cùm ſe tulit impetus artes,*
*Ingenij currant flumina quanta tui.* 2.a

II. DE PON.

*Nunc tibi & eloquij nitor ille domeſticus aſſit,*
*Quo poteras trepidis vtilis eſſe reis.*
*Viuit enim in vobis facundi lingua parentis,*
*Et res hæredem repperit illa ſuum.* 168.b

IIII. TRIST.

*Cuius*

*Cuius in ingenio eſt patriæ facundia linguæ,*
*Qua prior in Latio non fuit vlla foro.* 130.a

I. TRIST.

*Siue per ingenuas aliquis caput extulit artes,*
*Qualibet eloquio ſit bona cauſa tuo.* 89.b

II. DE PON.

*Atq; hæc eſt dicas facundia principe digna,*
*Eloquio tantùm nobilitatis ineſt.* 173.a

IBIDEM.

*Mirarisq; alios, cùm ſis mirabilis ipſe,*
*Nec lateant artes eloquiumq; tuum.* 172.b

III. DE PON.

*Legimus ô iuuenis patrij non degener oris,*
*Dicta tibi pleno verba diſerta foro.* 188.a

I. DE PONTO.

*Aſſuetaq; tibi doctæ dulcedine linguæ,*
*Aequandi ſuperis pectora flecte viri.* 156.b

II. DE PON.

*Pater Latiæ facundia linguæ.* 171.a

I. DE PONT.

*Romanæ facundia Maxime linguæ.* 155.b

XII. META.

*O facunde ſenex, æui prudentia noſtri.* 150.b

IIII. DE PONTO.

*Pieridum lumen, præſidiumq; fori.* 108.b

III. FAST.

*Græcia facundum, ſed malè forte genus.* 30.a

TIBVL. IIII.

*Nam ſeu diuerſi fremat inconſtantia vulgi,*

*Non alius ſedare queat: ſeu iudicis ira*
*Sit placanda, tuis poterit miteſcere verbis.*

## AB INGENIO.

II. DE PONT.

*Nec regum quiſquam magis eſt inſtructus ab illis,*
*Mitibus aut ſtudijs tempora plura dedit.*
*Carmina teſtantur, quæ, ſi tua nomina demas,*
*Threïcium iuuenem compoſuiſſe negem.*
*Neúe ſub hoc tractu vates foret vnicus Orpheus,*
*Biſtonis ingenio terra ſuperba tuo eſt.* 177.b

I. AMOR.

*Si me non veterum commendant magna parentum*
*Nomina, ſi noſtri ſanguinis auctor eques:*
*Nec meus innumeris renouatur campus aratris,*
*Temperat & ſumptus parcus vterq; parens:*
*At Phœbus, comitesq; nouem, vitisq; repertor,*
*Hoc faciunt.* 70.b

II. TRIST.

*Sit quoq; noſtra domus vel cenſu parua, vel ortu,*
*Ingenio certè non latet illa meo.* 103.b

VIII. META.

*Dædalus ingenio fabræ celeberrimus artis.* 96.a

II. TRIST.

*Grauis Ennius ore,*
*Ennius ingenio maximus, arte rudis.* 109.a

VI. META.

*Non illa loco, nec origine gentis*
*Clara, ſed arte fuit.* 67.a

Valgius

TIBVL. III.

*Valgius æterno propior non alter Homero.* 72. b

PROPERT. I.

*Atq; ita ſim felix, primo contendis Homero,*
*Sint modò fata tuis mollia carminibus.* 82. b

IBIDEM.

*Cùm tibi præſertim Phœbus ſua carmina donet,*
*Aoniamq́; libens Calliopeia lyram.*
*Vnica nec deſit iucundis gratia verbis,*
*Omnia quæq; Venus, quæq; Minerua probat.* 80. a

## A STVDIIS.

II. META.

*Furtum ingenioſus ad omne,*
*Qui facere aſſuêrat, patriæ non degener artis,*
*Candida de nigris, & de candentibus atra.* 139. b

XIIII. META.

*Qua nulla Latinas*
*Inter Hamadryadas coluit ſolertius hortos,*
*Nec fuit arborei ſtudioſior altera fœtus.* 185. a

V. META.

*Nec me ſtudioſius altera ſaltus*
*Legit, nec poſuit ſtudioſius altera caſſes.* 65. a

XIIII. META.

*Picus in Auſonijs proles Saturnia terris,*
*Rex fuit, vtilium bello ſtudioſus equorum.* 180. a

II. AMOR.

*Ecce tuum ſolers caput exornare Cypaßis,*
*Obijcitur dominæ contemeraſſe thorum.*

*Adde quòd ornandis operoſa eſt illa capillis,*
*Et tibi per doctas grata miniſtra manus.* 88.a

I. AMOR.

*Colligere incertos & in ordine ponere crines*
*Docta, nec ancillas inter habenda Nape.*
*Inq́ miniſterijs furtiuæ cognita noctis,*
*Vtilis, & dandis ingenioſa notis.* 79.a

II. AMOR.

*Ponendis in mille modis perfecta capillis,*
*Comere ſed ſolas digna Cypaſsi deas.*
*Et mihi iucundo non ruſtica cognita furto,*
*Apta quidem dominæ, ſed magis apta mihi.*

IX. META.

*Vna miniſtrarum media de plebe Galanthis,*
*Flaua comas aderat faciendis ſtrenua iuſsis,*
*Officijs dilecta ſuis.* 133.b

III. FAST.

*Pauper, ſed multæ ſedulitatis anus.* 39.b

TIBVLL. IIII.

*Quàmuis illa foret Solis genus, apta vel herbis,*
*Aptaq́ vel cantu veteres mutare figuras.* 70.b

## A NOBILITATE virtuti coniuncta.

III. DE PON.

*Conueniens animo genus eſt tibi: nobile namq́*
*Pectus & Herculeæ ſimplicitatis habes.*
*Mens tua ſublimis ſupra genus eminet ipſum,*
*Grandius ingenio nec tibi nomen ineſt.* 186.a

*Maxime,*

II. DE PON.

*Maxime, qui claris nomen virtutibus æquas,*
*Nec ſinis ingenium nobilitate premi.* 169.b

IIII. TRIST.

*O qui nominibus cùm ſis generoſus auitis,*
*Exuperas morum nobilitate genus.* 130.a

I. DE PON.

*Et geminas animi nobilitate genus.* 154.b

II. DE PON.

*Nec vigor eſt Druſi nobilitate minor.* 168.b

IBIDEM.

*Qui non inferior nobilitate fuit.* 171.a

I. DE PON.

*Ille memor magni generis, virtute quod auget.* 163.b

## A PVDICITIA ET fide coniugali.

III. TRIST.

*Nam tibi cum facie mores natura pudicos,*
*Et raras dotes ingeniumq́; dedit.* 118.a

III. DE PON.

*Quæ præſtat virtute ſua, ne priſca vetuſtas*
*Laude pudicitiæ ſecula noſtra premat.*
*Quæ Veneris formam, mores Iunonis habendo,*
*Sola eſt cœleſti digna reperta thoro.* 181.b

IIII. DE PON.

*Eſſe pudicarum te Veſtam Liuia matrum,*
*Ambiguum nato dignior, an ne viro.* 205.b

II. FAST.

*Lacrimæ*

*Lacrimæ decuêre pudicam,*
*Et facies animo dignaq́; parq́; fuit.* 26.b

IIII. FAST.

*Nec facies impar nobilitate fuit,*
*Caſta quidem, ſed non eſt credita.* 48.b

VI. FAST.

*Martia ſacrifico deductum nomen ab Anco,*
*In qua par facies nobilitate fuit.*
*Par animo quoq; forma ſuo reſpondit in illa,*
*Et genus & facies ingeniumq́; ſimul.*
*Nec quòd laudamus formam, tu turpe putaris,*
*Laudamus magnas hac quoq; parte deas.*
*Nupta fuit quondam matertera Cæſaris illi,*
*O decus, ô ſacra fœmina digna domo.* 85.a

AD LIVIAM.

*Fœmina digna illis quas aurea condidit ætas,*
*Principibus natis, principe digna viro.* 225.b

XIIII. MET.

*O & de Latio, ô & de gente Sabina*
*Præcipuum matrona decus digniſsima tanti*
*Ante fuiſſe viri coniunx.* 188.b

VII. META.

*Mutua cura duos & amor ſocialis habebat,*
*Nec Iouis illa meo thalamos præferret amori,*
*Nec me quæ caperet, non ſi Venus ipſa veniret,*
*Vlla erat, æquales vrebant pectora flammæ.* 92.b

I. TRIST.

*Nec probitate tua prior eſt aut Hectoris vxor,*
*Aut comes extincto Laodamia viro.*

*Tu ſi*

*Tu ſi Mæonium vatem ſortita fuiſſes,*
*Penelopes eſſet fama ſecunda tuæ.*
*Hei mihi non magnas quòd habent mea carmina vi-*
*Noſtraq; ſunt meritis ora minora tuis. (res,*
*Prima locum ſanctas Heroidas inter haberes,*
*Prima bonis animi conſpicerere tui.* 97. a

Vide eam totam elegiam, quæ incipit, *Nec tantum Clario.*

III. TRIST.

*Coniugis ante oculos, ſicut præſentis, imago eſt:*
*Illa meos caſus ingrauat, illa leuat. (rem,*
*Ingrauat hæc, quòd abeſt: leuat hæc, quòd præſtat amo*
*Impoſitumq; ſibi firma tuetur onus.* 116. a

PROPERT. IIII.

*Nec mea mutata eſt ætas, ſine crimine tota eſt:*
*Viximus inſignes inter vtramq; fidem.*
*Mî natura dedit leges à ſanguine ductas,*
*Ne poßim melior iudicis eſſe metu.* 148. b

## A BONIS CORPORIS.

## A FORMA.

### PVERORVM.

X. META.

*Laudaret faciem liuor quoq;, qualia namq;*
*Corpora nudorum tabula pinguntur amorum,*
*Talis erat, ſed ne faciat diſcrimina cultus,*
*Aut huic adde leues, aut illis deme pharetras.* 130. b

*Spectat*

III. META.

*Spectat humi poſitus geminum ſua lumina ſidus,*
*Et dignos Baccho digitos, & Apolline crines,*
*Impubesq́ genas, & eburnea colla, decusq́*
*Oris, & in niueo miſtum candore ruborem.* 36.b

II. DE PON.

*Surgit Iüleo iuuenis cognomine dignus,*
*Qualis ab Eois Lucifer ortus aquis.* 173.b

IIII. FAST.

*Phryx puer in ſiluis facie ſpectabilis altis.* 47.a

X. META.

*Ante alios Cæa pulcherrime gentis*
*Gratus erat Cypariſſe tibi.* 124.a

VIII. META.

*Talis erat cultu, facies, quam dicere verè*
*Virgineam in puero, puerilem in virgine poſſes.* 99.a

IX. META.

*Cultus erat pueri, facies quàm ſiue puellæ,*
*Siue dares puero, fieret formoſus vterq́.* 120.b

V. META.

*Egregius forma, quam diuite cultu*
*Augebat, bis adhuc octonis integer annis,*
*Indutus Tyriam chlamydem, quam lymbus obibat*
*Aureus: ornabant aurata monilia collum,*
*Et madidos myrrha curuum crinale capillos.* 56.b

V. FAST.

*Cùm ſatus eſt forma conſpiciendus Hyas.* 62.a

IIII. DE PONT.

*Tam mala Therſiten prohibebat forma latêre,*

Quàm

*Quàm pulchra Nireus conſpiciendus erat. 205.a*

XII. META.

*Barba erat incipiens, barba color aureus, aureaq́;*
*Ex humeris medios coma dependebat in armos:*
*Gratus in ore vigor, ceruix humerusq́; manusq́;*
*Pectoraq́; artificum laudatis proxima ſignis. 154.b*

## MVLIERVM.

III. META.

*Altior illis*
*Ipſa dea eſt, colloq́; tenus ſupereminet omnes,*
*Qui color infectis aduerſi ſolis ab ictu*
*Nubibus eſſe ſolet, aut purpureæ auroræ.*
*Is fuit in vultu viſæ ſine veſte Dianæ.*

IN LEANDRO.

*Quantùm cùm radijs fulges argentea puris,*
*Concedunt flammis ſidera cuncta tuis:*
*Tantò formoſis formoſior omnibus illa eſt. 50.a*

II. META.

*Quantò ſplendidior quàm cætera ſidera fulget*
*Lucifer, & quantò quàm Lucifer aurea Phœbe,*
*Tantò virginibus præſtantior omnibus Herſe*
*Ibat, eratq́; decus pompæ comitumq́; ſuarum. 27.a*

IIII. META.

*Gentis odoriferæ quam formoſiſsima partu*
*Edidit Eurynome. ſed poſtquam filia creuit,*
*Quàm mater cunctas, tam matrem filia vicit. 45.b*

II. META.

*Quippe color niuis eſt, quam nec veſtigia duri*

Calca-

Calcauêre pedis, nec ſoluit aquaticus auſter. 29.a

IN ACONT.

Tu facis hoc oculiq́ tui, quibus ignea cedunt
Sidera, qui flammæ cauſa fuêre meæ.
Hoc faciunt flaui crines, & eburnea ceruix,
Quæq́ precor veniant in mea colla manus.
Et decor & vultus ſine ruſticitate pudentes,
Et Thetidis quales vix reor eſſe pedes. 57.a

## A PROCIS.

XII. MET.

Clara decôre fuit, proles Elatëia Cænis
Theſſalidum virgo pulcherrima, perq́ propinquas,
Perq́ tuas vrbes (tibi enim popularis Achille)
Multorum fruſtra votis optata procorum. 151.a

IIII. META.

Clariſsima forma,
Multorumq́ fuit ſpes inuidioſa procorum. 108.b

XI. META.

Quæ dotatiſsima forma
Mille procos habuit, bis ſeptem nubilis annis.

## A CVLTV.

VI. META.

Ecce venit magno diues Philomela paratu,
Diuitior forma. quales audire ſolemus
Naiadas & Dryadas medijs incedere ſyluis,
Si modò des illis cultus ſimilesq́ paratus. 74.b

III. FAST.

Vtq́

*Vtq́ꝫ domum intrauit Tyrios induta paratus.* 39.a

II. AMOR.

*Vtraqꝫ formoſa eſt, operoſa cultibus amba,*
*Artibus in dubio eſt hæc ſit an illa prior.*
*Pulchrior hac illa eſt, hæc eſt quoqꝫ pulchrior illa.* (90.a

II. FAST.

*Ibat odoratis humeros perfuſa capillis*
*Mæonis, aurato conſpicienda ſinu.* 17.a

V. FAST.

*Conſedit medio ſublimis olympo,*
*Aurea purpureo conſpicienda ſinu.* 60.a

VI. META.

*Ecce venit comitum Niobe celeberrima turba,*
*Veſtibus intexto Phrygijs ſpectabilis auro.* 69.b

## VARIA.

II. META.

*Ecce venit rutilis humeros protecta capillis*
*Filia Centauri.* 25.b

IIII. META.

*Nec in tota conſpectior vlla capillis*
*Pars fuit.* 55.a

VI. META.

*Et te flaua comas frugum mitiſsima mater.* 69.a

II. META.

*Pulchrior in tota, quàm Laryſſæa coronis,*
*Non fuit Aemonia.* 24.a

X. META.

*Nec dicere poſsis*

*Laude pedum, formaúe bono præſtantior eſſet.* 131. a

IIII. META.

*Pyramus & Thisbe, iuuenum pulcherrimus alter,*
*Altera quas oriens habuit prælata puellis.* 43. a

IN BRISEIDE.

*Inter Achæiadas longe pulcherrima matres.* 6. b

IX. META.

*Notiſſima forma*
*Oechalidum Dryope.* 114. a

IBIDEM.

*Inter Phæſtiadas quæ laudatiſſima forma*
*Dote fuit virgo.* 120. b

II. FAST.

*Forma placet, niueusq́; color, flauiq́; capilli,*
*Quiq́; aderat nulla factus ab arte decor.* 26. b

XFI. META.

*Cinctaq́; adeſt virgo matrumq́; nurumq́; caterua,*
*Præſignis facie.* 151. b

VI. FAST.

*Namq; pater Tulli Vulcanus, Ocriſia mater*
*Præſignis facie Corniculana fuit.* 82. a

III. FAST.

*Inter captiuas facie præſtante puellas,*
*Grata nimis Baccho filia regis erat.* 39. b

IX. META.

*Cognita Cyaneë præſtanti corpore nympha.* 116. a

XII. META.

*Qua nulla decentior inter*
*Semiferas altis habitauit fœmina ſyluis, &c.* 154. b

IN HELENA.

*Eſt quoq; (conſiteor) facies tibi rara.* 46.a

IN MEDEA.

*Hinc mihi, mater, abi, pompam pater inquit Iaſon*
*Ducit, & adiunctos aureus vrget equos.*

II. DE REMED.

*Mouit amor gemmatas aureus altas.* 153.b

III. META.

*Fons erat illimis, nitidis argenteus vndis.* 36.a

IBIDEM.

*Impubesq; genas & eburnea colla.* 36.b

IIII. FAST.

*Aurea marmorea redimicula demite collo.* 45.b

I. DE ARTE.

*Fortè ſub vmbroſis nemoroſæ vallibus Idæ,*
*Candidus armenti gloria taurus erat:*
*Signatus tenui media inter cornua nigro,*
*Vna fuit labes, cætera lactis erant.* 117.b

IN PARIDE.

*Pectora vel niuibus puris, vel lacte, tuamq;*
*Complexo matrem candidiora niue.* 42.b

TIBVL. II.

*Non illo quicquam formoſius vlla priorum*
*Aetas, humanum nec videt illud opus.*
*Intonſi crines longa ceruice fluebant,*
*Stillabat Tyrio myrtea rore coma.*

PROPERT. II.

*Nec de more comæ per leuia colla fluentes,*
*Non oculi geminæ ſidera noſtra faces.*

*Nec ſi qua Arabico lucet bombyce puella.* 93.a

III.

*Eſt tibi forma potens, ſunt caſtæ Palladis artes,*
*Splendidaq́; à docto fama refulget auo.* 129.a

II.

*Fulua coma eſt, longæq́; manus, & maxima toto*
*Corpore.* 92.b

## A CORPORE.

XII. MET.

*Membris & corpore Latreus*
*Maximus.* 115.b

XIIII. META.

*Hîc hominum cunctis ingenti corpore præſtans*
*Iapetionides Atlas fuit.* 52.b

XII. META.

*Summis extantem Riphea ſyluis,*
*Tæreaq́; Aemonijs qui prenſos montibus vrſos*
*Ferre domum viuos indignantesq́; ſolebat.* 153.b

## A BONIS EXTERNIS.

### AB EQVITANDI pugnandiq́; peritia.

VIII. META.

*At gemini nondum cœleſtia ſidera fratres,*
*Ambo conſpicui, niue candidioribus ambo*
*Vectabantur equis: ambo vibrata per auras*
*Haſtarum tremulo quatiebant ſpicula motu.* 99.b

Tynda-

V. FAST.

*Tyndaridæ fratres, hic eques, ille pugil.* 71. a

VIII. MET.

*Tyndaridæ gemini præſtantes, ceſtibus alter,*
*Alter equo.* 98. b

III. TRIST.

*Hoſtis equo pollens, longeq́ volante ſagitta.* 121. a

III. FAST.

*Et vel equo magnus, vel pede maior erat.* 58. a

PROPERT. III.

*Qualis & Eurotæ Pollux & Caſtor harenis,*
*Hic victor pugnis, ille futurus equis.* 125. b

IIII.

*Idem eques & frenis, idem fuit aptus aratris.* 146. a

## A GENERIS NObilitate.

I. FAST.

*Euander, qui quanquam clarus vtroq;,*
*Nobilior ſacræ ſanguine matris erat.* 9. b

IN HEROID.

*Nobilis ille quidem eſt, & clarus origine.* 55. a

III. DE PONT.

*Quæ ſuperat Scythicas nobilitate nurus.*

II. DE PONT.

*Regia progenies, cui nobilitatis origo.*
*Nomen in Eumolpi peruenit vſq;, Cotys.* 177. a

IBIDEM.

*O Coty progenies digna parente tuo.* 177. b

IIII. DE PONTO.

*Alpinis iuuenis regibus orte.* 197.b

III. DE PON.

*O ſidus Fabiæ Maxime gentis.* 184.b

IIII. DE PON.

*Fabiæ laus maxima gentis.* 196.b

XII. META.

*Lapithææ gloria gentis*
*Maxime vir.* 156.b

II. DE PONTO.

*Secli decus admirabile noſtri.* 176.a

IIII. TRIST.

*Si quid eſt, vſq; à proauis vetus ordinis hæres,*
*Non modò fortunæ munere factus eques.* 235.a

IIII. DE PONT.

*Seu genus excutias, equites ab origine prima*
*Vſq; per innumeros inueniemur auos.* 198.b

TIBVL. IIII.

*Paruæ magnum decus vrbis Vlyſſem.* 70.b

PROPER. III.

*Mecœnas eques, Hetruſco de ſanguine regum.* 120.b

## A CELEBRITATE nominis.

VIII. META.

*Sparſerat Argolicas nomen vaga fama per vrbes*
*Theſeos.* 98.a

II. FAST.

*Nomen*

*Nomen Arionium Siculas impleuerat vndas.* 15.b

III. DE PON.

*Regna Thoas habuit Mæotide clarus in ora,*
*Nec fuit Euxinis notior alter aquis.* 183.b

VI. FAST.

*Nomine quàm precio celebratior.* 77.b

III. META.

*Ille per Aonias fama celeberrimus vrbes.* 35.b

IN OENONE.

*Pegaſis Oenone Phrygijs celeberrima ſiluis.* 11.a

V. META.

*Inter Sycelidas Cyane celeberrima nymphas.* 62.b

XI. META.

*Carmine vocali clarus, citharaq́; Philammon.* 139.b

## A DIVITIIS.

IIII. META.

*Mille greges illi, totidemq́; armenta per herbas*
*Errabant, & humum vicinia nulla premebat.*
*Arboreæ frondes auro radiante nitentes:*
*Ex auro ramos, ex auro poma tegebant.*

V. META.

*Dorylas ditiſsimus agri,*
*Diues agri Dorylas, quo non poſſederat alter*
*Latius, aut totidem tollebat farris aceruos.* 52.b

III. FAST.

*Opum diues rex ibi Battus erat.* 38.a

VI. META.

*Quèm ſibi Pandion opibusq́; virisq́; potentem,*

*Et genus à magno ducentem ſortè Gradiuo,*
*Connubio Prognes iunxit.* 74.a

## A VARIIS REBVS.

I. TRIST.

*Quæ de ſeptem totum circumſpicit orbem*
*Montibus, imperij Roma deûmq́ locus.* 96.b

II. META.

*Tritonida conſpicit arcem,*
*Ingenijsq́ opibusq́, & facta pace virentem.* 28.a

V. FAST.

*Gens fuit, & campis, & equis, & tuta ſagittis,*
*Et circumfuſis inuia fluminibus.* 69.a

IN PARIDE.

*Nec minor eſt Aſiæ, quàm veſtræ copia terræ,*
*Illa viris diues, diues abundat equis.* 44.a

IIII. FAST.

*Frigida Carſeolis, nec oliuis apta ferendis*
*Terra, ſed ad ſegetes ingenioſus ager.* 54.b

IIII. DE PON.

*Nam dubium poſitu melius defenſa, manuúe,*
*Vrbs erat in ſummo nubibus æqua iugo.* 198.a

IN LAOD.

*Claſſe virisq́ potens.* 34.a

VII. META.

*Qui quanquam milite, quanquam*
*Claſſe valet.* 86.b

IN PARIDE.

*Armis inſtructa virisq́.* 43.b

*Sic ma.*

XV. META.

*Sic magna fuit cenſuq́ʒ virisq́ʒ.* 196. a

PROPER. III.

*Septem vrbs alta iugis toto quæ præſidet orbi.* 123. a

I.

*Proxima ſuppoſito contingens Vmbria campo,*
*Me genuit, terris fertilis vberibus.* 91. a

III.

*Armis apta magis tellus, quàm commoda noxæ.* 130. b

# II.

# VITVPERANDI.

## HOMINEM.

I. FAST.

*Cacus Auentinæ timor atqʒ infamia ſiluæ,*
*Non leue finitimus hoſpitibusq́ʒ malum.*
*Dira viro facies, vires pro corpore, corpus*
*Grande.* 11. a

II. FAST.

*Vltima Tarquinius Romanæ gentis habebat*
*Regna, vir iniuſtus.* 25. b

III. FAST.

*Contemptor Amulius æqui.* 29. a

VIII. MET.

*Deorum*
*Spretor erat, mentiſq́ʒ ferox Ixione natus.* 1[illegible]4. a

XIII. META.

*Immitis & ipſis*

 *Horren-*

*Horrendus ſiluis, & viſus ab hoſpite nullo*
*Impunè, et magni cum dijs contemptor olympi.* 171.a

III. META.

*Contemptor ſuperûm Pentheus.* 38.a

V. META.

*Primus in his Phineus belli temerarius auctor.* 55.b

VIII. MET.

*Pater huius erat, qui numina diuûm*
*Sperneret, & nullos aris adoleret honores.* 106.a

I. META.

*Sed & illa propago,*
*Contemptrix ſuperûm, ſæuæq; auidiſsima cædis,*
*Et violenta fuit.* 4.b

V. META.

*Cæco genitore infamis Agyrtes.* 58.a

## REGIONEM.

I. TRIST.

*Barbara pars læua eſt, auidæ ſubſtructa rapinæ,*
*Quam cruor & cædes bellaq; ſemper habent.*
*Cumq; ſit hibernis agitatum fluctibus æquor,*
*Pectora ſunt ipſo turbidiora mari.* 101.b

II. DE PON.

*Nulla Getis toto gens eſt truculentior orbe.* 174.b

III. DE PON.

*Quo nulla ferocior ora eſt.* 184.a

## TERRAM.

III. TRIST.

*Non*

*Non hîc Pampinea dulcis latet vua ſub vmbra,*
*Nec cumulant altos feruida muſta lacus.*
*Poma negat regio, nec haberet Acontius, in quo*
*Scriberet hîc dominæ verba legenda ſuæ.*
*Aſpiceres nudos ſine fronde, ſine arbore campos.* 121. b

I. DE PONT.

*Non ager hic pomum, non dulces educat vuas,*
*Non ſalices ripa, robora monte virent.* 158. b

III. DE PON.

*Non hîc pampineis amicitur vitibus vlmus,*
*Nulla premunt ramos pondere poma ſuo.* 191. a

I. DE PON.

*Nos habeat regio, nec pomis fœta nec vuis.* 162. a

III. DE PON.

*Rara, nec hæc felix, in apertis eminet aruis*
*Arbor.* 180. a

## III.
## OFFICII IN SE COLlati commemoratio.

III. TRIST.

*Vidi ego confuſos vultus, viſosq́ notaui,*
*Osq́ madens fletu, pallidiusq́ meo.*
*Et lacrimas cernens in ſingula verba cadentes,*
*Ore meo lacrimas, auribus illa bibi.*
*Brachiaq́ excepti mœſto pendentia collo,*
*Et ſingultatis oſcula miſta ſonis.*
*Sum quoq́ care tuis defenſus viribus abſens,*
*Scis Carum veri nominis eſſe loco.* 116. b

IBI-

IBIDEM.

*Vidi ego te tali vultu mea fata gementem,*
*Qualem credibile eſt ore fuiſſe meo.*
*Noſtra tuas vidi lacrimas ſuper ora cadentes,*
*Tempore quas vno fidaq́ verba bibi.*
*Nunc quoq́ ſummotum ſtudio defendis amicum,*
*Et mala vix vlla parte leuanda leuas.* 115.b

I. DE PONTO.

*Illum ego non aliter flentem mea funera vidi,*
*Ponendus quàm ſi frater in igne foret.*
*Hæſit in amplexu, conſolatusq́ iacentem eſt,*
*Cumq́ meis lacrimas miſcuit ipſe ſuas.*
*O quoties vitæ cuſtos inuiſus amaræ,*
*Continuit promtas in mea fata manus.* 165.a

I. TRIST.

*Attonitum qui me memini chariſsime primus*
*Auſus es alloquio ſuſtinuiſſe tuo.*
*Qui mihi conſilium viuendi mite dediſti,*
*Cùm foret in miſero pectore mortis amor.* 95.a

V. TRIST.

*Cumq́ alij fugerent ſubitæ contagia cladis,*
*Nec vellent ictæ limen adire domus.*
*Te ſibi cum paucis meminit manſiſſe fidelem,*
*Si paucos aliquis tresúe duosúe vocat.*
*Quamuis attonitus ſenſit tamen omnia, nec te*
*Se minus aduerſis indoluiſſe ſuis.*
*Verba ſolet, vultumq́ tuum, gemitusq́ referre,*
*Et te flente ſuos demaduiſſe ſinus.*
*Quam ſibi præſtiteris, qua conſolatus amicum*

Sis

*Sis ope, ſolandus cùm ſimul ipſe fores.* 141.b

I. TRIST.

*Te mea ſuppoſita veluti trabe fulta ruina eſt:*
*Si quid adhuc ego ſum, muneris omne tui eſt.*
*Tu facis, vt ſpolium ne ſim, nec nuder ab illis,*
*Naufragij tabulas qui petiêre mei.* 96.b

V. TRIST.

*Cumq́; perhorreret caſus pars maxima noſtros,*
*Pars etiam credi pertimuiſſe velit:*
*Naufragiumq́; meum tumulo ſpectaret ab alto,*
*Nec dederat nanti per freta ſæua manum:*
*Seminecem Stygia reuocaſti ſolus ab vnda:*
*Hoc quoq; , quod memores poſſumus eſſe, tuũ eſt.*

II. DE PON. (146.a

*Firmus es, & quoniam non ſunt hæc qualia velles,*
*Vela regis quaſſæ qualiacunq; ratis.*
*Quæq; ita concuſſa eſt, vt iam caſura putetur,*
*Reſtat adhuc humeris fulta ruina tuis.* 170.b

V. TRIST.

*Quippe mea eſt humeris fulta ruina tuis.*
*Qui mihi cùm dederis ingentia pignora, cumq́;*
*Per numeros omnes huc tueare caput.* 149.a

IIII. TRIST.

*Cuius ab alloquijs anima hæc moribunda reuixit,*
*Vt vigil infuſa Pallade flamma ſolet.*
*Qui veritus non es portus aperire fideles,*
*Fulmine percuſſæ confugiumq́; rati:*
*Cuius eram cenſu non me cenſurus egentem,*
*Si Cæſar patrias eripuiſſet opes.* 131.b

*Te ſibi,*

IIII. DE PONT.

*Te ſibi, cùm fugeret, memori ſolet ore referre,*
*Barbariæ tutas exhibuiſſe vias.*
*Sanguine Biſtonium quòd non tepefecerit enſem,*
*Effectum cura pectoris eſſe tui.*
*Addita præterea vitæ quoq; multa tuendæ*
*Munera, ne proprias attenuaret opes.* 196.b

IBIDEM.

*Nunquam pigra fuit noſtris tua gratia rebus,*
*Nec mihi munificas arca negauit opes.*
*Nunc quoq; nil ſubitis clementia territa fatis,*
*Auxilium vitæ fertq́; refertq́; meæ.* 193.a

I. DE PON.

*Qui mihi præſidium grande futurus eras:*
*Tecum nunc aberant ægræ ſolatia mentis,*
*Magnaq́; pars animi conſilijq́; mei.*
*At nunc quod ſupereſt, fer opē precor eminus vnam,*
*Alloquioq́; iuua pectora noſtra tuo.* 161.b

II. DE PON.

*Grande voco meritum lacrimas, quibus ora rigabas,*
*Cùm mea concreto ſicca dolore forent.*
*Grande voco meritum mœſtæ ſolatia mentis,*
*Cùm pariter nobis illa tibiq́; dares.* 179.b

IIII. DE PON.

*Nam cùm præſtiteris verum mihi ſemper amorem,*
*Hic tamen aduerſo tempore creuit amor.*
*Quiq́; tuas pariter lacrimas noſtraſq́; videret,*
*Paſſuros pœnam crederet eſſe duos.* 197.a

II. DE PON.

*Te nihil*

*Te nihil exacto, niſi nos peccaſſe fatentem,*
*Sponte ſua probitas officiumq́ iuuat.*
*Iudice te mercede caret, per ſeq́ petenda eſt,*
*Externis virtus incomitata bonis.*
*Turpe putas abici, quia ſit miſerandus, amicum,*
*Quodq́ ſit infelix deſinere eſſe tuum.*
*Mitius eſt laſſo digitum ſupponere mento,*
*Mergere quàm liquidis ora natantis aquis.* 170. b

IBIDEM.

*Reſpicis antiquum lapſis in rebus amicum,*
*Fomentisq́ iuuas vulnera noſtra tuis.* 171. b

IIII. DE PON.

*Tu quoq́ enim, memini, cœleſti cuſpide facta,*
*Fouiſti lacrimis vulnera noſtra tuis.* 203. b

I. DE PONTO.

*Vnda locusq́ nocent, & cauſa valentior iſtis,*
*Anxietas animi, quæ mihi ſemper adeſt.*
*Hanc niſi tu pariter ſimili cum fratre leuares,*
*Vix mens triſticiæ noſtra tuliſſet onus.*
*Vos eſtis fractæ tellus non dura faſelo,*
*Quamq́ negant multi, vos mihi fertis opẽ.* 166. a

III. DE PONT.

*Cumq́ lubent alij, iactataq́ vela relinquant:*
*Tu laceræ remanes ancora ſola rati.* 182. b

II. DE PON.

*Rem facis, afflictum non auerſatus amicum,*
*Qua non eſt æuo rarior vlla tuo.* 170. a

IIII. DE PON.

*Tempora nam miſeræ complectar vt omnia vitæ,*

*A' meri-*

*A' meritis eius pars mihi nulla vacat.* 207.a

# IIII.

## OFFICIORVM SE memorem promittendi.

V. TRIST.

*Pro quibus affirmat fore ſe memoremq́ꝫ, piumq́ꝫ,*
*Siue diem videat, ſiue tegatur humo.*
*Per caput ipſe ſuum ſolitus iurare, tuumq́ꝫ,*
*Quod ſcio non illi vilius eſſe ſuo.*
*Plena tot ac tantis referatur gratia factis,*
*Nec ſinet ille tuos littus arare boues.* 141.b

IIII. DE PON.

*Semper inoblita repetam tua munera mente,*
*Et mea me tellus, audiet eſſe tuum.*
*Audiet & cœlo poſita eſt quæcunqꝫ ſub vllo.* 207.b

IBIDEM.

*Pro quibus vt meritis referatur gratia, iurat*
*Se fore mancipium tempus in omne tuum.* 196.b

III. TRIST.

*Quamuis in cinerem corpus mutauerit ignis,*
*Sentiet officium mœſta fauilla pium.* 115.a

V. TRIST.

*Dumq́ꝫ (quod ô breue ſit) lumen vitale videbo,*
*Seruiet officio ſpiritus iſte tuo.* 146.b

IIII. DE PONT.

*Si quid adhuc igitur viui Germanice noſtro*
*Reſtat in ingenio, ſeruiat omne tibi.* 199.b

Hei

I. TRIST.

*Hei mihi, non magnas quòd habent mea carmina vires,*
*Noſtraq́ ſunt meritis ora minora tuis.*
*Quantumcunq́ tamen præconia noſtra valebunt,*
*Carminibus viues tempus in omne meis.* 97. a

II. DE PON.

*Quoniam laudem pietate mereris,*
*Non erit officij gratia ſurda tui.*
*Crede mihi, noſtrum ſi non mortale futurum eſt*
*Carmen, in ore frequens poſteritatis eris.* 174. a

III. DE PON.

*Vos etiam ſeri laudabunt ſæpe nepotes,*
*Claraq́ erit ſceptris gloria veſtra meis.* 183. a

IIII. DE PONT.

*Da mihi, ſi quid ea eſt, hebetantem pectora Lethen,*
*Oblitus potero non tamen eſſe tui.* 192. b

III. TRIST.

*Quæ pro te vt foueam, miti pietate mereris:*
*Hæſuraq́ mihi tempus in omne fide.* 115. b

I. TRIST.

*Hæc mihi ſemper erunt imis infixa medullis,*
*Perpetuusq́ animi debitor huius ero.* 95. b

IN IBIN.

*Huic igitur meritas grates, vbicunq́ licebit*
*Pro tam manſueto pectore ſemper agam.* 209. a

IIII. DE PON.

*Vt iam nil præſtes, animi ſum factus amici*
*Debitor.* 198. b

IBIDEM.

*Veſtri non immemor vnquam,*
*Qui mala ſollicitè noſtra leuatis, ero.* 197.b

XIIII. META.

*Nec vnquam*
*Eſſe ſatis potero, præſtem licet omnia, gratus.* 177.b

III. FAST.

*Multa tibi memores, nil non debemus Eliſſe,*
*Nomine grata tuo, grata ſororis eris.* 39.a

XIIII. META.

*Nec verba locuti*
*Vlla priora ſumus, quàm nos teſtantia gratos.* 179.b

IIII. DE PON.

*Non potuit mea mens, eſſet quin grata, teneri.* 192.b

III. DE PONTO.

*Nec, ſi vis vera fateri,*
*Debetur meritis gratia nulla meis.* 181.a

IN ARIADNE.

*Debita ſit facto gratia nulla meo.* 27.a

II. DE PONT.

*Et talis meriti gratia maior erit.* 169.b

IBIDEM.

*Accedit cumulus gratia noſtra leuis.* 172.b

I. AMOR.

*Gratia pro rebus meritò debetur inemptis.* 78 b

## V.

## PRIVS MORIAR.

I. TRIST.

*Spiritus*

*Spiritus hic vacuas prius extenuandus in auras*
*Ibit, & in tepido deſeret oſſa rogo:*
*Quàm ſubeant animo meritorum obliuia noſtro,*
*Et longa pietas excidat iſta die.* 95. b

V. TRIST.

*Spiritus hic, Scythica quem non bene ducimus aura,*
*Quod cupio, membris exeat antè meis:*
*Quàm tua delicto ſtringantur pectora noſtro,*
*Et videar meritò vilior eſſe tibi.* 143. b

IN MEDEA.

*Spiritus antè meus tenues vaneſcat in auras,*
*Quàm thalamo, niſi tu, nupta ſit vlla meo.* 31. a

II. DE PONT.

*Et prius hanc animam vacuas reddemus in auras,*
*Quàm fiat meriti gratia vana tui.* 179. a

IN IBIN.

*Finiet illa dies, quæ te mihi ſubtrahet olim:*
*Finiet illa dies, quæ mihi tarda venit.*
*Et prius hanc animam nimium tibi ſæpe petitam,*
*Auferet illa dies, quæ mihi ſera venit:*
*Quàm dolor hic vnquam ſpacio euaneſcere poßit,*
*Leniat aut odium tempus & hora meum.* 211. a

III. DE PON.

*Tunc igitur meriti morietur gloria veſtri,*
*Cùm cinis abſumpto corpore factus ero.*
*Fallor, & illa meæ ſuperabit tempora vitæ,*
*Si tamen à memori poſteritate legar.* 183. a

IBIDEM.

*Ipſe quidem Getico peream violatus ab arcu,*

*Et ſit periuri quàm prope pœna vides:*
*Te niſi momentis video penè omnibus abſens.* 189.a

II. DE PONTO.

*Nominis antè mei venient obliuia nobis:*
*Pectore quàm pietas ſit tua pulſa meo.* 179.a

I. AMOR.

*Antè vel à membris diuidar ipſe meis.* 73.a

I. TRIST.

*Diuidor haud aliter, quàm ſi mea membra relinquã,*
*Et pars abrumpi corpore viſa ſuo eſt.* 94.a

V. TRIST.

*Hinc ego dum muter, vel me Zanclea Charybdis*
*Deuoret, atq; ſuis ad Styga mittat aquis:*
*Vel rapidis flammis vrar patienter in Aetnæ,*
*Vel freta Leucadij mittar in alta Dei.* 140.a

IN BRISEIDE.

*Deuorer antè precor ſubitò telluris hiatu,*
*Et rutilo miſſi fulminis igne cremer.* 6.b

IN HELENA.

*Terra precor vultus obruat antè meos.* 48.a

II. DE PONT.

*Nam caput à noſtra citius ceruice recedat,*
*Et patiar foſſis lumen abire genis.* 176.b

IN PARIDE.

*Antè receſſiſſet caput hoc ceruice cruenta.* 40.b

V. TRIST.

*Priusq;*
*Veniſſet mallem funeris hora mihi.* 147.b

III. META.

*Antè*

*Antè ait emoriar, quàm ſit tibi copia noſtri.*

PROPER. II.

*Nam citius paterer caput hoc diſcedere collo.* 95. b

## VI.

## ACCEPTAE CAlamitatis.

I. TRIST.

*Cùm ſtetimus, turbæ quantum ſatis eſſet, habebas,*
*Nota quidem, ſed non ambitioſa domus:*
*At ſimul impulſa eſt, omnes timuêre ruinam,*
*Cautaq́ꝫ communi terga dedêre fugæ.* 99. a

II. TRIST.

*Cùm cœpit quaſſata domus ſubſidere, partes*
*In proclinatas omne recumbit onus.*
*Cunctaq́ꝫ fortuna rimam faciente dehiſcunt,*
*Ipſa ſuo quædam pondere tracta ruunt.* 103. a

I. DE PON.

*Cùm domus ingenti ſubitò mea lapſa ruina,*
*Concidit, in domini procubuitq́ꝫ caput.*
*Affuit ille mihi, cùm me pars magna reliquit*
*Maxime, fortunæ nec fuit ille comes.* 164. b

II. TRIST.

*Corruit hæc igitur, Muſis accepta ſub vno,*
*Sed non exiguo crimine, lapſa domus.* 103. b

## VII.

## IMPLORANDI AVXILII.

II. DE PONT.

*Regia, crede mihi, res eſt ſuccurrere lapſis.* 177.a

IIII. DE PONT.

*At tu per ſtudij communia fœdera ſacri,*
*Per non vile tibi nomen amicitiæ.*
*Quanta potes præbe noſtræ monumenta ſaluti.* 206.a

IBIDEM.

*Effice conſtanti profugum pietate tuendo,*
*Ne ſperata meam deſerat aura ratem.* 205.a

II. DE PONT.

*Conſtantiq́; fide veterem tueare ſodalem,*
*Quâ licet, & quantum non oneroſus ero.* 172.a

IBIDEM.

*Tu quoq; magnorum laudes admitte virorum:*
*Vtq́; facis, lapſo, quam potes, affer opem.* 170.b

IBIDEM.

*Quamq́; potes, profugo (nam potes) affer opem.*

I. TRIST. (177.a

*Quâ potes excuſa, nec amici deſere cauſſam,*
*Quo pede cœpiſti, ſic bene ſemper eas.* 100.a

III. DE PON.

*At tua ſupplicibus domus eſt aſſueta iuuandis,*
*In quorum numero me precor eſſe velis.* 186.a

II. DE PON.

*Cœpta tene quæſo, nec in æquore deſere nauem,*
*Meq́; ſimul ſerua iudiciumq́; tuum.* 175.b

IIII. DE PONT.

*Tu modò ſi quid agi ſperabis poſſe precando,*
*Quos colis exora ſupplice voce deos.* 198.b

Excipe

II. DE PON.

*Excipe naufragium non duro littore noſtrum. 177.a*

I. DE PONTO.

*Quamlibet exigua, ſi nos ea iuuerit, aura,*
*Obruta de medijs cymba reſurget aquis. 199.a*

III. DE PON.

*Sed tamen hoc factis adiunge prioribus vnum. 181.a*

IBIDEM.

*Lapſo ſuccurrere amico*
*Conueniens iſtis moribus eſſe puta. 184.b*

# VIII.

## IN HOMINEM ASPErum & immitem.

I. TRIST.

*Non ego te genitum placida reor vrbe Quirini:*
*Vrbe, meo quæ iam non adeunda pede eſt.*
*Sed ſcopulis Ponti, quos hæc habet ora, ſiniſtri,*
*Inq́ feris Scythiæ Sarmatiæq́ iugis.*
*Et tua ſunt ſilicis circum præcordia venæ,*
*Et rigidum ferri ſemina pectus habet.*
*Quæq́ tibi quondam tenero ducenda palato*
*Plena dedit nutrix vbera, Tigris erat. 98.b*

VIII. MET.

*Non genitrix Europa tibi eſt, ſed inhoſpita Syrtis,*
*Armeniæ tygres, auſtroq́ agitata Charybdis.*
*Nec Ioue tu natus, nec mater imagine tauri*
*Luſa tua eſt, generis falſa eſt ea fabula: verùm*

*Et ferus, & captus nullius amore iuuencæ,*
*Qui te progenuit, taurus fuit.* 95.b

IN DIDONE.

*Te lapis, & montes, innataq́; rupibus altis*
*Robora, te ſæuæ progenuêre feræ:*
*Aut mare, quale vides agitari nunc quoq; ventis.* 17.a

IN ARIADNE.

*Auctores ſaxa fretumq́; tui.* 27.a

III. TRIST.

*Natus es è ſcopulis, nutritus lacte ferino,*
*Et dicam ſilices pectus habere tuum.* 112.b

VII. META.

*Hoc ego ſi patiar, tum me de tygride natam,*
*Tum ferrū et ſcopulos geſtare in corde fatebor.* 97.b

IX. META.

*Neq; enim de Tygride natus,*
*Nec rigidos ſilices ſolidumúe in pectore ferrum,*
*Aut adamanta gerit, nec lac bibit ille leænæ.* 118.a

III. AMOR.

*Illa habet & ſilices, & durum in pectore ferrum,*
*Qui teneræ lacrimas lætus in ore videt.* 102.b

IIII. DE PON.

*Et quos tu ſilices, & quod chariſsime ferrum,*
*Duriciæ confers Albinouane meæ?* 102.b

I. AMOR.

*Nec ſilicum venæ, nec durum in pectore ferrum,*
*Sed tibi ſimplicitas ordine maior ineſt.* 79.a

IN PHYL.

*Duricia vt ferrum ſuperes, adamantaq́;, teq́;.* 5.a

IN

IN ARIAD.

*Vt te non regeres, pectore tutus eras.*
*Illuc tu ſilices, illuc adamanta tuliſti,*
*Illic qui ſilices Theſea vincat, habes.* 26.b

XIII. META.

*Sæuior illa freto ſurgente, cadentibus hœdis,*
*Durior & ferro eſt, quod Noricus excoquit ignis,*
*Ex ſaxo, quod adhuc viuum radice tenetur.* 186.b

IN BRISEIDE.

*Sis licet immitis, matrisq́ ferocior vndis.* 7.b

III. FAST.

*Aſperior quouis æquore frater erit.* 38.a

IN SAPPH.

*O ſcopulis vndaq́ ferocior.* 68.a

IN DIDONE.

*Vtinam mutabilis eſſes:*
*Et niſi duriçia robora vincis, eris.* 17.b

IN PHAED.

*Eris tauro ſæuior ipſa truci?* 11.a

IN CANACE.

*Vt ferus eſt, multoq́ ſuis truculentior Euris.* 27.b

III. TRIST.

*Sæuior es triſti Buſyride, ſæuior illo*
*Qui falſum lento torruit igne bouem.*
*Quiq́ bouem Siculo fertur donaſſe tyranno.* 122.a

IN BRISEIDE.

*Nec miſeram lenta ferreus vre mora.* 2.b

IN PHAED.

*Dabit victas ferreus ille manus.* 8.b

IIII. DE PON.

*Quæ niſi te moueant, duro tibi pectora ferro*
*Eſſe, vel inuicto clauſa adamante putem.* 104.b

IIII. META.

*Carceris ante fores clauſas adamante ſedebant.* 49.b

VII. META.

*Ecce adamanteis Vulcanum naribus efflant*
*Aeripides tauri.* 80.b

TIBVL. II.

*Nam te nec vaſti genuerunt æquora ponti,*
*Nec flammam voluens ore Chimæra fero.*
*Nec canis anguinea redimitus terga caterua,*
*Cui tres ſunt linguæ, tergeminumq́; caput.*
*Scyllaq́; virgineam canibus ſubnixa figuram,*
*Nec te conceptam ſæua leæna tulit.*
*Barbara nec Scythiæ tellus, horrendaúe Syrtis.* 67.b

I.

*Non tua ſunt duro præcordia ferro*
*Vincta, nec in tenero ſtat tibi corde ſilex.* 44.a

IBIDEM.

*Ah lapis eſt ferrumq́;, ſuam quicunq; puellam*
*Verberat, è cœlo diripit ille deos.* 56.b

II.

*Ferreus eſt eheu, quiſquis in vrbe manet.* 59.a

I.

*Quàm ferus, & verè ferreus ille fuit.* 55.b

PROPERT. I.

*Sit licet & ſaxo patientior illa Sicano,*
*Sit licet & ferro durior, & chalybe.* 88.a

IBI-

IBIDEM.

*Illis & ſilices & poſſunt cedere quercus,*
*Ne dum tu poßis ſpiritus iſte leuis.* 84. b

## IX.
## TREMORIS.

IN CANACE.

*Vt mare fit tremulum tenui cùm ſtringitur aura,*
*Vt quatitur tepido fraxina virga noto:*
*Sic mea vibrari pallentia membra videres,*
*Quaſſus ab impoſito corpore lectus erat.* 28. b

I. AMOR.

*Exanimes artus & membra trementia vidi,*
*Vt cùm populeas ventilat aura comas.*
*Vtq; leui Zephyro graciles vibrantur ariſtæ,*
*Summaúe cùm tepido ſtringitur vnda noto.* 74. b

IN HYPERM.

*Vtq; leui Zephyro graciles vibrantur ariſtæ,*
*Frigida populeas vt quatit aura comas:*
*Aut ſic, aut etiam tremui magis.* 36. b

I. DE ARTE.

*Horruit, vt ſteriles, agitat quas ventus, ariſtæ:*
*Vt leuis in madida canna palude tremit.* 122. a

IN ARIADNE.

*Corpus, vt impulſæ ſegetes Aquilonibus, horret.* 27. a

III. META.

*Effluxêre vndæ manibus, ſanguisq; reliquit* (30. b
*Corpus, & attonitos ſubitus tremor occupat artus.*

IN HYPER.

Cor

*Cor pauet admonitu temeratæ ſanguine noctis,*
*Et ſubitus dextræ præpedit oſſa tremor.* 36.a

IN OENONE.

*Attoniti micuêre ſinus, gelidusq́; cucurrit,*
*Vt mihi narraſti, dura per oſſa, tremor.* 11.b

XIIII. META.

*Me tremor inuaſit, ſtabā ſine ſanguine mœſtus.* 178.a

III. FAST.

*Terreor admonitu, corq́; tremore micat.* 29.a

II. META.

*Pauida trepidat formidine pectus.* 16.a

III. DE ARTE.

*Pulſantur trepidi corde micante ſinus.* 250.a

IX. META.

*Quin nunc quoq; frigidus artus,*
*Dum loquor, horror habet.* 113.b

XIIII. META.

*Me luridus occupat horror.* 178.a

III. FAST.

*Rex pauet, & vulgi pectora terror habet.* 33.b

XII. META.

*Pauor occupat illum,*
*Ante oculosq́; natant tenebræ.* 150.a

X. META.

*Gelidos nutricis in artus,*
*Oſſaq́; ſenſit enim, penetrat tremor, albaq́; toto*
*Vertice canicies rigidis ſtetit hirta capillis.* 129.a

I. FAST.

*Extimui, ſenſiq́; metu riguiſſe capillos,*

*Et geli-*

*Et gelidum ſubito frigore pectus erat.* 3.b

III. FAST.

*Corda micant regis, totoq́; è corpore ſanguis*
*Fugit, & hirſutæ diriguêre comæ.* 13.a

IN PARIDE.

*Obſtupui, gelidusq́; comas erexerat horror.* 39.a

VII. META.

*Pauido mihi membra timore*
*Horruerant, ſtabantq́; comæ.* 89.b

III. DE PONT.

*Pectora ſint nobis niuibus glacieq́; licebit,*
*Atq; hoc quem patior frigidiora loco.* 186.b

IN PENEL.

*Frigidius glacie pectus amantis erat.* 1.b

IN ARIADNE.

*Frigidior glacie, ſemianimisq́; fui.* 25.a

IX. META.

*Palles audita Bybli repulſa,*
*Et pauet obſeſſum glaciali frigore corpus.* 118.a

IN HYPERM.

*Sanguis abit, mentemq́; calor corpusq́; reliquit,*
*Inq́; nouo iacui frigida facta toro.* 36.b

X. META.

*Poplite ſucciduo genua intremuêre, fugitq́;*
*Et color et ſanguis, animusq́; reliquit euntem.* 129.b

XIIII. MET.

*Stabam ſine ſanguine mœſtus.* 178.a

IN DEIAN.

*Mens fugit admonitu, frigusq́; perambulat artus,*
*Et iacet*

*Et iacet in gremio languida facta manus.* 24.a

IN MEDEA.

*Pertimui, nec adhuc tantum ſcelus eſſe putabam,*
*Sed tamen in toto pectore frigus erat.* 66.b

IN SAPPH.

*Aſtrictum gelido pectore frigus erat.* 66.b

II. FAST.

*Gelidum pectora frigus habet.* 26.b

IN HERONE.

*Neſcio quæ pauidum frigora pectus habent.* 56.a

I. DE ARTE.

*Nullus in exanimi corpore ſanguis erat.* 122.a

V. META.

*Occupat obſeſſos ſudor mihi frigidus artus.* 66.a

IN BRISEIDE.

*Abijt corpusq; colorq;.* 8.a

IBIDEM.

*Hic mihi væ miſeræ concutit oſſa metus.* 7.a

IN PENEL.

*Vſq; metu micuêre ſinus.* 1.b

X.

PALLORIS.

III. DE ARTE.

*Palluit, vt ſeræ lectis de vite racemis*
*Palleſcunt frondes, quas noua læſit hyems.*
*Quæq; ſuos curuant matura Cydonia ramos,*
*Cornaq; adhuc noſtris non ſatis apta cibis.* 150.a

III. TRIST.

*Quiq;*

*Quiq́ per autumnum percuſsis frigore primò*
*Eſt color in folijs, quæ noua læſit hiems:*
*Is mea membra tenet.* 119. b

VI. FAST.

*Color oris erat, qui frondibus olim*
*Eſſe ſolet ſeris, quas noua læſit hiems.* 74. a

XI. META.

*Cui protinus intima frigus*
*Oſſa receperunt, buxoq́ ſimillimus ora*
*Pallor obit, lacrimisq́ genæ maduêre profuſis.* 141. b

IIII. META.

*Oraq́ buxo*
*Pallidiora gerens exhorruit.* 44. a

I. DE PONT.

*Membraq́ ſunt cæra pallidiora noua.* 166. a

VI. FAST.

*Horrueram, tacitoq́ animum pallore fatebar.* 72. a

VI. META.

*Horruit infelix, totoq́ expalluit ore.* 77. a

II. FAST.

*Illa timore*
*Pallet, & hoſtiles credit adeſſe manus.* 22. a

XIIII. META.

*Diriguêre oculi, calidusq́ è corpore ſanguis*
*Inducto pallore fugit.* 187. a

## XI.

## PLANCTVS.

VIII. MET.

*Imme-*

*Immemores decoris liuentia pectora tendunt:*
*Dumq́; manet corpus, corpus refouentq́; , fouentq́;.*
*Oſcula dant ipſi, poſito dant oſcula lecto*
*Poſt cinerem, cineres hauſtos ad pectora preſſant,*
*Effuſæq́; iacent tumulo, ſignataq́; ſaxo.*
*Nomina cõplexæ, lacrimas in nomina fundunt.* 102.b

IBIDEM.

*Alta iacet Calydon, lugent iuuenesq́; ſenesq́;,*
*Vulgusq́; proceresq́; gemunt, ſciſſæq́; capillos*
*Plangunt ora ſimul matres Calydonides: Oeneus*
*Puluere caniciem genitor, vultusq́; ſeniles*
*Fœdat, humi fuſus, ſpacioſumq́; increpat æuum.* 102.b

XIIII. MET.

*Nec ſatis eſt Nymphæ, flere & lacerare capillos,*
*Et dare plangorem: facit hæc tamen omnia, ſeq́;*
*Proripit, ac latos errat veſana per agros.*
*Sex illam noctes, totidem redeuntia ſolis*
*Lumina viderunt inopem ſomniq́; cibiq́;,*
*Per iuga per valles, quá ſors ducebat, euntem.* 181.b

VI. META.

*Mox vbi mens rediјt, paſſos laniata capillos,*
*Lugenti ſimilis, cæſis plangore lacertis.* 75.b

IN SAPPH.

*Poſtquam ſe dolor imminuit, nec pectora plangi,*
*Nec puduit ſciſsis exululare comis.* 66.b

III. AMOR.

*Sæua tamen ſcindens inimico pollice crinem.* 102.b

II. META.

*Et cæſa pectora palmis,*

Non

*Non auditurum miſeras Phaëthonta querelas*
*Nocte dieq; vocant, aſternunturq; ſepulchro.* 20.b

IIII. META.

*Dum ſolito tentat plangore ferire*
*Pectora.* 51.a

I. TRIST.

*Tunc verò exoritur clamor, gemitusq; meorum,*
*Et feriunt mœſtæ pectora nuda manus.* 94.a

IIII. FAST.

*Montes vlulatibus implent,*
*Et feriunt mœſta pectora nuda manu.* 51.a

III. FAST.

*Et ferit attonita pectora nuda manu.* 43.a

III. TRIST.

*Ecquid vbi audieris tota turbabere mente,*
*Et feries pauida pectora fida manu.* 114.a

XI. META.

*Percutit ora manu, laniatq; à pectore veſtes,*
*Pectoraq; ipſa ferit, nec crines ſoluere curat,*
*Scindit.* 145.b

III. AMOR.

*Aſpice demiſſis vt eat miſerabilis alis,*
*Pectoraq; infeſta tundat aperta manu.* 102.b

IBIDEM.

*Pectoraq; inſana tundis aperta manu.* 102.b

III. META.

*Sicut erant nudæ, viſo ſua pectora nymphæ*
*Percuſſere viro, ſubitisq; vlulatibus omne*
*Impleuere nemus.* 32.b

X. META.

*Deſilijt, pariterq́; ſinum, pariterq́; capillos*
*Rupit, & indignis percuſsit pectora palmis.* 134.a

V. META.

*Inornatos laniauit diua capillos,*
*Et repetita ſuis percuſsit pectora palmis.*

XV. META.

*Tum verò Cytherea manu percuſsit vtraq́;*
*Pectus.* 202.b

IN ARIAD.

*Protinus adductis ſonuerunt pectora palmis,*
*Vtq́; erat è ſomno turbida, rapta coma eſt.* 25.a

IX. META.

*Tum verò à pectore veſtem*
*Diripuit, planxitq́; ſuos furibunda lacertos.* 119.a

III. META.

*Cumq́; ſuos manibus percuſſerat ille lacertos.* 38.a

IN OENONE.

*Tunc verò rupiq́; ſinus, & pectora planxi,*
*Et ſecui madidas vngue rigente genas.* 12.a

IN CANACE.

*Tunc demùm pectora planxi,*
*Contigit inq́; meas vnguibus ire genas.* 29.a

III. DE ARTE.

*Indignas ſauciat vngue genas.* 150.a

IN MEDEA.

*Tuta nec à digitis ora fuêre meis.* 32.a

IN ACONT.

*Oraq́; ſunt digitis liuida facta meis.* 57.b

IN

IN OENONE.

*Oraq́ʒ ſunt digitis aſpera facta meis.* 13. b

III. DE ARTE.

*Vt rediјt animus, tenues à pectore veſtes*
*Rumpit.* 105. a

IIII. META.

*Cadmeida palmis*
*Deplanxêre domum, ſciſsis cum veſte capillis.* 51. a

IN HYPSIP.

*Protinus exilui, tunicisq́ʒ à pectore ruptis:*
*Viuit, an (exclamo) me quoq́ʒ fata trahunt?* 14. a

X. META.

*Spacio conclamat eodem,*
*Seq́ʒ ferit, ſcinditq́ʒ ſinus.* 128. b

## XII.

## SVBITI PAVORIS.

II. META.

*Laurea delapſa eſt audito crimine amantis,*
*Et pariter vultusq́ʒ deo, plectrumq́ʒ colorq́ʒ*
*Excidit.* 25. a

IIII. META.

*Pauet illa, metuq́ʒ*
*Et colus, & fuſi digitis cecidêre remiſsis.* 45. b

IBIDEM.

*Et mēns, & quod opus fabrilis dextra tenebat*
*Excidit.* 45. a

VII. META.

*Cecidêre illis animiq́; manusq́;.* 85.a

PROPERT. IIII.

*Pocula mî digitos inter cecidêre remiſſos,*
*Palluerantq́; ipſo labra ſoluta mero.* 143.b

IN PARIDE.

*Dum ſtupeo viſis (nam pocula fortè tenebam)*
*Excidit à digitis tortilis anſa meis.* 42.b

# XIII.

# OBMVTESCENTIS.

XIII. META.

*Obmutuit ille dolore,*
*Et pariter vocem, lacrimasq́; intorſus obortas*
*Deuorat ipſe dolor, duroq́; ſimillima ſaxo*
*Torpet.* 157.b

I. TRIST.

*Nec ſpacium nec mens fuerat ſatis apta parandi:*
*Torpuerant longa pectora noſtra mora.* 93.a

IN ARIADNE.

*Tunc deniq́; fleui,*
*Torpuerant molles antè dolore genæ.* 25.b

V. META.

*Ad auditas ſtupuit ceu ſaxea voces,*
*Attonitæq́; diu ſimilis fuit.* 64.a

II. FAST.

*Illa nihil: neq́; enim vocem vireſq́; loquendi,*
*Aut aliquid toto pectore mentis habet.* 27.b

VI. META.

*Ipſa*

*Ipſa quoq; interitus cum duro lingua palato*
*Congelat.* 72.a

IN CANACE.

*Torpuerat gelido lingua retenta manu.* 28.a

I. AMOR.

*Pauido lingua retenta metu.* 74.a

VI. META.

*Altera ſolari miſeram conata parentem,*
*Conticuit ſubitò.* 71.b

I. FAST.

*Subſtitit in medio præſcia lingua ſono.* 11.a

IN PHAED.

*Ter tecum conata loqui, ter inutilis hæſit*
*Lingua, ter in pauido deſtitit ore ſonus.* 8.a

V. FAST.

*Ter volui promittere opē, ter lingua retenta eſt.* 63.b

II. FAST.

*Ter conata loqui, ter deſtitit, auſaq́; quartò.* 27.b

IIII. FAST.

*Attoniti monſtro ſtantq́; pauentq́; viri.* 48.b

IN ARIADNE.

*In ſaxo frigida ſedi,*
*Quamq; lapis ſedes, tam lapis ipſa fui.* 25.b

## XIIII.

## EXANIMATIONIS.

IN LAOD.

*Lux quoq; tecum abijt, tenebris exanguis obortis*

*Succiduo dicor procubuiſſe genu.*
*Vix ſocer Iphiclus, vix me grandæuus Acuſtus,*
*Vix mater gelida mœſta refecit aqua.* 33.b

I. TRIST.

*Illa dolore amens tenebris narratur obortis,*
*Semianimis media procubuiſſe domo.* 94.b

VII. META.

*Subito collapſa dolore,*
*Vt mihi narratur, cecidit, longoq; refecta*
*Tempore, ſe miſeram, ſe fati dixit iniqui.* 93.a

VI. FAST.

*Et pauidas poſito procubuiſſe genu.* 79.a

IN PHYL.

*Linquor, & ancillis excipienda cado.* 5.a

III. DE ARTE.

*Procris vt accepit nomen quaſi pellicis Auræ,*
*Excidit, & ſubito muta dolore fuit.* 150.a

I. DE ARTE.

*Excidit illa metu, rupitq; nouiſſima verba.* 122.a

II. DE ARTE.

*Excidit, & miſeræ voxq; colorq; fugit.* 133.b

I. DE ARTE.

*Et color, & Theſeus, & vox abiêre puellæ.* 122.a

II. DE ARTE.

*Nox oculis pauido venit oborta metu.* 127.b

III. META.

*Ille diu pauidus pariter cum mente colorem*
*Perdiderat, gelidoq; comæ terrore rigebant.* 31.b

XI. META.

Tum

*Tum verò mœſtam tota Miletida mente*
*Defeciſſe ferunt.* 119.a

I. DE ARTE.

*Pars laniat crines, pars ſine mente ſedet,*
*Altera mœſta ſilet.* 115.a

IIII. FAST.

*Non ſecus indoluit, quàm ſi modò rapta fuiſſet*
*Mœſta parens, longa vixq́ refecta mora eſt.* 53.b

XI. META.

*Triſtiq́ miſerrima tandem*
*Ore vale dixit, collapſaq́ corpore toto eſt.* 142.a

III. AMOR.

*Mens abit, & morior: quoties peccaſſe fateris,*
*Perq́ meos artus frigida gutta fluit.* 111.a

II. FAST.

*Mens abit, & morior, quoties pugnantis imago*
*Me ſubit.* 26.b

IN SAPPH.

*Et lacrimæ deërant oculis, & verba palato.* 66.b

VI. FAST.

*Attonitæ flebant demiſſo crine miniſtræ,*
*Abſtulerat vires corporis ipſe timor.* 79.a

IN BRISEIDE.

*Sanguinis atq́ animi pectus inane fuit.* 6.b

I. TRIST.

*Non aliter ſtupui, quàm qui Iouis ignibus ictus*
*Viuit, & eſt vitæ neſcius ipſe ſuæ.* 93.a

XV.

## AD SE REDEVNDI.

IX. META.

*Mens tamen vt rediјt, pariter redière furores.* 118. a

IN LAOD.

*Vt rediјt animus, pariter redière dolores.* 33. b

I. TRIST.

*Vt tamen hanc animi nubem dolor ipſe remouit,*
*Et tandem ſenſus conualuêre mei.* 93. a

IBIDEM.

*Vtq; reſurrexit fœdatis puluere turpi*
*Crinibus, & gelida membra leuauit humo.* 94. b

III. DE ARTE.

*Vt patuit miſera iucundus nominis error,*
*Et mens, & rediјt verus in ora color.* 150. b

## XVI.

## IRRITI CONATVS.

IIII. DE PONTO.

*Quis mel Ariſtæo, quis Baccho vina falerna,*
*Triptolemo fruges, poma det Alcinoo?* 193. a

II. AMOR.

*Quid folia arboribus? quid pleno ſidera cœlo?*
*In freta collectas alta quid addis aquas?* 90. a

V. TRIST.

*In littus harenas*
*In ſegetem ſpicas, in mare fundat aquas.* 143. b

III. AMOR.

*In flam-*

*In flammam flammas, in mare fundis aquas.* 99.a

III. DE ARTE.

*Quiſue cauum vaſtas in mare ſeruat aquas?* 140.a

IIII. DE PON.

*Mittere ad hunc carmen frondes erat addere ſiluis.*

I. DE PON. (193.a

*Niſi Lychus in Hebrum*
*Confluat, & frondes Alpibus addat Athos.* 160.a

V. TRIST.

*Nec frondem in ſiluis, nec aperto mollia prato*
*Gramina, nec pleno flumine cernit aquas.* 141.a

I. DE ARTE.

*Laturas poma myricas*
*Speret, & è medio flumine mella petat.* 125.b

IN HELENA.

*Quid bibulum curuo proſcindere littus aratro,*
*Spemq́ ſequi coner, quam locus ipſe negat.* 47.a

IN OENONE.

*Quid facis Oenone? quid harenæ ſemina mandas?*
*Non profecturis littora bobus aras.* 13.a

IIII. DE PONT.

*Sed ſiccum ſterili vomere littus aro.* 193.b

IN LEANDRO.

*Velle quid eſt aliud fugientia prendere poma,*
*Spemq; ſuo refugi fluminis ore ſequi?* 52.a

II. AMOR.

*Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat*
*Tantalus.* 84.a

IX. META.

*Medijs ſitiemus in vndis.* 121. a

PROPERTIVS.

*Inſanus medio flumine quæris aquam.* 84. a

## XVII.

## IRRITI VOTI AVT Sermonis.

I. AMOR.

*Hæc ſi præſtiteris, vſu mihi cognita longo,*
*Nec tulerint voces ventus & aura meas.* 77. a

II. AMOR.

*Irritaq́ꝫ, vt viſum eſt, ventus et vnda ferunt.* 94. a

I. TRIST.

*Cunctáne in æquoreos abierunt irrita ventos?*
*Cunctáne Lethæis merſa feruntur aquis?* 98. b

I. AMOR.

*Quæ tibi ſunt facienda tamen, cognoſce: nec Euris*
*Da mea, nec tepidis verba ferenda notis.* 71. b

II. AMOR.

*Tu dea, tu iubeas animi periuria noſtri,*
*Carpathium tepidos per mare ferre notos.* 88. b

I. AMOR.

*Talia periuri promiſſaq́ꝫ, velaq́ꝫ, Theſei,*
*Fleuit præcipites Creſſa tuliſſe notos.* 74. a

II. AMOR.

*Vota procelloſo per mare rapta noto.* 87. b

I. DE ARTE.

*Et iubet Aeolios irrita ferre notos.* 123. b

*Abſtu-*

V. FAST.

*Abſtulerint celeres improba verba noti.* 157. b

I. DE REMED.

*Irrita cùm velis verba tulêre noti.* 157. b

I. TRIST.

*Ergo ijdem venti, ne cauſa lædar in vna,*
*Velaq́ꝫ neſcio quò, votaq́ꝫ noſtra ferunt.* 91. b

IN DIDONE.

*Atq; ijdem venti verba fidemq́ꝫ ferent.* 16. b

VIII. MET.

*An inania venti*
*Verba ferunt, ijdemq́ꝫ tuas ingrate carinas?* 95. b

I. AMOR.

*An ſomnus, qui te malè præbet amanti,*
*Verba dat, in ventos aure repulſa tua?* 73. a

I. TRIST.

*Terribilisq́ꝫ notus iactat mea verba, precesq́ꝫ*
*Ad quos mittuntur, non ſinit ire deos.* 91. b

IN LAODA.

*Fac meus in ventos hic timor omnis eat.* 34. b

I. DE ARTE.

*Nec mea dicta rapax per mare ventus agat.* 119. b

IN SAPPH.

*Zephyri verba caduca ferunt.* 86. b

IN HELENA.

*Cùm ventus noſter abibit amor.* 48. a

II. AMOR.

*At ſi vana ferunt volucres mea verba procellæ.* 91. a

III. AMOR.

*In vacuas*

*In vacuas auras verba timentis eant.* 98.a

II. AMOR.

*Iſta ſed æthereas vaneſcant dicta per auras.* 93.a

IN PENEL.

*Falleret, hoc crimen tenues vaneſcat in auras.* 2.a

TIBVL. III.

*Hæc Deus in melius crudelia ſomnia vertat,*
*Et iubeat tepidos irrita ferre notos.* 67.b

I.

*Hæc mihi fingebam, quæ nunc Caurusq; Notusq;*
*Iactat odoratos vota per Armenios.* 49.b

III.

*Venti temeraria vota,*
*Aëriæ & nubes diripienda ferant.* 68.b

III.

*Et quodcunq; mali eſt, & quidquid triſte timemus,*
*In pelagus rapidis euehat amnis aquis.* 74.a

II.

*Sed tu iam mitis Apollo,*
*Prodigia indomitis merge ſub æquoribus.* 62.b

I.

*At Deus illa*
*In cinerē, et liquidas munera vertat aquas.* 74.a

PROPERT. II.

*Hoc perdit miſeras, hoc perdidit antè puellas,*
*Quidquid iurarunt, ventus & vnda rapit.* 108.b

IIII.

*Cuius fallacia verba,*
*Non audituri diripuêre noti.* 141.b

*At mea*

I.

*At mea nocturno verba cadunt Zephyro.* 83.a

II.

*Hæc videam rapidas in vanum ferre procellas,*
*Quæ tibi terra velim, quæ tibi fiat aqua.* 101.b

# XVIII.

## PVDORIS.

II. AMOR.

*Conſcia purpureus venit in ora pudor.* 86.b

III. AMOR.

*Candida candorem roſeo ſuffuſa pudore*
*Antè fuit, niueo lucet in ore rubor.* 100.a

IN ACONT.

*Quid pudor ora ſubit? nam, ſicut in æde Dianæ,*
*Suſpicor ingenuas erubuiſſe genas.* 56.b

IN CYDIPPE.

*Confuſa pudore*
*Senſi me totis erubuiſſe genis.* 62.b

II. FAST.

*Fleuit,*
*Et matronales erubuêre genæ.* 28.a

VII. META.

*Et rubuêre genæ, totoq́ recanduit ore.*

IN CANACE.

*Erubui, gremioq́ pudor deiecit ocellos.* 28.a

IN PHAED.

*Flaua verecundus tinxerat ora rubor.* 9.a

Sed

VI. META.

*Sed tamen erubuit, ſubituſq; inuita notauit*
*Ora rubor.* 67.b

IIII. META.

*Pueri rubor ora notauit.*

I. AMOR.

*Oraq; dextra*
*Protegit, ingenuas picta rubore genas.* 31.b

IIII. TRIST.

*Auertis vultus, & ſubit ora rubor.* 129.b

XIIII. META.

*Illa verecundo vix tollens lumina vultu.* 188.b

I. META.

*Pulchra verecundo ſuffundens ora rubore.* 10.a

VIII. MET.

*Sæpe ſuum, feruens oculis, dabat ira ruborem.* 101.b

IIII. TRIST.

*Purpureus molli fiat in ore rubor.* 129.b

TIBVL. III.

*Vt iuueni primùm virgo deducta marito,*
*Inficitur teneras ore rubente genas.* 66.b

I.

*Virgineus teneras ſtat pudor ante genas.* 47.b

## XIX.

## RVMORIS VEL Nuncij.

IN DEIAN.

*Scriben-*

*Scribenti nuncia venit*
*Fama.* 25.a

IIII. TRIST.

*Famaq; tam longè non niſi parua venit.* 127.b

III. FAST.

*Hac quoq; quam referam noſtras peruenit ad aures*
*Fama, nec à veri diſsidet illa fide.* 39.b

IN DEIAN.

*Fama Pelaſgiadas ſubitò peruenit ad vrbes*
*Decolor, & factis inficianda tuis.* 22.a

V. META.

*Fama noui fontis noſtras peruenit ad aures.*

II. DE PON.

*Fama loquax veſtras, ſi iam peruenit ad aures.* 177.a

VIII. MET.

*Ecquid ad aures*
*Perueniunt mea dicta tuas.* 95.b

IX. META.

*Nomine ſiquá ſuo tandem peruenit ad aures*
*Deianira tuas.* 180.b

VII. META.

*Si fortè magis peruenit ad aures*
*Orithyïa tuas.* 90.b

II. DE ARTE.

*Simul inuitas crimen peruenit ad aures.* 133.b

I. DE PON.

*Nec quidquam ad noſtras peruenit acerbius aures.*

IX. META. (164.b

*Fama loquax praceßit ad aures*
*Deianira*

*Deianira tuas.* 110.b

IBIDEM.

*Fama noui centum Cretæas forſitan vrbes*
*Impleſſet monſtri.* 119.b

IIII. DE PONT.

*Læto pontum rumore repleuit.* 195.a

XV. META.

*Fando aliquem Hippolytum veſtras quoq; contigit aures.* 97.b

IN BRISEIDE.

*Quod ſcelus vt pauidas miſeræ mihi cõtigit aures.* 6.b

I. META.

*Contigerat noſtras infamia temporis aures.* 5.b

VI. FAST.

*Rumor, vt eſt velox, agitatis peruolat alis.* 80.b

VI. META.

*Phrygiaq́; per oppida facti*
*Rumor it, et magnũ ſermonib. occupat orbẽ.* 69.b

II. DE PONTO.

*Cùm tibi quærenti, num verus nuncius eſſet,*
*Attulerat culpæ quem mala fama meæ.* 171.a

XI. META.

*Non hæc tibi nunciat auctor*
*Ambiguus, non iſta vagis rumoribus audis.* 145.b

His autem verbis ferè vtitur poëta.

Perferre.

II. DE PONT.

*Verbaq́;*

*Verbaq; noſtra fauens Romana ad numina perfer.* 168.a

## Deferre.

III. DE ARTE.

*Coniugis ad timidas aliquis malè ſedulus aures,*
*Auditos memori detulit ore ſonos.* 150.a

## Referre.

III. TRIST.

*Quiſquis is eſt, memori rumorem voce referre,*
*Et fieri famæ parsq́; graduſq́; poteſt.* 123.b

IN DEIAN.

*Vna recens crimen referetur adultera nobis.* 22.b

PROPER. II.

*Narranti noli committere famæ:*
*Et terram rumor tranſilit, & maria.* 102.b

## XX.
## OPTANDI.

IN PENEL.

*Dij precor hoc iubeant.* 2.b

IN PHYL.

*Dij faciant laudis ſumma ſit iſta tuæ.* 4.a

I. TRIST.

*Dij tibi ſint faciles, & opis nullius egentem*
*Fortunam præſtent, diſsimilemq; meæ.* 95.b

IBIDEM.

*Liuia ſic tecum ſociales impleat annos,*

*Quæ, niſi te, nullo coniuge digna fuit.*
*Soſpite ſic te ſit natus quoq; ſoſpes, & olim*
*Imperium regat hoc cum ſeniore ſenex:*
*Sic aſſueta tuis ſemper victoria caſtris,*
*Nunc quoq; ſe præſtet.* & quæ ſequun. 104.b

III. TRIST.

*Proſpera ſic vobis maneat fortuna, nec vnquam*
*Contactu ſimili fortè rogetis idem.* 116.a

II. DE PONT.

*Pro quibus optandi ſi nobis copia fiat,*
*Tam bene pro merito cõmoda mille precer.* 171.b

IBIDEM.

*Pro quibus vt maneas, de quo cenſeris amicus*
*Comprecor ad vitæ tempora ſumma tuæ.* 173.b

VI. FAST.

*Valeas anus optima dixi:*
*Quod ſupereſt, æui molle ſit omne tui.* 78.b

II. DE PONTO.

*Vera precor fiant timidæ præſagia mentis.* 78.b

II. AMOR.

*Hæc mihi quàm primùm cœlo nitidiſſimus alto,*
*Lucifer admiſſo tempora portet equo.* 91.b

III. TRIST.

*Hoc vtinam nitidi ſolis prænuncius, ortus*
*Afferat admiſſo Lucifer albus equo.* 117.a

I. DE PONTO.

*Memnonis hanc vtinam lenito Cæſare mater,*
*Quàm primùm roſeo prouocet ore diem.* 159.b

AD LIVIAM.

*Hunc*

*Hunc aurora diem ſpectacula tanta ferentem,*
*Quàm primùm croceis roſcida portet equis.* 224.b

TIBVL. I.

*Hoc precor, hunc illum nobis auroram nitentem*
*Luciferum, roſeis candida portet equis.* 47.b

## XXI.
## OPTANDI LONgæuitatem.

AD LIVIAM.

*At tu, qui ſuperes, mœſtæ ſolatia matri,*
*Comprecor illi ipſi conſpiciare ſenex,*
*Perq; annos diuturnus eas fratriſq; tuoſq;,*
*Et viuat nato cum ſene mater anus.* 226.b

IN DIDONE.

*Sic ſuperent, quoſcunq; tua de gente reportas,*
*Mars ferus & damni ſit modus ille tui:*
*Aſcaniuſq; ſuos feliciter impleat annos,*
*Et ſenis Anchiſæ molliter oſſa cubent.* 19.a

II. TRIST.

*Soſpite ſic te ſit natus quoq; ſoſpes, & olim*
*Imperium regat hoc cum ſeniore ſenex.* 104.b

II. FAST.

*Sit ſuperis, opto, mutua cura tui.*
*Dent tibi cœleſtes, quos tu cœleſtibus, annos*
*Proq; tua maneant in ſtatione domo.* 15.a

VI. FAST.

*Eſt mihi, ſitq; precor noſtris diuturnior annis,*

*Filia, quæ felix ſoſpite ſemper ero.* 75.b

I. TRIST.

*Detur inoffenſæ vitæ tibi tangere metam.* 99.a

II. DE PONTO.

*Dij tibi dent annos : à te nam cætera ſumes,*
*Sint modò virtuti tempora longa tuæ.* 167.a

IN BRISEIDE.

*Sic omnes Peleus pater impleat annos,*
*Sic eat auſpicijs Pyrrhus ad arma tuis.* 7.b

I. FAST.

*Augeat imperium noſtri ducis, augeat annos.* 12.a

II. DE PONT.

*Sic pater in Pylios, Cumæos mater in annos*
*Viuant.* 176.a

V. TRIST.

*Olim*
*Aequarint Pylios cùm tua fata dies.* 143.a

IIII. META.

*E` quibus illa fuit longa digniſsima vita.* 44.a

PROPER. IIII.

*Quod mihi detractum eſt, veſtros accedat ad annos:*
*Prole mea Paulum ſic iuuat eſſe ſenem.* 149.a

## XXII.

## BLANDITIARVM.

VII. META.

*Et tu mihi magna voluptas,*
*Dicere ſum ſolitus, tu me reficisq; fouesq;,*

*Tu facis*

*Tu facis vt ſiluas, vt amem loca ſola, meoq́;*
*Spiritus iſte tuus ſemper capiatur ab ore.* 92.b

IN HERONE.

*Teq; ô mea ſola voluptas.*
*Plus quoq; quàm credi quod mihi poſſit amo.* 53.a

I. AMOR.

*Cùm tibi quæ faciã mea lux, dicamúe, placebunt.* 71.b

V. FAST.

*En ego dimidium veſtri parsq́; altera voti.* 67.a

TIBVL. IIII.

*Tu mihi curarum requies, tu nocte vel atra*
*Lumen, & in ſolis tu mihi turba locis.* 67.a

PROPERT. II.

*Te nihil in vita nobis acceptius vnquam.* 97.a

I.

*His tu ſemper eris noſtræ gratiſſima vitæ.* 80.a

## XXIII.

## SALVTANDI.

IN PENEL.

*Hanc tua Penelope lento tibi mittit Vlyſſes.* 1.a

IN HYPER.

*Mittit Hypermneſtra de tot modò fratribus vni.* 36.a

IN PHAED.

*Qua, niſi tu dederis, caritura eſt ipſa ſalutem*
*Mittit Amazonio Creſſa puella viro.* 33.a

IX. META.

*Quam, niſi tu dederis, non eſt habitura ſalutem,*

*Hanc tibi mittit amans,* 117.b

IN PARIDE.

*Hanc tibi Priamides mitto Ledæa ſalutem,*
*Quæ tribui ſola te mihi dante poteſt.* 38.a

III. DE PON.

*Qui tibi, quam mallet præſens afferre, ſalutem*
*Mittit, ab hirſutis maxime Cotta Getis.* 188.b

IN LEANDRO.

*Mittit Abydenus, quam mallet ferre, ſalutem,*
*Si cadat vnda maris, Seſta puella tibi.* 49.a

II. DE PON.

*Mittit ab indomitis hanc Meſſaline ſalutem,*
*Quam ſolitus præſens eſt tibi ferre, Getis.* 167.b

IBIDEM.

*Carmine Græcinum, quem præſens voce ſolebat,*
*Triſtis ab Euxinis Naſo ſalutat aquis.* 173.b

I. DE PON.

*Hanc tibi Naſo tuus mittit Ruffine ſalutem,*
*Qui miſer eſt, vlli ſi ſuus eſſe poteſt.* 157.a

IBIDEM.

*Naſo ſuò profugus mittit tibi Flacce ſalutem,*
*Mittere rem ſi quis, qua caret ipſe, poteſt.* 149.a

IIII. DE PON.

*Vnde licet, non vnde iuuat, Græcine ſalutem,*
*Miſſa ſit, vt verè perueniatq́; precor.* 182.b

I. DE PON.

*At tibi dilecto miſſam Naſone ſalutem,*
*Accipe pars animæ magna Seuere meæ.* 163.a

II. DE PON.

*Condita*

Condita diſparibus numeris ego Naſo Solano,
Præpoſita miſi verba ſalute, meo. 172.a

III. DE PONTO.

Hæc tibi non vanam portantia verba ſalutem,
Naſo Tomitana mittit ab vrbe tuus. 186.a

III. TRIST.

Vade ſalutatum ſubitò perarata Perhillam,
Litera ſermonis fida miniſtra mei. 118.a

I. TRIST.

Vade liber, verbisq; meis loca grata ſaluta,
Contingam certè quo licet illa pede. 89.a

II. DE PONT.

Eſſe ſalutatum te vult mea litera primùm,
A malè paratis Attice miſſa Getis. 174.a

IN LAOD.

Mittit & optat amans, quò mittitur, ire ſalutem
Aemonis Aemonio Laodamia viro. 33.a

XIIII. META.

Quam ſimul aſpexit, dicta acceptaq; ſalute,
Diua Dei miſerere precor. 175.a

IBIDEM.

Hæc vbi nos vidit, dicta acceptaq; ſalute,
Diffudit vultus. 179.a

V. TRIST.

Si tibi contingit cum dulci vita ſalute,
Candida fortunæ pars manet vna meæ. 144.a

IN HYPSIP.

Hypſipile miſſa digna ſalute fui. 24.a

IN HERONE.

*Quam mihi miſiſti verbis Leandre ſalutem,*
*Vt poßim miſſam rebus habere, veni.*

TIBVL. III.

*Sed primùm nympham larga donate ſalute.* 64.b

## XXIIII.

## FORMVLAE, QVIBVS initio literarum vtimur.

II. DE PON.

*Quam legis, vndè tibi mittatur epiſtola, quæris?*
*Hinc, vbi cæruleis iungitur Iſter aquis.* 188.a

V. TRIST.

*Quam legis, ex illa tibi venit epiſtola terra,*
*Latus vbi æquoreis iungitur Iſter aquis.* 144.a

IIII. DE PON.

*Quam legis, ex illis tibi venit epiſtola terris,*
*Naſonem nolles in quibus eſſe locis.* 196.b

IN ARIADNE.

*Quæ legis, ex illo Theſeu tibi littore mitto,*
*Vnde tuam ſine me vela tulêre ratem.* 25.a

IN BRISEIDE.

*Quam legis, à rapta Briſeïde litera venit,*
*Vix bene barbarica Græca notata manus.* 5.b

IIII. DE PON.

*Quod legis, ô vates magnorum maxime regum,*
*Venit ab intonſis vſq; Seuere Getis.* 193.a

I. DE PONT.

*Forſitan hæc à quo mittatur epiſtola quæras:*

Quisq;

*Quiſq; loquar tecum certior eſſe velis?* 154. b

V. TRIST.

*Littore ab Euxino Naſonis epiſtola veni.* 141. a

IIII. DE PON.

*Litera ſera quidem, ſtudijs exculte Suilli,*
*Huc tua peruenit, ſed mihi grata tamen.* 198. b

I. DE PONTO.

*Quæ mihi de rapto tua venit epiſtola Celſo,*
*Protinus eſt lacrimis humida facta meis.* 164. b

IIII. DE PONT.

*Accipe Pompei deductum carmen ab illo,*
*Debitor eſt vitæ qui tibi Sexte ſuæ.* 192. b

II. DE PONT.

*Accipe colloquium gelido Naſonis ab Iſtro,*
*Attice iudicio non dubitate meo.* 171. b

IBIDEM.

*Naſo ſuo, poſuit nomen cui penè, ſodali,*
*Mittit ab Euxinis hoc breue carmen aquis.* 189. a

IIII. DE PONT.

*Hæc tibi mittuntur, quem ſum modò carmine queſtus,*
*Non aptum numeris nomen habere meis.* 206. a

II. DE PON.

*Hoc tibi Ruffe breui properatum tempore mittit,*
*Naſo parùm fauſtæ conditor artis, opus.* 179. a

I. DE PON.

*Ille tuos quondam non vltimus inter amicos,*
*Vt ſua verba legas Maxime, Naſo rogat.* 159. b

II. DE PONT.

*Ecquid ab impreſſæ cognoſcis imagine ceræ,*

*Hæc tibi Naſonem ſcribere verba Macer?* 178.a

TIBVL. III.

*Hæc tibi vir quondam, nunc frater caſta Neæra*
*Mittit, & accipias munera parua rogat.* 64.a

## XXV.

## FORMVLAE, QVIBVS vtimur ante Vale.

III. TRIST.

*Scribere plura libet, ſed vox mihi feſſa loquendo,*
*Dictandi vires ſiccaq́, lingua negat.* 115.a

IN HYPERM.

*Scribere plura libet, ſed pondere laſſa cathenæ*
*Eſt manus, & vires ſubtrahit ipſe timor.* 38.a

IN HELENA.

*Hactenus arcanum, furtiuæ conſcia mentis*
*Litera, iam laſſo pollice ſiſtat opus.* 49.a

IN CYDIPPE.

*Iam ſatis inualidos calamo laſſauimus artus,*
*Et manus officium longius ægra negat.* 64.b

I. AMOR.

*Quid digitos opus eſt graphium laſſare tenendo?*
*Hoc habeat ſcriptum tota tabella, Veni.* 79.b

## XXVI.

## VALEDICENDI.

V. TRIST.

*Accipe*

*Accipe quo ſemper finitur epiſtola verbo,*
*Atq; meis diſtent vt tua fata, Vale.* 149. b

IN ACONT.

*Longior infirmum ne laſſet epiſtola corpus,*
*Clauſaq́; conſueto ſit tibi fine, Vale.* 60. b

IN DEIAN.

*Tu quoq; lux oculis hodierna nouiſſima noſtris,*
*Virq; (ſed ô poßis) & puer Hylle vale.* 24. b

IN CYDIPPE.

*Quid, niſi quòd cupio me iam coniungere tecum,*
*Reſtat? vt aſcribat litera noſtra: Vale.* 64. b

IIII. TRIST.

*Accipe ſupremo dictum mihi forſitan ore,*
*Quod tibi qui mittit, non habet ipſe, Vale.* 115. a

I. AMOR.

*Qualiſcunq; vale, ſentiq́; abeuntis amorem*
*Lente nec admiſſo turpis amante, Vale.*
*Vos quoq; crudeles rigido cum limine poſtes,*
*Duraq́; conſertæ ligna valete fores.* 74. a

IN LAOD.

*Vltima mandato claudetur epiſtola paruo;*
*Sit tibi cura mei, ſit tibi cura tui.* 36. a

IBIDEM.

*Vix illud potui dicere triſte, Vale.* 33. b

IN MEDEA.

*Et dixit tenui murmure lingua, Vale.* 30. b

I. TRIST.

*Sæpe vale dicto, rurſus ſum multa locutus.* 94. a

IBIDEM.

*Dicen-*

*Dicendumq́ꝫ ſemel toto non amplius æuo,*
*Accipere, & parili reddere voce, Vale.* 98.b

IBIDEM.

*Alloquor extremùm mœſtos abiturus amicos,*
*Qui modò de multis vnus & alter erat.* 93.a

## XXVII.

## SEMPER.

IN IBIN.

*Pugnabunt iaculis dum Thraces, Iazyges arcu,*
*Dum tepidus Ganges, frigidus Iſter erit:*
*Robora dum montes, dum pabula mollia campi,*
*Dum Tyberis liquidas Thuſcus habebit aquas:*
*Bella geram tecum, nec mors mihi finiet iras.* 211.a

I. AMOR.

*Dum muſtis vua tumebit,*
*Dum cadet incurua falce reſecta Ceres.* 82.a

IBIDEM.

*Tenedos dum ſtabit, & Ide*
*Dum rapidas Simoïs in mare voluet aquas.* 82.a

IIII. META.

*Dum Lucifer ignes*
*Euocat Auroræ, curſus Aurora diurnos.* 52.b

I. AMOR.

*Cum ſole & luna ſemper Aratus erit.* 82.a

IN ARIADNE.

*Iuro*
*Te fore, dum noſtrûm viuet vterqꝫ, meam.* 26.a

*Gramina*

IIII. DE PON.

*Gramina cultus ager, frigus minus odit hirundo,*
*Proxima Marticolis quam loca Naſo Getis. 206. a*

TIBVL. I.

*Quem referunt Muſæ, viuet, dum robora tellus,*
*Dum cœlum ſtellas, dum vehit amnis aquas. 48. b*

## XXVIII.

## NVNQVAM.

IN IBIN.

*Deſinet ipſe prius contrarius ignibus humor,*
*Iunctaq; cum Luna lumina Solis erunt,*
*Parsq; eadem cœli Zephyros emittet & Euros,*
*Et tepidus gelido flabit ab axe notus,*
*Et noua fraterno veniet concordia fumo:*
*Quàm vetus accenſa ſeparat ira pyra.*
*Et ver autumno, brumæ miſcebitur æſtas,*
*Atq; eadem regio veſper & ortus erit:*
*Quàm mihi ſit tecum, poſitis, quæ ſumſimus, armis,*
*Gratia, commiſſis improbe rupta tuis. 209. b*

I. TRIST.

*In caput alta ſuum labentur ab æquore retro*
*Flumina, conuerſis Solq; recurret equis,*
*Terra feret ſtellas, cœlum findetur aratro,*
*Vnda dabit flammas, & dabit ignis aquas,*
*Omnia naturæ præpoſtera legibus ibunt,*
*Parsq; ſuum mundi nulla tenebit iter. 98. a*

IIII. DE PONT.

*Et prius*

*Et prius hic nobis nimiùm conterminus Iſter,*
*In caput Euxino de mare vertet iter,*
*Vtq́ Thyeſteæ redeant ſi tempora menſæ,*
*Solis ad Eoas currus agetur aquas:*
*Quàm quiſquam veſtrûm, qui me doluiſtis ademtum,*
*Arguat ingratum non meminiſſe ſui.* 197.b

IBIDEM.

*Sed prius huic deſint & bellum & frigora terræ,*
*Inuiſus nobis quæ duo Pontus habet,*
*Et tepidus Boreas, & ſit præfrigidus Auſter,*
*Et poßit fatum mollius eſſe meum:*
*Quàm tua ſint lapſo præcordia dura ſodali.* 204.b

V. TRIST.

*Cana prius gelido deſint abſynthia ponto,*
*Et careat dulci Trinacris Hybla thymo:* (149.b
*Immemorem quàm te quiſquam conuincat amici.*

II. DE PON.

*Longa dies citior brumali tempore, noxq́*
*Tardior hiberna ſolſtitialis erit.*
*Nec Babylon æſtus, nec frigora pontus habebit,*
*Chaltaq́ Pæſtanas vincet odore roſas:*
*Quàm tibi noſtrarum veniant obliuia rerum.* 171.a

I. DE PON.

*Nam prius incipient turres vitare columbæ,*
*Antra feræ, pecudes gramina, mergus aquas:*
*Quàm malè ſe præſtet veteri Græcinus amico.* 162.a

I. DE ARTE.

*Vere prius volucres taceant, æſtate cicadæ,*
*Mænalius lepori det ſua terga canis,*

Fœmi-

*Fœmina quàm iuueni blandè tentata repugnet.* 117.b

IIII. DE PONTO.

*Nam prius vmbroſa carituros arbore montes,*
*Et freta veliuolas non habitura rates,*
*Fluminaq; in fontes curſu reditura ſupino:*
*Gratia quàm meriti poßit abire tui.* 196.b

XIIII. META.

*Prius, inquit, in æquore frondes,*
*Glaucus, & in ſummis naſcentur montibus algæ:*
*Soſpite quàm Scylla noſtri mutentur amores.* 175.b

XIII. META.

*Antè retrò Simois fluet, & ſine frondibus Ide*
*Stabit: & auxilium promittet Achaïa Troiæ.* 163.b

IN OENONE.

*Cùm Paris Oenone poterit ſpirare relicta,*
*Ad fontem Xanthi verſa recurret aqua.* 11.b

PROPERT. III.

*Flamma per incenſas citius ſedetur ariſtas,*
*Fluminaq; ad fontis ſint reditura caput,*
*Et placidum Syrtes portum, & bona littora nautis*
*Præbeat hoſpitio ſæua Malæa ſuo:*
*Quàm poßit veſtros quiſquam reprendere curſus,*
*Et rapidæ ſtimulos frangere nequitiæ.* 128.b

II.

*Terra prius falſo partu deludet arantes,*
*Et citius nigros ſol agitabit equos,*
*Fluminaq; ad caput incipient reuocare liquores,*
*Aridus & ſicco gurgite piſcis erit:*
*Quàm poßim noſtros aliò transferre calores:*

Huius

*Huius ero viuus, mortuus huius ero.* 100.b

I.

*Multa prius vaſto labentur flumina ponto,*
*Amnis & inuerſas duxerit antè vices:*
*Quàm tua ſub noſtro mutetur pectore cura.* 87.b

II.

*Tu prius & fluctus poteris ſiccare marinos,*
*Altaq; mortali deligere aſtra manu:*
*Quàm facere, vt noſtræ nolint peccare puellæ.* 112.a

## XXIX.

## EIVS QVOD FIERI nequit.

IIII. TRIST.

*Credam prius ora Meduſæ*
*Gorgonis, anguineis cincta fuiſſe comis,*
*Eſſe canes vtero ſub virginis, eſſe Chimæram,*
*A truce quæ flammis ſeparat angue leam.*
*Quadrupedesq; homines cum pectore pectora iunctos,*
*Tergeminumq; virum, tergeminumq; canem.*
*Sphingaq; & Harpyias, ſerpentipedesq; gigantes,*
*Centymanumq; Gygen, ſemibouemq; virum.*
*Hæc ego cuncta prius, quàm te chariſſime credam*
*Mutatum, & curam depoſuiſſe mei.* 133.a

III. DE PON.

*Si dubitem, quin his faueas ô maxime dictis,*
*Memnonio cygnos eſſe colore putem:*
*Sed neq; mutatur nigra pice lacteus humor,*

Nec

*Nec quod erat candens, ſit terebinthus, ebur.* 186.a

PROPERT. II.

*Hoc ſi quis vicium poterit mihi demere, ſolus*
*Tantalea poterit tradere poma manu.*
*Dolia virgineis idem ille repleuerit vrnis,*
*Ne tenera aſsidua colla grauentur aqua.*
*Idem Caucaſea ſoluet de rupe Promethei*
*Brachia, & à medio pectore pellet auem.* 92.b

IBIDEM.

*Quærebam ſicca ſi poſsit piſcis harena,*
*Nec ſolitus ponto viuere toruus aper:*
*Aut ego ſi poſſem ſtudijs vigilare ſeueris.* 93.a

# XXX.

# NVMERI INFINITI.

II. DE PON.

*Cinyphiæ ſegetis citius numerabis ariſtas,*
*Altaq́ꝫ quàm multis floreat Hybla thymis:*
*Et quot aues motis nitantur in aëra pennis,*
*Quotq́ꝫ natent piſces æquore, certus eris:*
*Quàm tibi noſtrorũ ſtatuatur ſumma laborũ.* 174.b

IIII. TRIST.

*Vere prius flores, æſtu numerabis ariſtas,*
*Poma per autumnum, frigoribusq́ꝫ niues.* 12.b

IN LEANDRO.

*Non magis illius numerari gaudia noctis,*
*Helleſpontiaci quàm maris alga poteſt.* 51.a

V. TRIST.

*Quàm multa madidæ cælantur arundine foſſæ,*
*Florida quàm multas Hybla tuetur apes :*
*Quàm multa gracili terrena ſub horrea ferre*
*Limite formicæ grana reperta ſolent :*
*Tam me circumſtant denſorum turba malorũ.* 143.b

V. FAST.

*Sæpe ego digeſtos volui numerare colores,*
*Non potui numero copia maior erat.* 63.a

II. DE PONT.

*Crede mihi, ſi ſum veri tibi cognitus oris,*
*Nec numerus noſtris caſibus eſſe poteſt.* 174.b

V. TRIST.

*Felix qui patitur quæ numerare poteſt.* 137.b

IBIDEM.

*Quorum numerum comprendere non eſt.* 147.b

IBIDEM.

*Quæ ſic comprendere coner,*
*Icariæ numerum dicere coner aquæ.*

# XXXI.

## GELV.

III. TRIST.

*Vſtus ab aſsiduo frigore Pontus.* 113.a

III. FAST.

*Nec venti tantùm Cereri nocuêre, nec imbres,*
*Nec ſi marmoreo pallet aduſta gelu :*
*Quantùm ſi culmos Titan incalfacit vdos.* 58.b

V. TRIST.

Nunquam

*Nunquam ſine frigore cœlum,*
*Glebaq; canenti ſemper obuſta gelu.* 129.b

III. TRIST.

*Aſtricto terra peruſta gelu.* 115.b

III. DE PON.

*Et coit aſtrictis barbarus Iſter aquis.* 185.a

II. TRIST.

*Et maris aſtricto quæ coit vnda gelu.* 105.a

III. TRIST.

*Incluſæq; gelu ſtabunt vt marmore puppes.* 121.a

IBIDEM.

*Vidimus ingentem glacie conſiſtere pontum,*
*Lubricaq; immotas teſta premebat aquas.* 121.a

IBIDEM.

*Nudaq; conſiſtunt formam ſeruantia teſtæ*
*Vina, nec hauſta meri, ſed data fruſta bibunt.*
*Quid loquar vt cuncti cõcreſcunt frigore riui?* 120.b

IIII. DE PONT.

*Ipſe vides certè glacie conſiſtere pontum,*
*Ipſe vides rigido ſtantia vina gelu.* 197.b

V. TRIST.

*Ter frigore conſtitit Iſter,*
*Facta eſt Euxini dura ter vnda maris.* 146.b

I. DE PONT.

*Quæq; aliæ gentes, vbi frigore conſtitit Iſter,*
*Dura meant celeri terga per amnis equo.* 155.b

III. TRIST.

*Cæruleos ventis latices durantibus Iſter,*
*Congelat, & tectis in mare ſerpit aquis,*

*Quaq́ꝫ rates ierant, pedibus nunc itur, & vndas*
*Frigore concretas vngula pulſat equi.* 121.b

IIII. DE PONT.

*Hîc freta vel pediti peruia reddit hiems.* 202.b

IBIDEM.

*Nec te cauſas neſcire ſinemus,*
*Horrida Sarmaticū cur mare duret hiems.* 203.a

IBIDEM.

*An coëat duratus frigore pontus,*
*Et teneat glacies iugera multa freti.* 20.b

III. TRIST.

*Nec mare concreſcit glacie.* 123.b

III. DE PON.

*Cuncta ſed immodicum tempora frigus habent.*
*Tu glacie freta iuncta tenes, & in æquore piſcis*
*Incluſus tecta ſæpe natauit aqua.* 180.a

III. TRIST.

*Siue igitur nimij Boreæ vis ſæua marinas,*
*Siue redundatas flumine cogit aquas.* 121.a

II. DE PON.

*Terraq́ꝫ pacis inops, vndaq́ꝫ vincta gelu.* 169.a

IBIDEM.

*Frigore perpetuò Sarmatis ora riget.* 175.a

II. FAST.

*Poſita ſub niue terra latet.* 15.a

I. DE PON.

*Fert vbi perpetuas obruta terra niues.* 157.b

IIII. DE PONT.

*Tectaq́ꝫ brumali ſub niue terra latet.* 196.a

Quæq́ꝫ

III. DE PON.

*Quæq́ nec hoſte fero, nec niue terra cares.* 179.b

I. META.

*Tum primùm ſiccis aër feruoribus vſtus*
*Canduit, & ventis glacies aſtricta pependit.*

TIBVLL. IIII.

*Et nulla incepto perlabitur vnda liquore,*
*Sed durata riget denſam in glaciem niuemq́,*
*Quippe ibi non vnquã Titan ſuperingerit ortus.* 72.a

PROPERT. IIII.

*Nec me tardarent Scythiæ iuga, cùm pater altas*
*Africus in glaciem frigore nectit aquas.* 136.b

III.

*Nox erat, & ſparſo triſte cubile gelu.* 126.b

IIII.

*Quæ tellus ſit lenta gelu, quæ putris ab æſtu.* 126.a

## XXXII.

## NIX SOLVITVR.

VIII. MET.

*Multa quoq́ hic torrens niuibus de monte ſolutis,*
*Corpora turbineo iuuenilia vortice merſit.* 103.a

AD LIVIAM.

*Zephyris & ſolibus ictæ*
*Soluuntur teneræ vere tepente niues.* 221.b

III. TRIST.

*At mihi ſentitur nix verno ſole ſoluta.* 123.b

IBIDEM.

*Nix iacet, & iactam nec ſol pluuiæue reſoluunt,*
*Indurat Boreas, perpetuamq́; facit.*
*Ergo vbi delicuit nondum prior, altera venit,*
*Et ſolet in multis bima iacere locis.* 120.b

III. FAST.

*Et pereunt victæ ſole tepente niues.* 32.b

II. META.

*Liquitur vt glacies incerto ſaucia ſole.* 28.b

II. DE PONTO.

*Exemploq́; niuis, quã mollit aquaticus Auſter.* 171.a

## XXXIII.

## INVOCANDI.

IN IBIN.

*Dij maris & terræ, quiq́; his meliora tenetis,*
*Inter diuerſos cum Ioue regna polos.*
*Huc precor, huc veſtras omnes aduertite mentes,*
*Et ſinite optatis pondus ineſſe meis.*
*Ipſaq́; tu Tellus, ipſum cum fluctibus æquor,*
*Ipſe meas Aether accipe ſumme preces.*
*Sideraq́; & radijs circundata ſolis imago,*
*Lunaq́; quæ nunquam, quo prius, orbe micas:*
*Noxq́; tenebrarum ſpecie reuerenda tuarum,*
*Quæq́; ratum triplici pollice netis opus.*
*Quiq́; per infernas horrendo murmure valles,*
*Imperiuratæ laberis amnis aquæ.*
*Quasq́; ferunt torto vittatis angue capillis.*
*Carceris obſcuras ante ſedere fores.*

*Vos*

*Vos quoq; plebs ſuperûm, Fauni, Satyriq́; Laresq́;,*
*Fluminaq́; & Nymphæ, ſemideûmq́; genus.*
*Deniq; ab antiquo diui veteresq́; nouiq́;*
*In noſtrum cuncti tempus adeſte chao.*
*Annuite optatis omnes ex ordine noſtris.* 210. a

I. FAST.

*Iane biceps anni tacitè labentis origo,*
*Solus de ſuperis qui tua terga vides.*
*Dexter ades ducibus, quorum ſecura labore*
*Ocia terra ferax, ocia pontus habet.*
*Dexter ades ducibusq́; tuis, populoq́; Quirini,*
*Et reſera nutu candida templa tuo.* 3. a

IBIDEM.

*Diriget in medio quis mea vela freto?*
*Ipſa mone, quæ nomen habes à carmine ductum,*
*Propoſitoq́; faue, ne tuus erret honor.* 9. b

V. FAST.

*Dicite quæ fontes Aganippidos Hippocrenes,*
*Grata Meduſæi ſigna tenetis equi.* 59. b

VI. FAST.

*Pïerides cœptis addita ſumma meis:*
*Dicite Pïerides, quis vos addixerit iſti,*
*Cui dedit inuitas victa nouerca manus?* 85. b

I. DE REMED.

*Te precor, incipiens, aſsit tua laurea nobis,*
*Carminis & medicæ Phœbe repertor opis.*
*Tu pariter vati, pariter ſuccurre medenti,*
*Vtraq; tutelæ ſubdita cura tuæ eſt.* 154. a

II. DE REMED.

*Vtq; facis, cœptis Phœbe ſaluber ades.* 28.b

VI. FAST.

*Nunc ades ô cœptis flaua Minerua meis.* 28.b

IBIDEM.

*Bacche racemiferos edera redimite capillos,*
*Si domus illa tua eſt, dirige vatis opus.* 79.b

III. FAST.

*Bacche faue vati, dum tua feſta cano.* 40.b

IBIDEM.

*Mitte caput pater huc, placataq; cornua vertas,*
*Et des ingenio vela ſecunda meo.* 41.b

VI. FAST.

*Veſta faue, tibi nunc operata reſoluimus ora.* 76.a

V. FAST.

*Pleiade nate mone virga venerande potenti,*
*Sæpe tibi eſt Stygij regia viſa Iouis.* 67.a

IBIDEM.

*Floreat vt toto carmen Naſonis in æuo,*
*Sparge precor donis pectora noſtra tuis.* 65.b

IBIDEM.

*At mihi pande precor multò meliora petenti.* 71.a

I. META.

*Dij cœptis*
*Aſpirate meis, primaq; ab origine mundi*
*Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.* 2.a

I. FAST.

*Numine dexter ades.* 2.a

III. AMOR.

*Inceptis annue diua meis.* 99.a

TIBVL. II.

*Phœbe faue, nobis ingreditur tua templa ſacerdos,*
*Huc age cum cithara carminibusq́; veni.* 61. b

IBIDEM.

*Huc ades, aſpiraq́; mihi, dum carmine noſtro*
*Redditur agricolis gratia cœlitibus.* 57. b

PROPER. III.

*Nunc ô Bacche tuis humiles aduoluimur aris,*
*Da mihi pacato vela ſecunda pater.* 127. a

IIII.

*Sancte pater ſalue, cui iam fauet aſpera Iuno:*
*Sancte velis libro dexter ineſſe meo.* 145. b

## XXXIIII. IMPRECANDI.

IIII. DE PON.

*Hoſtibus eueniat, quàm ſis violentus in armis,*
*Sentire, & linguæ tela ſubire tuæ.* 197. a

III. DE ARTE.

*Hoſtibus eueniat tam fœdi cauſa pudoris,*
*Inq́; nurus Parthas dedecus illud eat.* 142. a

III. AMOR.

*Eueniat noſtris hoſtibus ille pudor.* 108. a

III. FAST.

*Eueniat noſtris hoſtibus ille color.* 36. b

AD LIVIAM.

*Hoſtibus eueniat longa ſenecta metu.* 227. b

II. AMOR.

*Hoſtibus eueniat vacuo dormire cubili,*
*Et medio latè ponere membra thoro.* 90.a

IN PARIDE.

*Hoſtibus eueniant conuiuia talia noſtris.*

AD LIVIAM.

*Gentibus aduerſis forma ſit illa precor.* 223.a

III. DE PONTO.

*Clauſa tamen miſi Scythica tibi tela pharetra,*
*Hoſte precor fiant illa cruenta tuo.* 191.a

PROPERTIVS.

*Hoſtibus eueniat lenta puella meis.* 120.a

## XXXV.
## DEVOVENDI.

I. AMOR.

*Dij tibi dent nullosq́ꝫ lares, inopemq́ꝫ ſenectam,*
*Et longas hiemes, perpetuamq́ꝫ ſitim.* 77.a

PROPER. IIII.

*Terra tuum ſpinis obducat lena ſepulcrum,*
*Et tua quod non vis ſentiat vmbra ſitim.*
*Nec ſedeant cineri manes, & Cerberus vltor*
*Turpia ieiuno terreat oſſa ſono.* 138.b

II.

*Illi ſub terris fiant mala multa puellæ,*
*Quæ mentita ſuas vertit inepta comas.* 102.b

TIBVL. I.

*Sanguineas edat illa dapes, atqꝫ ore cruento*
*Triſtia cum multo pocula felle bibat.*

Hanc

*Hanc volitent animæ circùm ſua fata querentes*
*Semper, & è tectis ſtryx violenta canat.*
*Ipſa fame ſtimulante furens, herbasq́; ſepulchris*
*Quærat, & à ſæuis oſſa relicta lupis.*
*Currat & inguinibus nudis, vluletq́; per vrbes,*
*Poſt agat è triuijs aſpera turba canum.* 50. a

I.

*Iam tu qui Venerem docuiſti vendere primus,*
*Quiſquis es, infelix vrgeat oſſa lapis.* 48. b

PROPERT. II.

*Tunc me vel Tragicæ vexetis Erinnyes, & me*
*Inferno damnes Aeace iudicio.*
*Atq; inter Tityi volucres mea penna vagetur,*
*Tumq́; ego Siſyphio ſaxa labore geram.* 103. b

IBIDEM.

*Ah pereant, ſi quos ianua clauſa iuuat.* 105. a

I.

*Ah pereat, ſi quis lentus amare poteſt.* 82. a

## XXXVI.
## ABOMINANDI.

IN LAOD.

*Dij precor à nobis omen remouete ſiniſtrum.* 34. a

XV. META.

*Procul ô procul omina dixit,*
*Talia dij pellant.* 198. b

I. AMOR.

*Procul omen abeſto.* 35. b

IN

IN LAODA.

*Omen reuocantis abeſto.* 35.b

II. AMOR.

*Et ſint ominibus pondera nulla meis.* 93.a

IN DIDONE.

*Nullum ſit in omine pondus.* 17.b

IN ACONT.

*Omina re careant.* 58.a

III. DE PONT.

*Si mea ſors redimenda tua (quod abominor) eſſet.* (181.b

IN HELENA.

*Dij melius, ſimilis non fuit ille tui.* 45.a

IIII. DE PON.

*Atq; vtinam verum tibi venerit omen.* 204.a

TIBVL. III.

*Dij meliora ferant, nec ſint inſomnia vera.* 66.a

## XXXVII.
## INCREPANTIS.

XIII. MET.

*Quæ vos dementia, dixi,*
*Concitat ô ſocij?* 162.a

XII. META.

*Quæ te vecordia, Theſeus,*
*Euryte pulſat, ait.* 151.b

V. META.

*Quæ te germane furentem*
*Mens agit in facinus?* 55.b

IN

IN DEIAN.

*Quò me furor egit amantem?* 24.b

# XXXVIII. AMENTIAE.

X. META.

*Stipite te Stygio, tumiduſq; afflauit Echidnis*
*E' tribus vna ſoror.* 1.27.a

IN SAPPH.

*Mentis inops, vt quam furialis Ericho*
*Impulit.* 67.a

IIII. META.

*Inde duos medijs abrupit crinibus angues,*
*Peſtiferaq; manu raptos immiſit: at illi*
*Inooſq; ſinus, Achamanteoſq; pererrant,*
*Inſpirantq; graues animos, nec vulnera membris*
*Vlla ferunt, mens eſt quæ diros ſentiat ictus.*
*Attulerat ſecum liquidi quoq; monſtra veneni,*
*Oris Cerberei ſpumas, & virus Echidnæ,*
*Erroreſq; vagos, cæcæq; obliuia mentis,*
*Et ſcelus & lacrimas, rabiemq; & cædis amorem,*
*Omnia trita ſimul: quæ ſanguine miſta recenti*
*Coxerat ære cauo, viridi verſata cicuta:*
*Dumq; pauent illi, vertit furiale venenum*
*Pectus in amborum, præcordiaq; intima mouit;*
*Tum face iactata per eundem ſæpius orbem,*
*Conſequitur motos velociter ignibus ignes.* 50.a

IN IBIN.

*Protinus*

*Protinus Eumenides lauêre paluſtribus vndis,*
*Quà caua de Stygijs Erebeæ felle colubræ.* 212. b

## XXXIX.

## EXPROBRANTIS iactantiam.

XIII. META.

*Vbi ſunt ingentia magni*
*Verba viri?* 164. a

IN PHAED.

*Heu vbi nunc faſtus altaq́ verba iacent?* 10. b

IN HERONE.

*Vndè nouus timor hic, quoq́ illa audacia fugit?*
*Magnus vbi eſt ſpretis ille natator aquis?* 54. a

IN HELENA.

*Sic illas timeo, quæ (ſi tua gloria vera eſt)*
*Iudice te cauſam non tenuêre duæ.* 48. b

IBIDEM.

*Sed qui tibi gloria magna eſt*
*Quintus, is à noſtro ſanguine primus erit.* 45. b
*Sed abeſt tua gloria vero.*

TIBVL. I.

*At mihi nunc longè gloria fortis abeſt.* 49. a

IBIDEM.

*Puero quæ gloria victo eſt?* 53. b

## XL.

EX-

# EXPROBRANTIS leuitatem.

IN OENONE.

*Tu leuior folijs, tunc cùm ſine pondere ſucci*
*Mobilibus ventis arida facta volant.*
*Et minus eſt in te, quàm in ſumma pondus ariſta,*
*Quæ leuis aßiduis ſolibus vſta riget.* 13. a

II. AMOR.

*Verba puellarum folijs leuiora caducis,*
*Irritaq́ꝫ vt viſum eſt, ventus et vnda ferunt.* 94. b

IIII. DE PONTO.

*Quolibet eſt folio, quauis incertior aura:*
*Par illi leuitas improbe ſola tua eſt.* 194. b

IN HYPSIP.

*Mobilis Aeſonide, vernaq́ꝫ incertior aura.* 15. b

II. AMOR.

*Tu leuis es, multoq́ꝫ tuis ventoſior alis.* 89. b

III. FAST.

*Bacche leuis, leuiorq́ꝫ tuis, quæ tempora cingunt,*
*Frondibus.* 36. b

IN DIDONE.

*Tu quoqꝫ cum ventis vtinam mutabilis eſſes.* 17. b

PROPER. II.

*Non ſic incerto mutantur flamine Syrtes,*
*Nec folia hiberno tam tremefacta noto:*
*Quàm citò fœminea non conſtat fœdus in ira.* 97. a

IBIDEM.

*Non ita Carpathiæ variant Aquilonibus vndæ,*

Nec

*Nec dubio nubes vertitur atra noto:*
*Quàm facilè irati verbo mutantur amantes.* 94.b

IBIDEM.

*Noſtraq́; non vllus permanet aura locis.* 98.a

IBIDEM.

*Ille tuus pennas tam citò vertit amor.* 106.a

IBIDEM.

*Formoſis leuitas ſemper amica fuit.* 101.a

# XLI.
# ASSENTIENDI.

VIII. MET.

*Annuit his, capitisq́; ſui pulcherrima motu,*
*Conceßit grauidis oneratos meßibus agros.* 106.b

IBIDEM.

*Mouit caput æquoreus rex,*
*Conceßitq́; ſuis omnes aſſenſibus vndas.* 103.b

II. FAST.

*Iuppiter annuerat: nutu tremefactus vterq;*
*Eſt polus, & cœli pondera mouit Atlas.* 22.a

III. AMOR.

*Hactenus, & mouit pictis innixa cothurnis,*
*Denſum cæſarie terq́; quaterq́; caput.* 97.b

XV. META.

*Annuit his, motisq́; Deus rata pignora criſtis,*
*Et repetita dedit vibrata ſibila lingua.* 200.b

V. FAST.

*Annuit & motis flores cecidêre capillis,*

Deci-

*Decidere in menſas vt roſa miſſa ſolet.* 65.b

III. FAST.

*Annuit, & motu ſigna ſecunda dedit.* 99.a

## XLII.
## VT VERVM FATEAR.

IN HERMIO.

*Obuia prodieram reduci tibi (vera fatebor)*
*Nec facies nobis nota parentis erat.* 21.b

IIII. DE PON.

*Si modò permittis dicere vera.* 193.a

TIBVL. I.

*Nec me nunc dicere vera pudebit.* 50.b

III.

*Nec mihi vera loqui pudor eſt.* 65.a

## XLIII.
## VT CONFERAMVS parua magnis.

III. DE PON.

*Si locus eſt aliquis tanta inter nomina paruis.* 180.b

V. META.

*Quòd ſi componere magnis*
*Parua mihi fas eſt.* 62.b

I. TRIST.

*Si licet exemplis in paruo grandibus vti.* 93.b

II. AMOR.

*Aptari magnis inferiora licet.* 95.a

III. DE ARTE.

*Quid vetat à magnis ad res exempla minores*
*Sumere?* 147.a

IBIDEM.

*Si licet à paruis animum ad maiora referre.* 146.b

XV. META.

*Vt exemplis ipſos æquantibus vtar.* 302.a

## XLIIII.

## NE LONGVM FACIAM.

IN IBIN.

*Inde ego pauca canam, frondes vt ſi quis in Ida,*
*Et ſummam Libyco de mare carpat aquã.* 212.a

III. DE ARTE.

*Sed repetamus iter, nudis mihi rebus agendum eſt,*
*Vt tangat portus feſſa carina ſuos.* 151.a

XV. META.

*Ne tamen oblitis ad metam tendere, longè*
*Expaciemur equis.* 196.a

I. DE PON.

*Sed memor vndè abij, queror.* 163.a

III. DE PONT.

*Nomina neu referã longum collecta per æuum.* 185.a

III. DE ARTE.

*Quid iuuat ambages præceptaq́; pauca referre?* 149.a

II. DE REMED.

*Quid moror exemplis, quorũ me turba fatigat?* 160.a

Qui

III. FAST.

*Quid moror? et varijs onero tua pectora cauſis? 32.b*

II. DE ARTE.

*Quid moror in paruis? animus maiorib. inſtat. 135.a*

IIII. FAST.

*Quò feror? immenſum eſt erratas dicere terras,*
*Præteritus Cereri nullus in orbe locus. 53.a*

V. FAST.

*Quò feror? Auguſtus menſis mihi carminis huius*
*Ius habet. 62.a*

# XLV.

# NON POSSVM ELOQVI.

VIII. MET.

*Non mihi ſi centum Deus ora ſonantia linguis,*
*Ingeniumq́; capax, totumq́; Helicona dediſſet:*
*Triſtia perſequerer miſerarum vota ſororum. 102.b*

I. TRIST.

*Si vox infragilis, pectus mihi firmius eſſet,*
*Pluraq́; cum linguis pluribus ora forent.*
*Non tamen idcirco complecterer omnia verbis,*
*Materia vires exuperante meas. 96.a*

II. FAST.

*Nunc mihi mille ſonos, quoq́; eſt memoratus Achilles,*
*Vellem Mæonide pectus ineſſe tuum. 16.a*

I. DE ARTE.

*Non mihi ſacrilegas meretricum vt perſequar artes:*
*Cùm totidem linguis ſint ſatis ora decem. 120.a*

IN IBIN.

*Nec mala voce mea poterunt tua cuncta referri,*
*Ora licet tribuas multiplicata mihi.* 212.a

X V. M E T A.

*Deſeret antè dies, & in alto Phœbus anhelos*
*Aequore tinget equos, quàm conſequar omnia dictis.*

I I. T R I S T. (196.a

*Tempore deficiar, tragicos ſi perſequar ignes,*
*Vixq́ meus capiet nomina nuda liber.* 108.b

I I. D E P O N T.

*Quæ tibi ſi memori coner perſcribere verſu,*
*Ilias eſt fati longa futura mei.* 174.b

## XLVI.

## QVODVIS OPTATO donum, id optatum feres.

X I. M E T A.

*Huic Deus optanti, gratum, ſed inutile fecit*
*Muneris arbitrium, gaudens altore recepto.*
*Ille malè vſuris donis, ait, effice: quidquid*
*Corpore contigero, fuluum vertatur in aurum.*
*Annuit optatis, nocituraq́ munera ſoluit*
*Liber: & indoluit, quod non meliora petiſſet.* 136.a

I I I. F A S T.

*Cui Numa munificus: Facti pete præmia, dixit,*
*Si mea nota fides, irrita nulla petes.* 35.a

I I. M E T A.

*Quoduis pete munus, & illud*
*Me tribuente feres:* 15.b

*Síquid*

V. FAST.

*Siquid fert impetus, opta,*
*Omne feres.* 68. a

XI. META.

*Nec tempora perde precando,*
*Quod petis omne feres.* 139. b

XII. META.

*Sint tua vota licet, dixit, ſecura repulſæ,*
*Elige quid foueas.* 151. a

III. META.

*Rogat illa Iouem ſine nomine munus.*
Cui Deus: *Elige, ait, nullam patière repulſam.* 34. b

XIIII. META.

*Elige, ait, virgo Cumæa, quid optes,*
*Optatis potière tuis.* 177. a

IBIDEM.

*Quaq́ petis, pro quoq́ petis, cape nata quod optas.* (184. b

TIBVL. II.

*Annuat & Cherinte tibi, quodcunq́ rogabis,*
*En age, quid ceſſas? annuit ille, roga.* 58. b

# XLVII.

# DVBITANDI.

IN HERO.

*Quid ſequar in dubio eſt.* 55. b

IN HELENA.

*In dubio pectora noſtra labant.* 47. b

VI. FAST.

*Cauſa latendi*
*Diſcrepat, et dubiū me quoq; mentis habet.* 81.a

IIII. TRIST.

*Quò poſtquam, dubium, pius an ſceleratus Oreſtes*
*Venit.* 131.a

VI. FAST.

*Auctor in incerto eſt.* 79.a

I. TRIST.

*Rector in incerto eſt, nec quid fugiatúe, petatúe,*
*Inuenit.* 91.b

III. DE ARTE.

*Incertus pectora verſat amor.* 50.b

V. FAST.

*Quò ferar ignoro, copiaq; iſta nocet.* 59.b

III. FAST.

*Non habet exactum quid agat.* 39.a

## XLVIII.

## CARMINVM ET INcantationum vis.

TIBVL. II.

*Te duce Romanos nunquam fruſtrata Sibylla eſt,*
*Abdita quæ ſenis fata canit pedibus.* 61.b

IDEM IIII.

*Quòd ſi vera canunt ſacris oracula templis.* 67.b

I. AMOR.

*Non te cantatæ læſerunt pellicis herbæ.* 81.b

VII. META.

*Creditu*

*Creditus accepit cantatas protinus herbas.* 80. b

# Medea.

VII. META.

*Quorum ope cùm volui, ripis mirantibus amnes*
*In fontes rediêre ſuos, concuſſaq; ſiſto,*
*Stantia concutio cantu freta, nubila pello,*
*Nubilaq́; induco, ventos abigoq́; vocoq́;,*
*Vipereas rumpo verbis & carmine fauces,*
*Viuaq́; ſaxa ſua, conuulſaq́; robora terra,*
*Et ſiluas moueo, iubeoq́; tremiſcere montes,*
*Et mugire ſolum, manesq́; exire ſepulcris.*
*Te quoq; Luna traho, quamuis Temeſæa labores*
*Aera tuos minuant, currus quoq; carmine noſtro*
*Pallent, & pallet noſtris aurora venenis.* 82. b

IN HYPSIP.

*Carmine mouit,*
*Diraq́; cantata pabula falce metit.*
*Illa reluctantem curru deducere Lunam*
*Nititur, & tenebris abdere ſolis equos.*
*Illa refrenat aquas, obliquaq́; flumina ſiſtit,*
*Illa loco ſiluas, viuaq́; ſaxa mouet.*
*Per tumulos errat paßis diſcincta capillis,*
*Certaq́; de tepidis colligit oſſa rogis.*
*Deuouet abſentes, ſimulacraq́; cærea fingit,*
*Et miſerum tenues in iecur vrget acus.* 15. a

# Circe.

XIIII. META.

*Concipit illa preces, & verba precantia dicit,*
*Ignotoſq́; deos ignoto carmine adorat,*
*Quo ſolet & niueæ vultum confundere lunæ,*
*Et patrio capiti bibulas ſubtexere nubes.*
*Tunc quoq; cantato denſatur carmine cœlum,*
*Et nebulas exhalat humus.* 180.

IBIDEM.

*Exiluêre loco (dictu mirabile) ſiluæ:*
*Ingemuitq́; ſolum, vicinaq́; palluit arbor,*
*Sparſaq́; ſanguineis rubuerunt pabula guttis,*
*Et lapides viſi mugitus edere raucos,*
*Et latrare canes, & humus ſerpentibus atris*
*Squallere, & tenues animæ volitare videntur.* 181.

## Dipſas.

I. AMOR.

*Illa magas artes, Aeæaq́; carmina nouit,*
*Inq́; caput liquidas arte recuruat aquas.*
*Scit bene quid gramen, quid torto concita rhombo*
*Licia, quid valeat virus amantis equæ.*
*Cùm voluit, toto glomerantur nubila cœlo:*
*Cùm voluit, puro fulget in orbe dies.*
*Sanguine (ſi qua fides) ſtillantia ſidera vidi,*
*Purpureus lunæ ſanguine vultus erat.*
*Hanc ego nocturnas viuam volitare per vmbras*
*Suſpicor, & pluma corpus anile tegi.*
*Suſpicor, & fama eſt: oculis quoq; pupula duplex*
*Fulminat, & geminum lumen ab orbe venit.*
*Euocat antiquis proauos atauoſq́; ſepulcris,*

*Et ſolidam longo carmine ſindit humum.* 75.b

## Mycale.

XII. MET.

*Mycale, quam deduxiſſe canendo*
*Sæpe reluctantis conſtabat cornua lunæ.* 152.a

II. AMOR.

*Carmina ſanguineæ deducunt cornua lunæ,*
*Et reuocant niueos ſolis euntis equos.*
*Carmine diſsiliunt abruptis faucibus angues,*
*Inq́ſuos fontes verſa recurrit aqua.* 83.a

I. DE REMED.

*Me duce non tumulo prodire iubebitur vmbra,*
*Non anus infami carmine rumpet humum.*
*Non ſeges ex aliјs alios tranſibit in agros,*
*Nec ſubitò Phœbi pallidus orbis erit.*
*Vt ſolet, æquoreas ibit Tiberinus in vndas:*
*Vt ſolet, in niueis luna vehetur equis.*
*Nulla recantatas deponent pectora curas,*
*Nec fugiet viuo ſulſure victus amor.* 157.a

III. AMOR.

*Num mea Theſſalico languent deuota veneno*
*Corpora? num miſero carmen & herba nocent?*
*Sagaq́ Phœnicea defixit nomina cæra?*
*Et medium tenues in iecur vrget acus?*
*Carmine læſa Ceres ſteriles vaneſcit in herbas,*
*Deficiunt læſæ carmine fontis aquæ.*
*Ibicibus glandes, cantataq́ vitibus vua*
*Decidit, & nullo poma mouente fluunt.*

*Quid vetat & neruos magicas torpere per artes?*

DE MED. FACIEI .(104.a

*Sic potius non tanget amor, quàm fortibus herbis,*
*Quas maga terribili ſubſecat arte manus.*
*Nec vos graminibus, nec miſto credite ſucco,*
*Nec tentate nocens virus amantis equæ.*
*Nec mediæ Marſis finduntur canibus angues,*
*Nec redit in fontes vnda ſupina ſuos.*
*Et quamuis aliquis Temeſæa remouerit æra,*
*Nunquam Luna ſuis excutietur equis.* 167.b

TIBVL. I.

*Hanc ego de cœlo ducentem ſidera vidi,*
*Fluminis hæc rapidi carmine vertit iter.*
*Hæc cantu finditq́; ſolum, manesq́; ſepulcris*
*Elicit, & tepido deuocat oſſa rogo.*
*Iam ciet infernas magico ſtridore cateruas,*
*Iam iubet aſperſas lacte referre pedem.*
*Cùm libet, hæc triſti depellit nubila cœlo:*
*Cùm libet, æſtiuo conuocat orbe niues.*
*Sola tenere malas Medeæ dicitur herbas,*
*Sola feros Hecates perdomuiſſe canes.* 45.a

IBIDEM.

*Cantus vicinis fruges traducit ab agris,*
*Cantus & iratæ detinet anguis iter:*
*Cantus & è curru lunam deducere tentat:*
*Et faceret, ſi non æra repulſa ſonent.* 53.a

PROPERT. IIII.

*Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum,*
*Et volucris nidis eſſe nouerca ſuis.*

*Quippe*

*Quippe & Collinas ad foſſam mouerit herbas,*
*Stagnaq́ currenti diluerentur aqua.*
*Audax cantatæ leges imponere lunæ,*
*Et ſua nocturno fallere terga lupo.*
*Poſſet & intentos aſtu cæcare maritos,*
*Cornicum immeritas eruit vngue genas.*
*Conſuluitq́ ſtriges noſtro de ſanguine, & in me*
*Hippomanes fœtæ ſemina lêgit equæ.* 138. b

IIII.

*Non me moribus illa, ſed herbis improba vicit,*
*Straminea rhombi ducitur ille rota.*
*Illum turgentis ranæ portenta rubetæ,*
*Et lecta ex ſectis anguibus oſſa trahunt.*
*Et ſtrigis inuentæ per buſta iacentia plumæ,*
*Cinctaq́ funeſto, lanea vitta viro.* 118. a

II.

*Deficiunt magico torti ſub carmine rhombi,*
*Et iacet extincto laurus aduſta foco.*
*Et iam luna negat toties deſcendere cœlo,*
*Nigraq́ funeſtum condidit omen anus.* 109. a

I.

*At vos deductæ quibus eſt fallacia lunæ,*
*Et labor in magicis ſacra piare focis.* 79. a

IBIDEM.

*Tunc ego crediderim vobis & ſidera & amnes*
*Poſſe Citeïnis ducere carminibus.*

II.

*Non hîc herba valet, non hîc nocturna Citeis,*
*Non per Medeæ gramina cocta manus.* 94. a

# XLIX.

## POETICAE EX-cellentia.

OVID. IIII. DE PON.

*Nec tamen officio vatum, per carmina facto,*
*Principibus res eſt aptior vlla viris.*
*Carmina veſtrarum peragunt præconia laudum:*
*Neúe ſit actorum fama caduca, cauent.*
*Carmine fit viuax virtus, experſq́ ſepulcri,*
*Noticiam ſeræ poſteritatis habet.* 199.a

II. AMOR.

*Scinduntur veſtes, gemmæ franguntur, & aurum:*
*Carmina, quam tribuent fama, perennis erit.* 79.a

IBIDEM.

*Cùm ſilices, cùm dens patientis aratri*
*Depereant æuo: carmina morte carent.*
*Cedant carminibus reges, regumq́ triumphi,*
*Cedat & auriferi ripa beata Tagi,*
*Vilia miretur vulgus: mihi flauus Apollo*
*Pocula caſtalia plena miniſtret aqua.* 82.a

III. AMOR.

*Durat opus vatum, Troiani fama laboris,*
*Tardaq́ nocturno tela retexta dolo.* 106.a

IIII. DE PONT.

*Tabida conſumit ferrum, lapidemq́ vetuſtas:*
*Nullaq́ res maius tempore robur habet.*
*Scripta ferunt annos: ſcriptis Agamemnona noſti,*
*Et quiſquis contra vel ſimul arma tulit.*

*Quis Thebas ſeptemq́ꝫ duces ſine carmine noſſet?*
*Et quidquid poſt hac, quidquid & antè fuit?*
*Dij quoqꝫ carminibus (ſi fas eſt dicere) fiunt,*
*Tantaq́ꝫ maieſtas ore canentis eget.*
*Sic Chaos ex illa naturæ mole prioris*
*Digeſtum, partes ſcimus habere ſuas.*
*Sic affectantes cœleſtia regna Gigantes*
*Ad ſtyga nubifero vindicis igne datos.*
*Sic victor laudem ſuperatis Liber ab Indis,*
*Alcides capta traxit ab Oechalia.*
*Et modò Cæſar auum, quem virtus addidit aſtris,*
*Sacrarunt aliqua carmina parte tuum.* 119.a

TIBVL. I.

*Pïeridas pueri doctos & amate poëtas,*
*Aurea nec ſuperent munera Pïeridas.*
*Carmine purpurea eſt Niſi coma, carmina ni ſint*
*Ex humero Pelopis non nituiſſet ebur.*
*Quem referent Muſæ, viuet, dum robora tellus,*
*Dum cœlum ſtellas, dum vehit amnis aquas.* 48.b

## L.

## MVSICAE EXCELLENTIA.

### Orpheus.

IIII. TRIST.

*Cùm traheret ſiluas Orpheus, & dura canendo*
*Saxa: bis amiſſa coniuge mœſtus erat,*
*Me quoqꝫ Muſa leuat.* 125.b

*Saxa*

III. DE ARTE.

*Saxa ferasq́ lyra mouit Rhodopeïus Orpheus,*
*Tartareosq́ lacus, tergeminumq́ canem.* 143.

X. META.

*qua poſtquam parte reſedit*
*Dijs genitus vates, & fila ſonantia mouit,*
*Vmbra loco venit: non Chaonis abſuit arbor,*
*Non nemus Heliadum, non frondibus æſculus altis,*
*Nec tiliæ molles, nec fagus, & innuba laurus,*
*Et coryli fragiles, & fraxinus vtilis haſtis,*
*Enodisq́ abies, curuataq́ glandibus ilex,*
*Et platanus genialis, acerq́ coloribus impar,*
*Annicolæq́ ſimul ſalices, & aquatica lotos,*
*Perpetuoq́ virens buxus, tenuesq́ myricæ,*
*Et bicolor myrtus, & baccis cærula ficus:*
*Vos quoq́ flexipedes ederæ veniſtis, & vnà*
*Pampineæ vites, & amictæ vitibus vlmi,*
*Orniq́, & piceæ, pomoq́ onerata rubenti*
*Arbutus, & lentæ victoris præmia palmæ,*
*Et ſuccincta comas, hirſutaq́ vertice pinus,*
*Grata deûm matri.* 132.

IBIDEM.

*Talia dicentem, neruosq́ ad verba mouentem,*
*Exangues flebant animæ, nec Tantalus vndam*
*Captauit refugam, ſtupuitq́ Ixionis orbis,*
*Nec carpſere iecur volucres, vrnisq́ vacarunt*
*Belides, inq́ tuo ſediſti Siſyphe ſaxo:*
*Tunc primùm lacrimis victarum carmine fama eſt*
*Eumenidum maduiſſe genas.* 132.

PRO-

PROPER. III.

*Orpheu te tenuiſſe feras, & concita dicunt*
*Flumina Threïcia detinuiſſe lyra.* 115. b

## Arion.

III. DE ARTE.

*Quamuis mutus erat, voci fauiſſe putatur*
*Piſcis, Arioniæ fabula nota lyræ.* 144. a

II. FAST.

*quæ neſcit Ariona tellus,*
*Carmine currentes ille tenebat aquas,*
*Sæpe ſequens agnam, lupus eſt à voce retentus,*
*Sæpe auidum fugiens reſtitit agna lupum,*
*Sæpe canes, leporesq́;, vnà iacuêre ſub vmbra,*
*Et ſtetit in ſaxo proxima cerua leæ:*
*Et ſine lite loquax, cum Palladis alite cornix*
*Sedit: & accipitri iuncta columba fuit.*
*Cynthia ſæpe tuis fertur vocalis Arion,*
*Tanquam fraternis, obſtupuiſſe modis.* 15. b

## Amphion.

III. DE ARTE.

*Saxa tuo cantu vindex iuſtiſsime matris,*
*Fecerunt muros officioſa nouos.* 144. a

PROPERT. III.

*Saxa Cytheronis Thebas agitata per artem,*
*Sponte ſua in muri membra coiſſe ferunt.* 115. b

## Thamyras.

*Tu licet*

III. DE ARTE.

*Tu licet & Thamyram ſuperes atq; orphea cantu.* 145.a

## Canens.

XIIII. META.

*Siluas & ſaxa mouere*
*Et mulcere feras, & flumina longa morari*
*Ore ſuo, volucresq́; vagas retinere ſolebat.* 180.a

## LI.

## A MAGNIS VINCI laus eſt.

XIIII. META.

*Iſte tulit precium iam nunc certaminis huius,*
*Quòd cùm victus erit, mecum certaſſe feretur.* 158.b

V. META.

*Magna feres tacitas ſolatia mortis ad vmbras*
*A` tanto cecidiſſe viro.* 58.b

XII. META.

*Solamen habeto*
*Mortis ab Aemonio quòd ſis iugulatus Achille.* 149.a

IX. META.

*Magnaq; dat nobis tantus ſolatia victor.* 108.b

## LII.

## FOCI CONSTRVENDI.

XIII. MET.

*Inde*

*Inde foco tepidum cinerem dimouit, & ignes*
*Suſcitat heſternos, folijsq; & cortice ſicco*
*Nutrit, & ad flammas anima perducit anili,*
*Multifidasq; faces, ramaliaq; arida, tecto*
*Detulit, & minuit, tepidoq; admouit aheno.* 104. a

V. FAST.

*Ipſe genu nixus, flammasq; excuſsit ab aura,*
*Et promit, quaſſas comminuitq; faces.* 68. a

II. FAST.

*Ligna ſenex minuit, conſciſaq; conſtruit altè.* 25. a

IBIDEM.

*Tunc ſicco primas irritat cortice flammas.* 25. a

TIBVL. II.

*Tunc nitidus plenis confiſus ruſticus agris,*
*Ingerat ardenti grandia ligna foco.* 57. a

## LIII.
## RES PROBAT.

III. META.

*Exitus illam,*
*Resq; probat.* 35. b

IX. META.

*Vltima dicta*
*Re probat.* 110. a

III. META.

*Req; minas firmat.* 36. a

XIII. META.

*Et quid facundia poſſet,*

*Re patuit.* 164.b

XIIII. META.

*Læſaq́ȝ quid faciat, quid amans, quid fœmina, diſcet*
*Rebus, ait.* 181.a

III. FAST.

*At certè credetis, ait, ſi verba ſequetur*
*Exitus.* 34.b

IIII. META.

*Res dicta ſecuta eſt.* 51.a

IN PHYL.

*Exitus acta probat.* 4.b

VI. FAST.

*Exitus acceßit verbis.* 81.a

III. META.

*Impia turba probat factum.* 40.a

## LIIII.
## CAVSA CAPVTQ;.

I. DE PONT.

*Hortator ſtudij cauſaq́ȝ, faxq́ȝ, mei.* 162.b

I. DE REMED.

*Hæc ſunt iucundi cauſa cibusq́ȝ mali.* 155

IIII. META.

*Lethiq́ȝ miſerrima dicar*
*Cauſa comesq́ȝ tui.* 44.b

VI. META.

*Omnia pro ſtimulis, facibusq́ȝ, ciboq́ȝ furoris*
*Accipit.* 75.a

Fida

I. TRIST.

*Fida manet trepidæ duxq́; comesq́; fugæ.* 100. a

II. DE PON.

*In quibus & belli ſumma caputq́; fuit.* 167. b

IBIDEM.

*Vos eritis noſtræ portus & aura fugæ.* 176. b

III. DE PONT.

*Nec liber vt fieret, ſed vti ſua cuiq; daretur*
*Litera, propoſitum curaq́; noſtra fuit.* 192. a

PROPERT. I.

*Hæc eſt venturi prima fauilla mali.* 84. a

## LV.

## CELERITATIS.

X. META.

*Carcere pronus vterq;,*
*Emicat, & ſummam celeri pede libat harenam:*
*Poſſe putes illos ſicco freta radere paſſu,*
*Et ſegetis canæ ſtantes percurrere ariſtas.* 132. b

VII. META.

*Illa leui velox ſuperabat retia ſaltu,*
*Summaq́; tranſibat poſitarum lina plagarum,*
*Copula detrahitur canibus: quos illa ſequentes*
*Effugit, & cœtum non ſegnior alite ludit.* 92. a

X. META.

*Curſu volat alite virgo,*
*Quæ quondam Scythica non ſegnius ire ſagitta*
*Aonio viſa eſt iuueni.* 131. b

VII. META.

*Non ocyor illo*
*Haſta, nec exutæ contorto verbere glandes,*
*Nec Gortyniaco calamus leuis exit ab arcu.* 92.a

III. META.

*Inde ruunt alij rapida velocius aura.* 33.a

X. META.

*Aura refert ablata citis talaria plantis.* 131.b

I. META.

*Crura nec ablato proſunt velocia ceruo.* 6.b

XI. META.

*Curſu feſtinus anhelo*
*Aduolat armenti cuſtos.* 140.b

I. TRIST. DE NAVE.

*Nec comites volucri contenta eſt vincere curſu,*
*Occupat egreſſas quamlibet arte rates.* 100.a

## LVI.
## AVCVPII VEL Piſcationis.

XV. META.

*Retia cum pedicis, laqueoſq; arteſq; doloſas*
*Tollite, nec volucres viſcata fallite virga,*
*Nec formidatis ceruos includite pennis,*
*Nec celate cibis vncos fallacibus hamos.* 197.a

I. DE REMED.

*Lenius eſt ſtudium, ſtudium tamen, alite capta,*
*Aut lino aut calamis præmia parua ſequi.*

*Vel quæ piſcis edax auido malè deuoret ore,*
*Abdere ſupremis æra recurua cibis.* 156. b

I. DE ARTE.

*Non auis vtiliter viſcatis effugit alis,*
*Non bene de laxis caſſibus exit aper.*
*Saucius arrepto piſcis retinetur ab hamo.* 119. b

IN HERO.

*Nunc volucrē laqueo, nunc piſcē ducitis hamo.* 53. a

XIIII. MET.

*Deditus æquoribus, tantùm exercebar in illis.*
*Nam modò ducebam ducentia retia piſces,*
*Nunc in mole ſedens, moderabar arundine linum.* (173. b

VIII. MET.

*O qui pendentia paruo*
*Aere cibo velas moderator arundinis, inquit,*
*Sic mare compoſitum, ſic ſit tibi piſcis in vnda*
*Credulus, & nullus niſi fixus ſentiat hamos.* 108. a

VI. FAST.

*Qui lina madentia ducunt,*
*Quiq; tegunt paruis æra recurua cibis.* 75. b

III. META.

*Pauper & ipſe fuit, linoq; ſolebat & hamis*
*Decipere, & calamo ſalientes ducere piſces.* 39. b

I. DE ARTE.

*Qui ſuſtinet hamos,*
*Nouit quæ multo piſce natentur aquæ.* 113. b

IBIDEM.

*Hi iaculo piſces, illi capiantur ab hamo,*
*Hoc caua contento retia fune trahunt.* 125. b

III. DE ARTE.

*Hos aliquis tremula dũ captat arundine piſces.* 127.a

XV. META.

*Nec ſua credulitas piſcem ſuſpenderat hamo.* 190.b

TIBVL. II.

*Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine piſces,*
*Cùm tenues hamos abdidit ante cibus.* 63.b

PROPER. II.

*Hæc igitur mihi ſit lepores audacia molles*
*Excipere, & ſtricto figere auem calamo.* 63.b

III.

*Et me Pana tibi comitem de rupe vocato,*
*Siue petas calamo præmia, ſiue cane.* 124.b

## LVII.
## VITAE INCORruptæ.

IN HELENA.

*Si non eſt ficto vultus mihi triſtis in ore,*
*Nec ſedeo duris torua ſupercilijs:*
*Fama tamen clara eſt, & adhuc ſine crimine vixi,*
*Et laudem de me nullus adulter habet.* 45.a

I. AMOR.

*Et non ceſſuri niſi dijs ſine crimine mores,*
*Nudaq́; ſimplicitas, purpureusq́; pudor.* 70.b

AD LIVIAM.

*Quid tibi nunc mores proſunt, actumq́; pudicè*
*Omne æuum?* 220.b

IN PHAED.

*Fama*

*Fama, velim quæras, crimine noſtra vacat.* 8.b

IBIDEM.

*Ille prior, quo me ſine crimine geßi*
*Candor.* 8.b

IN HELENA.

*Dumq; tenor vitæ ſit ſine labe meæ.* 44.b

IBIDEM.

*Perpetuò famam ſine labe tenebo.* 45.b

II. TRIST.

*Crede mihi, diſtant mores à carmine noſtro:*
*Vita verecunda eſt, Muſa iocoſa mea.*
*Nec liber indicium eſt animi, ſed honeſta voluntas.*
(107.b

I. TRIST.

*Vita tamen tibi nota mea eſt, ſcis artibus illis*
*Auctoris memores abſtinuiſſe ſui.*

II. DE PONT.

*Vita prior vicio caret, & ſine labe peracta eſt.* 175.a

IIII. TRIST.

*Decem luſtris omni ſine labe peractis.* 134.a

III. DE ARTE.

*Maius opus mores compoſuiſſe ſuos.* 144.b

II. TRIST.

*Quodcunq; attigerit, ſiqúa eſt ſtudioſa ſiniſtri,*
*Ad vicium mores inſtruet inde ſuos.* 106.a

III. DE ARTE.

*Pertinet ad faciẽ rabidos compeſcere mores.* 146.b

## LVIII.
## EST ALIQVID.

XIII. META.

*Eſt aliquid, de tot Graiorum millibus vnum*
*A Diomede legi.* 162.b

I. FAST.

*Eſt aliquid, magnis crimen abeſſe malis.* 10.a

II. DE PONTO.

*Eſt aliquid patrijs vicinum finibus eſſe.* 175.a

II. DE REMED.

*Quòd ſi quis veſtrûm factum hoc accuſat Achiui,*
*Eſt aliquid, valida ſceptra tenere manu.* 161.a

## LIX.

## EBRII.

VI. FAST.

*Conuiuæ valido titubantia vino*
*Membra mouent, dubij ſtantq́ labantq́ pedes.* 83.a

IIII. META.

*Quiq́ ſenex ferula titubantes ebrius artus*
*Suſtinet, & pando non fortiter hæret aſello.* 42.b

I. DE ARTE.

*Ebrius ecce ſenex pando Silenus aſello*
*Vix ſedet, & preſſas continet arte iubas.* 122.a

XI. META.

*At Silenus abeſt, titubantem annisq́ meroq́*
*Ruricolæ cepêre Phryges.* 136.a

III. META.

*Ille mero ſomnoq́ grauis titubare videtur.* 40.a

II. FAST.

*Et feruet*

*Et feruet multo linguaq́ꝫ mensq́ꝫ mero.* 26.a

I. DE ARTE.

*Ebrietas vt vera nocet, ſic ficta iuuabit,*
*Fac titubet blæſo ſubdola linqua ſono.* 122.a

III. TRIST.

*Lapſaúe ſunt nimio verba profana mero.* 117.a

VI. FAST.

*Nox erat, & vinis oculiq́ꝫ animiq́ꝫ natabant.* 83.a

X. META.

*Nacta grauẽ vino Cinyrã malè ſedula nutrix.* 129.a

XIIII. META.

*Nimijq́ꝫ Elpenora vini.* 179.a

IN IBIN.

*Neúe gradus adeas Elpenore cautius altos,*
*Vimq́ꝫ feras vini, quo tulit ille modo.* 217.a

II. TRIST.

*Sed linguam nimio non tenuiſſe mero.* 109.a

II. FAST.

*Ecce nurum regis, fuſis per colla coronis*
*Inueniunt poſito peruigilare mero.* 26.b

VI. FAST.

*In multo nox eſt peruigilata mero.* 77.a

I. AMOR.

*Nigri non illa parentem*
*Memnonis in roſeis ſobria vidit equis.* 75.a

I. DE REMED.

*Multo tempora quaſſa mero.* 155.b

VI. FAST.

*Pars pede, pars etiam celeri decurrite cymba.*

*Nec pudeat potos inde redire domum.*
*Ferte coronatæ iuuenum conuiuia lintres,*
*Multaq́; per medias vina bibantur aquas.* 84.b

IN PARIDE.

*Sæpe mero flammam volui compeſcere, at illa*
*Creuit, & ebrietas ignis in igne fuit.* 42.a

I. DE ARTE.

*Et Venus in vinis, ignis in igne fuit.* 117.a

XI. META.

*Nam tibi ſæuorum ſæuiſsime Centaurorum*
*Euryte, quàm vino pectus, tam virgine viſa*
*Ardet, & ebrietas geminata libidine regnat.* 151.b

I. DE PONTO.

*Non hæc immodico contraxi damna Lyæo.* 166.a

II. FAST.

*Vtq́; videt comites ſomno vinoq́; ſolutos.* 19.b

III. DE ARTE.

*Turpe iacens mulier multo madefacta Lyæo.* 151.a

I. DE ARTE.

*Vinaq́; cùm bibulas ſparſere cupidinis alas,*
*Permanet, & capto ſtat grauis ille loco.* 117.a

III. FAST.

*Plebs venit, ac virides paſsim diſiecta per herbas*
*Potat, & accumbit cum pare quiſq́; ſua.*
*Sub Ioue pars durat, pauci tentoria ponunt,*
*Sunt quibus è ramis frondea facta caſa eſt:*
*Pars ſibi pro rigidis calamos ſtatuêre columnis,*
*Deſuper extentas impoſuêre togas.*
*Sole tamen vinoq́; calent, annoſq́; precantur,*

*Quot ſumunt cyathos, ad numerumq́ꝫ bibunt.*
*Inuenias illic, qui Neſtoris ebibat annos,*
*Quæ ſit per calices facta Sibylla ſuos.*
*Illic & cantant quidquid didicêre theatris,*
*Et iactant faciles ad ſua verba manus.*
*Et ducunt poſito duras cratere choreas,*
*Cultaq́ꝫ diffuſis ſaltat amica comis.*
*Cùm redeunt, titubant, & ſunt ſpectacula vulgi,*
*Et fortunatos obuia turba vocat.*
*Occurrit nuper, viſa eſt mihi digna relatu*
*Pompa, ſenem potum pota trahebat anus.* 37. b

TIBVL. II.

*Nunc mihi fumoſos veteris proferte falernos*
*Conſulis, & Chio ſoluite vincla cado.*
*Vina diem celebrent, non feſta luce madere*
*Eſt rubor, errantes & malè ferre pedes.* 57. b

III.

*Care puer madeant generoſo pocula Baccho,*
*Et nobis prona funde Falerna manu.* 68. b.

I.

*Neu quiſquam multo perfuſum tempora Baccho*
*Excitet.* 44. a

II.

*At madidus Baccho ſua feſta Palilia paſtor*
*Concinet.* 62. b

PROPER. III.

*Me iuuat & multo mentem vincire Lyæo,*
*Et caput in verna ſemper habere roſa.* 117. b

I.

Ebria

*Ebria cum multo traherem veſtigia Baccho,*
*Et quaterent ſera nocte facem pueri.* 80.a

I I.

*Heſterna mea lux cùm potus nocte vagarer,*
*Nec me ſeruorum duceret vlla manus.* 109.b

IBIDEM.

*Largius effuſo madeat tibi menſa falerno,*
*Spumet & aurato mollius in calice.* 113.a

IBIDEM.

*Vna tamen cauſa eſt, quòd crimina tanta remittis,*
*Errabant multo quòd tua verba mero.* 113.b

IBIDEM.

*Et preſſi multo membra iacere mero.* 100.b

## L X.
## TINGENDI LANAS.

II. DE REMED.

*Confer Amycleis medicatum vellus ahenis,*
*Murice cum Tyrio, turpius illud erit.* 164.b

DE MED. FACIEI.

*Vellera ſæpe eadem Tyrio medicantur aheno.* 167.a

VI. META.

*Illic & Tyrium quæ purpura ſenſit ahenum*
*Texitur.* 68.a

III. FAST.

*Hanc cole, qui maculas læſis de veſtibus aufers:*
*Hanc cole, velleribus quiſquis ahena paras.* 42.a

VI. META.

*Phocaico*

*Phocaico bibulas tingebat murice lanas.* 67.a

III. DE PONTO.

*Purpura ſæpe tuos fulgens protexit amictus,*
*Sed non Sarmatico tingitur illa mari.* 191.a

II. TRIST.

*Dat tenues tunicas, Getulo murice tinctas.* 19.a

III. DE ARTE.

*Lana tot aut plures ſuccos bibit, elige certos.* 141.b

IBIDEM.

*Nec quæ bis Tyrio murice lana rubet.* 141.b

TIBVLLVS.

*O pereat, quicunq; legit virideſq; ſmaragdos,*
*Et niueam Tyrio murice tingit ouem.* 60.b

III.

*Quidue in Erithræo legitur quæ littore concha,*
*Tinctaq; Sidonio murice lana iuuat?* 65.b

IIII.

*Sola puellarum digna eſt, cui mollia charis*
*Vellera det ſuccis bis madefacta Tyros.* 73.b

PROPERT. III.

*Et venit è rubro concha Erycina ſalo.*
*Et Tyrus oſtrinos præbet Cadmæa colores.* 142.a

## LXI.
## ANATHEMATA, SEV Vota dijs dicata.

### Lyræ dedicatio.

OVID. IN SAPPH.

*Grata*

*Grata lyram poſuit tibi Phœbe poëtria Sappho*
*Conuenit illa mihi, conuenit illa tibi.* 68.a

## Pomi.

IN ACONT.

*Effigie pomi teſtatur Acontius huius,*
*Quæ fuerint in eo ſcripta, fuiſſe rata.* 60.b

## Literarum.

I. AMOR.

*Veneri fidas ſibi Naſo tabellas*
*Dedicat, at nuper vile fuiſtis acer.* 79.b

## Muneris non expreſſi.

IX. META.

*Dona puer ſoluit, quæ fœmina vouerat, Iphis.* 121.b

## Statuæ inſcriptio.

IN PHYL.

*Hic eſt, cuius amans hoſpita, capta dolo eſt.* 4.a

## Palmæ aureæ.

TIBVL. I.

*Hanc tibi fallaci reſolutus amore Tibullus*
*Dedicat, & grata ſis dea mente rogat.* 55.b

## Exuuiarum.

PROPERT. II.

*Has pono ante tuas tibi Diua Propertius ædes*
*Exuuias, tota nocte receptus amans.* 99.b

EPITA-

# LXII.

# EPITAPHIA.

## Ouidij.

III. TRIST.

*Hîc ego qui iaceo, tenerorum luſor amorum,*
*Ingenio perij Naſo poëta meo.*
*At tibi qui tranſis, ne ſit graue, quiſquis amaſti,*
*Dicere, Naſonis molliter oſſa cubent.* 114.b

## Hypermneſtræ.

IN HEROID.

*Exul Hypermneſtra, precium pietatis iniquum,*
*Quam fratri mortem depulit, ipſa tulit.* 38.a

## Didonis.

IBID. ET III. FAST.

*Præbuit Aeneas & cauſam mortis, & enſem:*
*Ipſa ſua Dido concidit vſa manu.* 19.b. & 37.b

## Phyllidis.

IBIDEM.

*Phyllida Demophoon letho dedit hoſpes amantem,*
*Ille necis cauſam præbuit, ipſa manum.* 5.b

## Caietæ.

XIIII. META.

*Hîc me Caietam, notæ pietatis alumnus,*
*Ereptam Argolico, quo debuit igne, cremauit.* 182.a

Phaë-

## Phaëthontis.

II. META.

*Hîc ſitus eſt Phaëthon, currus auriga paterni,*
*Quem ſi nō tenuit, magnis tamen excidit auſis.* 20.b

## Pſittaci.

II. AMOR.

*Colligor ex ipſo Dominæ placuiſſe ſepulcro,*
*Ora fuêre mihi plus Aue docta loqui.* 87.b

TIBVL. I.

*Hîc iacet immiti conſumptus morte Tibullus,*
*Meſſalam terra, dum ſequiturq́ mari.* 47.a

## Lygdami.

TIBVL. III.

*Lygdamus hîc ſitus eſt, dolor huic, & cura Neæræ*
*Coniugis ereptæ, cauſa perire fuit.* 65.b

PROPERT. II.

*Qui nunc iacet arida puluis,*
*Vnius hic quondam ſeruus amoris erat.* 99.a

IBIDEM.

*Huic miſero fatum dura puella fuit.* 92.b

## Cinthiæ.

PROPER. IIII.

*Hac Tiburtina iacet aurea Cynthia terra,*
*Acceßit ripæ laus Aniene tua.* 142.b

GEOR-

# GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS DESCRIOTIONVM variarum

# Liber Tertius.

## CAPITA.

QVATVOR hominum ætates,
Puericia
Adoleſcentia
Iuuentus
Senectus.
Aetatum omnium.
Quatuor anni tempeſtates,
Ver
Aeſtas
Autumnus
Hiems.
Signorum ſolarium,
Arietis
Tauri
Geminorum
Cancri
Leonis
Libræ
Scorpionis
Sagittarij
Capricorni
Aquarij

Piſcium.

Variarum ſtellarum, vel ſiderum :

Vrſæ maioris, minorisq; :

Plauſtri

Pleiadum

Coronæ

Caniculæ

Pleiadum

Diuerſorum

Zodiaci

Planetarum

Lunæ

Diluculi

Auroræ

Luciferi

Orientis ſolis vel diei

Meridiei

Solis occidentis

Crepuſculi

Noctis

Noctis intempeſtæ, ſeu Conticinij

Sub primum ſomnum.

Temporum variorum :

Horæ vnius

Plurium

Diei

Diei vnius

Dierum trium

Quatuor dierum

Quinq;

Quinq; dierum
Sex dierum
Septem dierum
Decem dierum
Quindecim dierum, T.
Duarum noctium, P.
Noctium ſeptem
Menſis vnius
Anni vnius
Annorum duorum
Trium annorum bis, O & P.
Quatuor annorum
Quinq; annorum
Sex annorum
Septem annorum
Decem annorum
Viginti annorum bis, O & P.
Quinquaginta annorum
Nonaginta annorum
Trecentorum annorum bis, O & T.
Quingentorum annorum.
Temporis perpetui.
Dies noctesq;.
Ab ortu ſolis vſq; ad occaſum.
Regionis Septentrionalis.
Zonarum.
Ventorum.
Scyllæ & Charybdis.
Pluuiarum.

Tempeſtatum.
Serenitatis.
Deſcriptiones,
Fontis
Stagni
Fluuij amœni
Montis
Luci
Nemoris
Horti
Campi
Vallis
Portus
Scopuli.
Similitudines.
Comparationes.
Collationes.
Collationes comparatiuæ.

## I.
## QVATVOR HOMINVM AETATES.

### Puericia.

VI. META.

*Barbaq; dum rutilis aberat ſubnixa capillis.* 78. b

IX. META.

*Pæne puer, dubiaq; tegens lanugine malas,*
*Ora reformatus primus Iolaus in annos.* 115. a

*Prima*

XII. MET.

*Prima tectus lanugine malas.* 152. b

II. FAST.

*Nam puer impubes, & adhuc non vtilis annis.* 18. a

TIBVL. I.

*Carior eſt auro iuuenis, cui leuia fulgent*
*Ora, nec amplexus aſpera barba terit.* 53. a

OVID. III. DE ARTE.

*Fœmina quid faciet, cùm vir ſit leuior ipſa?*

I. DE ARTE.

*Sed puer eſt, ætas mollis & apta regi.* 113. a

VIII. MET.

*Primis etiam nunc Neſtor in annis.* 98. b

IX. META.

*Inq; ſinu puerum, qui nondum impleuerat annum,*
*Dulce ferebat onus.* 114. a

## XI. annorum.

III. META.

*Nanq; ter ad quinos vnum Cephiſius annos*
*Addiderat, poteratq; puer, iuuenisq; videri.* 35. b

## XII. annorum.

IIII. FAST.

*Filius huius erat primo laſciuus in æuo,*
*Addideratq; annos ad duo luſtra duos.* 55. a

VIII. MET.

*Nanq; huic tradiderat fatorum ignara docendum*
*Progeniem germana ſuam, natalibus actis*

*Bis puerum ſenis, animi ad præcepta capacis.* 97.b

### XIII. annorum.

IX. META.

*Tertius interea decimo ſucceſſerat annus.* 120.b

### XV. annorum.

II. FAST.

*Iam tria luſtra puer, furto conceptus, agebat.* 17.a

IIII. META.

*Is tria cùm fecit primùm quinquennia, montes*
*Deſeruit patrios.* 47.a

II. META.

*Arcas adeſt, ter quinq; ferens natalibus annos.* 23.a

### XVI. annorum.

XIII. META.

*Pulcher, & octonis iterum natalibus actis,*
*Signarat teneras dubia lanugine malas.* 171.a

V. META.

*Bis adhuc octonis integer annis.* 56.b

TIBVL. I.

*Sed patrij ſaruate lares, aluiſtis & ijdem,*
*Curſarem veſtros cùm tener ante pedes.* 55.a

II.

*Prolemq; miniſtret,*
*Ludat & ante tuos turba nouella pedes.* 58.b

## Adoleſcentia.

IN

IN SAPPH.

*O nec adhuc iuuenis, nec iam puer, vtilis ætas,*
*O decus, atq; æui gloria magna tui.* 66. b

V. FAST.

*Dum noua lanugo eſt, pauidos formidine ceruos*
*Terret.* 62. a

I. DE ARTE.

*Seu caperis primis, et adhuc creſcentib. annis.* 114. a

IN SAPPH.

*Me prima lanuginis ætas*
*Abſtulit atq; anni.* 66. b

IIII. TRIST.

*Carmina cùm primùm populo iuuenilia legi,*
*Barba reſecta mihi bisúe ſemelúe fuit.* 186. a

III. FAST.

*Martia ter ſenos proles adoleuerat annos,*
*Et ſuberat flauæ iam noua barba comæ.* 29. b

TIBVL. I.

*Dum primi floret tibi temporis ætas.* 53. b

PROPERT. IIII.

*Dum vernat ſanguis, dum rugis integer annus,*
*Vtere.* 139. b

III.

*Quid rapidis miſeros primæ lanuginis annos?* 119. b

## Iuuentus.

XII. META.

*Huic ætas inter iuuenemq; ſenemq;*
*Vis iuuenilis erat, variabant tempora cani.* 155. b

I. AMOR.

*Non me more patrum dum ſtrenua ſuſtinet ætas,*
*Præmia militiæ puluerulenta ſequi.* 82.b

V. FAST.

*Tunc cum iuuenilibus annis*
*Luxuriant animi, corporaq́ ipſa vigent.* 64.a

VI. META.

*Ergo vbi conceſſit tempus puerile iuuentæ.* 79.a

III. META.

*Vóſne acrior ætas O iuuenes?* 38.b

## Senectus.

I. DE PON.

*Iam mihi deterior canis aſpergitur ætas,*
*Iamq́ meos vultus ruga ſenilis arat.*
*Iam vigor, & quaſſo languent in corpore vires,*
*Nec iuueni luſus qui placuêre, iuuant.* 158.b

IIII. TRIST.

*Iam mihi cygneas imitantur tempora plumas,*
*Inficit & nigras alba ſenecta comas.*
*Iam ſubeunt anni fragiles; & inertior ætas,*
*Iamq́ parum firmo me mihi ferre graue eſt.* 133.b

II. DE ARTE.

*Præcipuè ſi flore cadet, meliusq́ peractum eſt*
*Tempus, & albentes iam ligat illa comas.* 137.a

IIII. TRIST.

*Iam mihi canicies pulſis melioribus annis*
*Venerat, antiquas miſcueratq́ comas.* 136.b

XIIII. META.

*Sed*

*Sed iam felicior ætas*
*Terga dedit, tremuloq; gradu venit ægra ſenectus.*

II. DE ARTE. (177.a

*Iam veniet tacito curua ſenecta pede.* 137.a

III. TRIST.

*Iſta decens facies longis viciabitur annis,*
*Rugaq; in antiqua fronte ſenilis erit.*
*Inijcietq; manum formæ damnoſa ſenectus,*
*Quæ ſtrepitum paſſu non faciente venit.* 118.b

III. META.

*Tempora maturæ viſurus longa ſenectæ.* 35.b

IX. META.

*Qui propter amara ſenectæ*
*Tempora deſpicitur.* 115.b

VII. META.

*Iam propior letho, feſſusq; ſenilibus annis.* 81.b

IX. META.

*Cùm videar feſſum Rhadamanthyn & Aeacon annis.*

IIII. TRIST. (116.a

*Sic igitur tarda vires minuente ſenecta,*
*Me quoq; donari iam rude tempus erat.* 143.a

VI. META.

*Ipſe quoq; egreditur tardus grauitate ſenili.* 87.a

I. AMOR.

*Illum dum refugis, quòd longo marcet ab æuo.* 80.b

IBIDEM.

*Cur ego plector amans, ſi vir tibi marcet ab annis?*

VIII. MET. (80 b

*Raris iam ſparſus tempora canis.* 103.a

XIIII. MET.

*Paruam*
*Longa dies faciet, conſumtaq́ membra ſenecta.* 177.a

III. META.

*Cùm veſtræ tot agantur ſecula vitæ.*

DE NVCE.

*Cùm longæ venerunt tædia vitæ.* 171.a

VIII. META.

*Ante omnesq́ Lelex animo maturus, & æuo.* 104.a

V. FAST.

*Viribus illa minor, nec habendis vtilis armis.* 60.b

IIII. FAST.

*Senſit anus vicina loco, iuſſumq́ ſedere*
*Alloquitur, quatiens voce tremente caput.* 78.b

TIBVL. III.

*Cùm mea rugoſa pallebunt ora ſenecta,*
*Et referam pueris tempora priſca ſenex.* 68.a

II.

*Dum tarda ſenectus*
*Inducat rugas, inficiatq́ comas.* 68.b

I.

*Cùm vetus infecit cana ſenecta caput.* 53.b

IBIDEM.

*Iam ſubrepet iners ætas.* 53.b

IBIDEM.

*Sic ego ſim, liceatq́ caput candeſcere canis,*
*Temporis & priſci facta referre ſenem.* 56.a

III.

*Et nondum cani noſtros læſere capillos,*

*Nec*

*Nec venit tardo curua ſenecta pede.* 68. a

I.

*Vidi iam iuuenem, premeret cùm ſerior ætas.* 48. a

IBIDEM.

*Quem prole parata*
*Occupat in parua pigra ſenecta caſa.* 56. a

PROPERT. III.

*Atq; vbi iam Venerem grauis interceperit ætas,*
*Sparſerit integras alba ſenecta comas.* 117. a

II.

*Quid ſi iam canis ætas mea candeat annis,*
*Et faceret ſciſſas languida ruga genas?* 102. a

III.

*At te cælatis ætas grauis vrgeat annis,*
*Et veniat formæ ruga ſiniſtra tuæ.* 131. b

I.

*Quamuis te longò remorentur fata ſenectæ.* 89. b

## II.

## AETATVM OMNIVM.

XV. META.

*Quid non in ſpecies ſecedere quatuor annum*
*Aſpicis, ætatis peragentem imitamina noſtra?*
*Nam tener & lactens pueriq; ſimillimus æuo*
*Vere nouo eſt, tunc herba recens & roboris expers*
*Turget, & inſolida eſt, & ſpe delectat agreſtes.*
*Omnia tum florent, florumq; coloribus almus*
*Ludit ager, neq; adhuc virtus in frondibus vlla eſt.*

Tranſit

*Tranſit in æſtatem poſt ver, robuſtior annus,*
*Fitq́; valens iuuenis: neq; enim robuſtior ætas*
*Vlla, nec vberior, nec quæ magis ardeat vlla eſt.*
*Excipit autumnus poſito feruore iuuentæ*
*Maturus, mitisq́;, inter iuuenemq́;, ſenemq́;*
*Temperie medius, ſparſus quoq; tempora canis.*
*Inde ſenilis hiems tremulo venit horrida paſſu,*
*Aut ſpoliata ſuos, aut quos habet, alba capillos.* 192.b

IBIDEM.

*Editus in lucem iacuit ſine viribus infans.*
*Mox quadrupes, rituq́; tulit ſua membra ferarum:*
*Paulatimq́; tremens, & nondum poplite firmo*
*Conſtitit, adiutisq́; aliquo conamine neruis*
*Inde valens veloxq́; fuit, ſpaciumq́; iuuentæ*
*Tranſit, & emeritis medij quoq; temporis annis*
*Labitur occiduæ per iter decliue ſenectæ,*
*Subruit hæc æui, demoliturq́; prioris*
*Robora.* 192.b

## III.

## QVATVOR ANNI tempeſtates.

I. DE REMED.

*Poma dat autumnus, formoſa eſt meſſibus æſtas,*
*Ver præbet flores, igne leuatur hiems.* 116.a

IIII. TRIST.

*Vere prius flores, æſtu numerabis ariſtas,*
*Poma per autumnum, frigoribusq́; niues.* 126.b

Ver.

# Ver.

III. TRIST.

Frigora iam Zephyri minuunt, annoq́; peracto
  Longior antiquis viſa Mæotis hiems.
Impoſitamq́; ſibi qui non bene pertulit Hellen,
  Tempora nocturnis æqua diurna facit.
Iam violas puerìq́; legunt, hilaresq́; puellæ,
  Ruraq́; quæ nullo nata ſerente ferunt.
Prataq́; pubeſcunt variorum flore colorum,
  Indocilesq́; loquax gutture vernat auis.
Vtq́; malæ crimen matris deponat hirundo,
  Sub trabibus cunas paruaq́; tecta facit.
Herbaq́; quæ latuit Cerealibus obruta ſulcis,
  Exerit è tepida molle cacumen humo.
Quoq́; loco eſt vitis, de palmite gemma mouetur:
  Nam procul à Getico littore vitis abeſt.
Quoq; loco eſt arbor, turgeſcit in arbore ramus,
  Nam procul à Geticis finibus arbor abeſt. 123.a

III. FAST.

Arboribus redeunt detonſæ frigore frondes,
  Vuidaq́; in grauido palmite gemma tumet.
Quæq́; diu latuit, nunc quà ſe tollat in auras,
  Fertilis occultas inuenit herba vias.
Nunc fœcundus ager, pecoris nunc hora creandi,
  Nunc auis in ramo tecta laremq́; parat. 32.b

IIII. FAST.

  Vere nitent terræ, vere remiſſus ager.
Nunc herbæ rupta tellure cacumina tollunt,

Nunc

*Nunc tumido gemmas cortice palmes agit.* 45.b

I. FAST.

*Omnia tunc florent, tunc eſt noua temporis ætas,*
*Et noua de grauido palmite gemma tumet.*
*Et modò formatis operitur frondibus arbos,*
*Prodit & in ſummum ſeminis herba ſolum.*
*Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent,*
*Ludit & in pratis luxuriatq́; pecus,*
*Tunc blandi ſoles, ignotaq́; prodit hirundo.*
*Et luteum celſa ſub trabe fingit opus.*
*Tunc patitur cultus ager, & renouatur aratro.* 4

III. DE ARTE.

*Quot noua terra parit flores, cùm vere tepenti,*
*Vitis agit gemmas, pigraq́; fugit hyems.* 141

I. META.

*Ver erat æternum, placidiq́; tepentibus auris*
*Mulcebant Zephyri natos ſine ſemine flores.*

V. FAST.

*Vere fruor ſemper, ſemper nitidiſſimus annus,*
*Arbor habet frondes, pabula ſemper humus.* 63

III. DE PONTO.

*Tu neq; ver ſentis cinctum florente corona,*
*Tu neq; meſſorum corpora nuda vides.* 180

II. META.

*Verq́; nouum ſtabat cinctum florente corona.* 15

IIII. FAST.

*Sex vbi quæ reſtent luces Aprilis habebit,*
*In medio curſu tempora veris erunt.* 58

TIBVL. III.

Cu

*Cùm ſe purpúreo vere remittit humus.* 67. b

## Aeſtas.

V. FAST.

*Tunc mihi non dubijs auctoribus incipit æſtas,*
*Et tepidi finem tempora veris habent.* 99. b

II. META.

*Stabat nuda æſtas, & ſpicea ſerta gerebat.* 15. b

PROPERT. III.

*Tu quoq; qui æſtiuos ſpacioſius exigis ignes*
*Phœbe, moraturæ contrahe lucis iter.*

## Autumnus.

III. DE PONT.

*Nec tibi Pampineas autumnus porrigit vuas.* 108. a

IIII. FAST.

*Venerat autumnus calcatis ſordibus vuis.* 58. b

II. META.

*Stabat & autumnus calcatis ſordibus vuis.* 15. b

## Hiems.

III. TRIST.

*At cùm triſtis hiems ſquallentia protulit ora,*
*Terraq; marmoreo eſt candida facta gelu.* 120. b

II. META.

*Et glacialis hiems canos hirſuta capillos.* 15. b

DE NVCE.

*Ergo inuiſa alijs, vni mihi frigora proſunt,*
*Illo me tutam tempore præſtat hiems.* 178. b

TI-

TIBVL. I.

*Quæ frigore ſola*
*Dormiat, & nulli ſit cupienda viro.* 53.b

## IIII.
## SIGNORVM SOLARIVM
### Arietis.

IX. META.

*Quotiesq́ repellit*
*Ver hiemem, Piſciq́ Aries ſuccedit aquoſo.* 124.b

IIII. FAST.

*Proxima cùm veniet terras viſura patentes,*
*Memnonis in roſeis lutea mater equis:*
*De duce lanigeri pecoris, qui perdidit Hellen,*
*Sol abit.* 55.a

III. TRIST.

*Impoſitamq́ ſibi qui non bene pertulit Hellen,*
*Tempora nocturnis æqua diurna facit.* 123.a

### Tauri.

IIII. FAST.

*Egreſſo victima maior adeſt.*
*Vacca ſit an taurus, non eſt cognoſcere promtum,*
*Pars prior apparet, poſteriora latent.* 55.b

### Geminorum.

V. FAST.

*In Geminos ex quo tempore Phœbus eat.* 71.a

Cancri.

## Cancri.

VI. FAST.

*Iam ſex & totidem luces de menſe ſuperſunt,*
*Huic vnum numero tu tamen adde diem.*
*Sol abit è Geminis, et Cancri ſigna rubeſcunt.* 83. b

X. META.

*Concaua littorei feruebant brachia Cancri.* 124. a

PROPER. IIII.

*Octipedis Cancri terga ſiniſtra time.*

## Leonis.

I. DE ARTE.

*Cùm ſol Herculei terga Leonis adit.*

## Virginis.

I. DE ARTE.

*Virginis æthereis cùm caput ardet equis.* 145. a

## Libræ.

IIII. FAST.

*Plura locuturi ſubitò ſubducimur imbre,*
*Pendula cœleſtes Libra mouebat aquas.* 49. b

## Scorpionis, & aliorum.

II. META.

*Per tamen aduerſi gradieris cornua Tauri,*
*Aemonioſq; arcus, violentiq; ora Leonis,*
*Sæuaq; circuitu curuantem brachia longo*
*Scorpion, atq; aliter curuantē brachia Cancrū.* 16. b

P Sagitta-

## Sagittarij.

V. FAST.

*Noua dies aderat, cùm tu iuſtiſſime Chiron*
*Bis ſeptem ſtellis corpora cinctus eras.* 66.a

## Capricorni, Aquarij.

I. FAST.

*Hæc vbi tranſierint, Capricorno Phœbe relicto,*
*Per iuuenis curres ſigna regentis aquas.* 12.b

II. FAST.

*Iam puer Idæus, media tenus eminet aluo,*
*Et liquidas miſto nectare fundit aquas.* 16.b

IBIDEM.

*Iam leuis obliqua ſubſedit Aquarius vrna.* 21.b

## Piſcium.

IX. META.

*Tertius æquoreis incluſum piſcibus annum*
*Finierat Titan.* 123.a

PROPER. IIII.

*Quid moueant piſces, animoſaq́ ſigna leonis,*
*Lotus & Heſperia quid Capricornus aqua.* 153.b

## V.

## VARIARVM STELLArum vel Siderum.

I. TRIST.

*Sæpe*

*Sæpe ego nimboſis dubius iactabar ab Hœdis,*
*Sæpe minax Steropis Sidere pontus erat.*
*Fuſcabatq́ diem cuſtos Erimanthidos Vrſæ,*
*Aut Hyadas ſeris hauſerat Auſter aquis.* 101. b

## Vrſæ maioris, minorisq́;.

IIII. TRIST.

*Magna minorq́ feræ, quarum regis altera Graias,*
*Altera Sidonias, vtraq́ ſicca, rates.*
*Omnia cum ſummo poſitæ videatis in axe,*
*Et maris occiduas non ſubeatis aquas:*
*Aethereamq́ ſuis cingens amplexibus arcem,*
*Veſter ab intacta circulus extet humo.* 128. b

IIII. FAST.

*Errat & in cœlo, liquidiq́ immania ponti,*
*Alloquitur gelido proxima ſigna polo.* 53. b

## Plauſtri.

IIII. DE PONT.

*Proxima ſint nobis plauſtri præbentia formam,*
*Et quæ præcipuum ſidera frigus habent.* 203. a

## Pleiadum.

II. META.

*Gurgite cæruleo ſeptem prohibete Triones,*
*Sideraq́ in cœlum ſtupri mercede recepta*
*Pellite, ne puro tingatur in æquore pellex.* 23. b

II. DE PONTO.

*Proiectus in æquor*
*Arcturum ſubij, Pleïadumq́ minas.* 175.a

## Coronæ.

VIII. MET.

*Sumtam de fronte coronam*
*Immiſit cœlo, tenues volat illa per auras:*
*Dumq́ volat, gemmæ nitidos vertuntur in ignes,*
*Conſiſtuntq́ loco, ſpecie remanente Coronæ,*
*Qui medius nixiq́ genu eſt, anguemq́ tenentis.* 69.b

## Caniculæ.

IIII. FAST.

*Eſt canis, Icarium dicunt, quo ſidere moto*
*Tota ſitit tellus, præripiturq́ ſeges.* 59.a

II. AMOR.

*Sol licet admoto tellurem ſidere ſindat,*
*Et micet Icarij ſtella proterua canis.* 93.b

DE NVCE.

*Quid? ſi non aptas ſolem mutantibus vmbras*
*(Finditur Icario cùm cane terra) darem?* 170.b

TIBVL. I.

*Qualis & arentes cùm ſindit Sirius agros,*
*Fertilis æſtiua Nilus abundet aqua.* 52.a

II.

*Calidi cum ſideris æſtu*
*Deponit flauas annua terra comas.* 57.b

I.

*Sed canis æſtiuos ortus vitare ſub vmbra.* 43.b

*Vnda*

III.

*Vnda ſub æſtiuum non adeunda canem.* 67.b

I.

*Et canis arenti torreat arua ſiti.* 48.a

PROPER. II.

*Venit enim tempus, quo torridus æſtuat aër,*
*Incipit & ſicco feruere terra cane.* 108.b

## Pleiadum.

III.

*Cur ſerus verſare boues & plauſtra Bootes,*
*Pleïadum ſpiſſo cur coit igne chorus?* 117.b

I.

*O vtinam hibernæ duplicentur frigora brumæ,*
*Et ſit iners tardis nauita Virgilijs.* 83.a

## Diuerſorum.

OVID. V. FAST.

*Sed quid & Orion, & cætera ſidera mundo,*
*Cedere feſtinant?* 68.b

PROPERT. II.

*Ipſaq; ſidera erunt nullis obſcura tenebris,*
*Purus & Orion, purus & Hœdus erit.* 108.a

IBIDEM.

*Quæritis & cœlo Phœnicum inuenta ſereno,*
*Quæ ſit ſtella homini cõmoda, quæue mala.* 108.a

## Zodiaci.

IIII.

*Aſpicienda via eſt cœli, verſusq́; per aſtra*
*Trames, & ab zonis quinq́; petenda fides.* 133.b

OVID. II. META.

*Sectus in obliquum eſt lato curuamine limes,*
*Zonarumq́; trium contentus fine, polumq́;*
*Effugit Auſtralem, iunctamq́; Aquilonib. Arcton.* 17.a

## VI.
## PLANETARVM.

IN IBIN.

*Nec vlla*
*Commoda naſcenti ſtella, leuisúe fuit.*
*Non Venus affulſit, non illa Iuppiter hora,*
*Lunaq́; non apto Solúe fuêre loco.*
*Nec ſatis vtiliter poſitos tibi præbuit ignes,*
*Quem peperit magno lucida Maia Ioui.*
*Te ſera, nequicquam placidum ſpondentia, Martis*
*Sidera preſſerunt, falciferiq́; ſenis.* 212.b

I. AMOR.

*Stella tibi oppoſiti nocuit contraria Martis,*
*Mars abijt, ſigno nunc Venus apta tuo.* 75.b

PROPERT. IIII.

*Feliceſq́; Iouis ſtellas, Martisq́; rapacis,*
*Et graue Saturni ſidus in omne caput.* 133.a

## VII.
## LVNAE.

XV. META.

*Nec*

*Nec par aut eadem nocturnæ forma Dianæ*
*Eſſe poteſt vnquam: ſemperq́; hodierna ſequente*
*Si creſcit, minor eſt: maior, ſi contrahit orbẽ.* 192.a

IN CANACE.

*Iam nouies erat orta ſoror pulcherrima Phœbi,*
*Denaq́; luciferos luna premebat equos.* 28.a

II. FAST.

*Lunaq́; fulgebat, nec facis vſus erat.* 22.b

VII. META.

*Tres aberant noctes, vt cornua tota coirent*
*Efficerentq́; orbem, poſtquam pleniſsima fulſit,*
*Et ſolida terras ſpectauit imagine Luna.* 82.a

XI. META.

*Iuro*
*Antè reuerſurũ quàm Luna bis impleat orbẽ.* 142.a

IN PHYL.

*Cornua cum Lunæ pleno ſemel orbe coiſſent,*
*Littoribus noſtris anchora pacta tua eſt.*
*Luna quater latuit, toto quater orbe recreuit,*
*Nec vehit Actæas Sithonis vnda rates.* 3.a

VII. MET.

*Dumq́; quater plenis expleuit cornibus orbem*
*Luna, quater plenum tenuata retexuit orbem.* 88.a.

II. META.

*Luna quater iunctis implerat cornibus orbem.* 20.b

VIII. MET.

*Sexta reſurgebant lunaria cornua Lunæ.* 93.b

II. META.

*Orbe reſurgebant orientis cornua nono.* 22.b

X. META.

*Iamq́ʒ coactis*
*Cornibus in plenum nouies lunaribus orbem.* 127.a

IBIDEM.

*Perq́ʒ nouem errauit redeuntis cornua Lunæ.* 130.a

III. FAST.

*Annus erat, decimum cùm luna receperat orbẽ.* 30.b

II. FAST.

*Luna nouum decies implerat cornibus orbem.* 17.a

IBIDEM.

*Luna reſumebat decimo noua cornua menſe.* 21.b

III. DE PONT.

*Nox erat & bifores intrabat Luna feneſtras,*
*Menſe ferè medio quanta nitere ſolet.* 184.b

III. META.

*Qualia dimidiæ ſinuantur cornua Lunæ.* 41.a

XV. META.

*Minimos cùm Luna receſſit in orbes.* 194.a

TIBVL. II.

*Nec refero Solisq́ʒ vias, & qualis, vt orbem*
*Compleuit, verſis Luna recurrat equis.* 60.b

PROPERT. I.

*Et medijs cœlo Luna ruberet equis.* 84.b

III.

*Qua deficit vnde coactis*
*Cornibus in plenum menſtrua Luna redit.* 117.b

II.

*Septima iam plenæ deducitur orbita Lunæ.* 103.b

DILV-

# VIII.

# DILVCVLI.

IN ARIADNE.

*Tempus erat, vitrea quo primum terra pruina*
*Spargitur, & tectæ fronde queruntur aues.* 25. a

I. AMOR.

*Iamq́; pruinoſos molitur Lucifer axes,*
*Inq́; ſuum miſeros excitat ales opus.* 73. b

IIII. FAST.

*Nox vbi tranſierit, cœlumq́; rubeſcere primò*
*Cœperit, & tactæ rore querentur aues:*
*Semuſtamq́; facem vigilata nocte viator*
*Ponet, & ad ſolitum ruſticus ibit opus.* 46. a

V. FAST.

*Roſcida cùm primum folijs excuſſa pruina eſt,*
*Et variæ radijs intepuêre comæ.* 69. a

VI. FAST.

*Manè vbi bis fuerit, Phœbusq́; iterauerit ortus,*
*Factaq́; erit poſito rore bis vda ſeges.* 75. a

VII. META.

*Quòd teneat lucis, teneat confinia noctis.* 90. b

# IX.

# AVRORAE.

IIII. FAST.

*Cùm Phrygis Aſſaraci Tithonia fratre relicto,*
*Suſtulit immenſo ter iubar ore ſuum.* 59. a

III. FAST.

*Cùm croceis rorare genis Tithonia coniux*
*Cœperit.* 35.a

XV. META.

*Cùm præuia lucis*
*Tradendum Phœbo Pallantias inficit orbem.* 192.a

I. AMOR.

*Iam ſuper Oceanum venit à ſeniore marito,*
*Flaua pruinoſo quæ vehit axe diem.* 80.a

II. META.

*Fulget tenebris aurora fugatis.* 17.b

IBIDEM.

*Vigil nitido patefecit ab ortu*
*Purpureas aurora fores, & plena roſarum*
*Atria: diffugiunt ſtellæ, quarum agmina cogit*
*Lucifer, & cœli ſtatione nouiſſimus exit.* 17.a

XIII. META.

*Lucem*
*Cùm croceis inuecta rotis aurora reducet.* 32.a

IBIDEM.

*Nox vbi conſumpta eſt, aurora rubeſcere primo*
*Cœperat.* 39.b

IIII. FAST.

*Nox abijt, oriturq́; aurora.* 55.b

IBIDEM.

*Proxima cùm veniet terras viſura patentes,*
*Memnonis in roſeis lutea mater equis.* 55.a

IBIDEM.

*Proxima victricem cùm Romam inſpexerit Eos,*
*Et dede-*

*Et dederit Phœbo ſtella fugata locum.* 50. a

IBIDEM.

*Poſtea cùm cœlo motis Pallantias aſtris*
*Fulſerit, & niueos Luna leuárit equos.* 49. b

V. FAST.

*Poſtea cùm roſeam pulſis Hyperionis aſtris,*
*In matutinis lampada tollet equis.* 62. a

IIII. META.

*Poſtera nocturnos aurora remouerat ignes,*
*Solq́ pruinoſas radijs ſiccauerat herbas.* 43. b

III. FAST.

*Poſtera cùm teneras aurora refecerit herbas.* 40. b

VII. META.

*Poſtera depulerant auroræ lumina noctem.* 93. a

IBIDEM.

*Poſtera depulerat ſtellas aurora micantes.* 80. b

IX. META.

*Poſtera lux radijs totum patefecerat orbem.* 121. b

XV. META.

*Poſtera ſidereos aurora fugauerat ignes.* 200. a

## X.
## LVCIFERI.

V. FAST.

*Iam Phryx à nupta quereris Tithone relinqui,*
*Et vigil Eois Lucifer exit aquis.* 79. b

IN LEANDRO.

*Iamq́ fugatura Tithoni coniuge noctem,*
*Præuius auroræ Lucifer ortus erat.* 51. a

Hoc

III. TRIST.

*Hoc vtinam nitidis ſolis prænuncius, ortus*
*Afferat admiſſo Lucifer albus equo.* 117.a

XV. META.

*Cumq́ albo Lucifer exit*
*Clarus equo.* 192.a

I. AMOR.

*Iamq́ pruinoſos molitur Lucifer axes,*
*Inq́ ſuum miſeros excitat ales opus.* 73.b

IIII. META.

*Admonitorq́ operum cœlo clariſſimus alto*
*Lucifer ortus erat.* 53.b

I. TRIST.

*Cœlo nitidiſſimus alto,*
*Stella grauis nobis Lucifer ortus erat.* 94.a

VIII. MET.

*Iam nitidum retegente diem, noctisq́ fugante*
*Tempora Lucifero.* 93.b

V. FAST.

*Hinc vbi protulerit formoſa ter Heſperus ora,*
*Ter dederint Phœbo ſidera victa locum.* 66.b

IIII. META.

*Dum Lucifer ignes*
*Euocet Auroræ, curſus Aurora diurnos.* 52.b

## XI.
## ORIENTIS SOLIS vel Diei.

*Sole*

VII. META.

*Sole ferè radijs feriente cacumina primis.* 92.b

IX. META.

*Lux ſubit, & primo feriente cacumina Sole*
*Diſcedunt.* 110.a

III. FAST.

*Ortus erat ſummo tantũmodò margine Phœbus.* 34.b

IN SAPPH.

*At cùm ſe Titan oſtendit, & omnia ſecum.* 67.a

VII. META.

*Iubar aureus extulerat Sol.* 90.a

III. FAST.

*Totum iam Sol emouerat orbem.* 34.b

IBIDEM.

*Protulerit cùm totum craſtinus orbem*
*Cynthius.* 34.b

IBIDEM.

*Protulerit terris cùm totum Cynthius orbem.* 34.b

V. META.

*Vbi alma dies hebetarat ſidera.* 63.a

IIII. DE PONTO.

*Eoo quoties ſurgit ab orbe dies.* 202.a

V. FAST.

*Liquido iubar æthere tollit*
*Candida Lucifero præueniente dies.* 68.b

TIBVL. I.

*Dum rota Luciferi prouocet orta diem.* 55.a

III.

*Tandem cùm ſummo Phœbus proſpexit ab ortu.* 66.b

*Splen-*

IIII.

*Splendidior liquidis cùm Sol caput extulit vndis.* 71.b

PROPERT. IIII.

*Et iam quarta canit venturam buccina lucem,*
*Ipſaq; in Oceanum ſidera lapſa cadunt.* 138.a

# XII. MERIDIEI.

III. META.

*Iamq; dies medius rerum contraxerat vmbras,*
*Et Sol ex æquo meta diſtabat vtraq;.* 32.a

III. DE ARTE.

*Iamq; dies medius tenues contraxerat vmbras,*
*Inq; pari ſpacio veſper & ortus erant.* 150.b

III. META.

*Fecerat exiguas iam Sol altiſſimus vmbras.*

XI. META.

*Medio cùm Sol altiſſimus orbe*
*Tantum reſpiceret, quantum ſupereſſe videret.* 140.a

XIIII. META.

*Medio cum plurimus orbe*
*Sol erat, et minimas à vertice fecerat vmbras.* 175.b

I. META.

*Dum calet, & medio Sol eſt altiſſimus orbe.* 11.b

X. META.

*Iamq; ferè medius Titan venientis & actæ*
*Noctis erat, ſpacioq; pari diſtabat vtrinq;.* 124.b

III. META.

Nunc

*Nunc Phœbus vtraq́;*
*Diſtat idem terra, finditq́; vaporibus arua.* 32.a

X. META.

*Aeſtus erat, mediusq́; dies, ſolisq́; vapore*
*Concaua littorei feruebant brachia Cancri.* 124.a

I. AMOR.

*Aeſtus erat, mediamq́; dies exegerat horam.* 72.a

II. META.

*Vlterius medio ſpacium Sol altus habebat.* 22.a

II. FAST.

*Aut plus aut medium ſole tenente diem.* 16.b

IBIDEM.

*Medias Sole tenente vias.* 20.a

## XIII.
## SOLIS OCCIDENTIS.

II. FAST.

*Proximus Heſperias Titan abiturus in vndas,*
*Gemmea purpureis cùm iuga demet equis.* 15.a

IN CYDIPPE.

*Cùm iam prope luce peracta*
*Demere purpureis Sol iuga vellet equis.* 62.b

IIII. FAST.

*Dempſerat emeritis iam iuga Phœbus equis.* 54.b

VI. META.

*Iam labor exiguus Phœbo reſtabat, equiq́;*
*Pulſabant pedibus ſpacium decliuis Olympi.* 75.a

XI. META.

Pronus

*Pronus erat Titan, inclinatoq́ꝫ petebat*
*Heſperium temone fretum.* 138.b

VI. FAST.

*At pater Heliadum radios vbi tinxerit vndis,*
*Et cinget geminos ſtella ſerena polos.* 83.b

XIIII. META.

*Preſſerat occiduus Tarteßia littora Phœbus.* 181.b

XV. META.

*Candidus Oceano nitidũ caput abdiderat Sol.* 189.b

IIII. META.

*Lux tardè diſcedere viſa*
*Præcipitatur aquis, et aquis nox exit ab ijſdem.* 43.b

IBIDEM.

*Iamq́ꝫ cadente die veritus ſe credere nocti,*
*Conſtitit.* 52.b

II. FAST.

*Condere iam vultus Sole parante ſuos.* 27.a

IBIDEM.

*Heſperus & fuſco roſcidus ibat equo.* 17.a

## XVIII.
## CREPVSCVLI.

III. META.

*Iamq́ꝫ dies exactus erat, tempusq́ꝫ ſubibat,*
*Quod tu nec tenebras, nec poßis dicere lucem:*
*Sed cum luce tamen dubia confinia noctis.* 48.b

IN HYPERM.

*Modò facta crepuſcula terris*

*Vltima pars lucis, primaq́; noctis erat.* 36.a

I. AMOR.

*Qualia ſublucent fugiente crepuſcula Phœbo,*
*Aut vbi nox abijt, nec tamen orta dies.* 72.a

XV. META.

*Seram pepulêre crepuſcula lucem,*
*Vmbraq́; telluris tenebras induxerat orbi.* 200.a

V. FAST.

*At ſimul inducent obſcura crepuſcula noctem.* 62.a

I. META.

*Inhoſpita tecta tyranni*
*Ingredior, traherent cùm ſera crepuſcula noctem.* 5.b

V. FAST.

*Inde domũ redeunt ſub prima crepuſcula mœſti.* 67.a

## XV.

## NOCTIS.

VII. META.

*Homines, volucresq́; ferasq́;*
*Soluerat alta quies, nullo cum murmure ſerpens,*
*Immotæq́; ſilent nullo cum murmure ſepes,*
*Immotæq́; ſilent frondes, ſilet humidus aër,*
*Sidera ſola micant.* 82.a

I. TRIST.

*Iamq́; quieſcebant voces hominumq́; canumq;,*
*Lunaq́; nocturnos alta regebat equos.* 93.a

IIII. FAST.

*Iam color vnus ineſt rebus, tenebrisq́; teguntur*

Q *Omnia,*

*Omnia, iam vigiles conticuêre canes.* 51.b

X. META.

*Tempus erat, quo cuncta ſilent, interq́ Triones*
*Flexerat obliquo plauſtrum temone Bootes.* 129.b

I. AMOR.

*Vrbe ſilent tota, vitreoq́ madentia rore*
*Tempora noctis erunt.* 73.b

IIII. FAST.

*Interea placidam redimita papauere frontem*
*Nox venit, & ſecum ſomnia nigra trahit.* 54.b

IN HERONE.

*Sic vbi lux acta eſt, & noctis amicior hora,*
*Exhibuit pulſa ſidera clara die.* 53.a

XV. META.

*Et caput extulerat denſiſſima ſidereum nox.* 189.b

VI. FAST.

*Humida cum pulſo nox erit orta die.* 79.b

II. FAST.

*Iamq́ vbi ſuadebit placidos nox humida ſomnos.* 24.b

VII. MET.

*Nox ſubit, & curis exercita corpora ſomnus*
*Occupat.* 89.b

I. META.

*Cùm Sol tellure ſub alta eſt.* 12.b

XI. META.

*Nox cœlum ſparſerat aſtris.* 139.b

TIBVL. III.

*Iam nox æthereum nigris emerſa quadrigis*
*Mundum, cœruleo lauerat amne rotas.* 66.b

*Nox*

II.

*Nox iungit equos, currumq́ſequuntur*
*Matris laſciuo ſidera fulua choro.* 58.b

# XVI.

## NOCTIS INTEMPEſtæ, ſeu Conticinij.

V. FAST.

*Nox vbi iam media eſt, ſomnosq́ ſilentia præbent,*
*Et canis, & variæ conticuiſtis aues.* 66.b

X. META.

*Noctis erat medium, curasq́ & corpora ſomnus*
*Soluerat.* 128.a

IIII. FAST.

*Noctis erat medium, placidiq́ ſilentia ſomni.* 52.b

V. META.

*Cùm medio noctis ſpacio ſub imagine ſomni,*
*Inachis ante torum, pompa comitata ſacrorum*
*Aut ſtetit aut viſa eſt.* 120.a

I. AMOR.

*Peruigil in mediæ ſidera noctis eras.* 73.b

VI. FAST.

*Mediæ tempora noctis erant.* 78.a

IN SAPPH.

*Hactenus vt media cætera nocte ſilent.* 67.b

XV. META.

*Cùm laſſa quiete*
*Cuncta iacent media.* 192.a

PROPERT. I.

*Me mediæ noctes, me ſidera plena iacentem,*
*Frigidaq́ʒ Eoo me dolet aura gelu.* 88.a

## Sub primum ſomnum.

VIII. MET.

*Prima quies aderat, qua curis feſſa diurnis*
*Pectora ſomnus habet.* 95.a

# XVII.

# TEMPORVM VARIORVM.

## Horæ vnius.

X. META.

*Nec plena longior hora,*
*Pacta mora eſt.* 134.a

## Plurium.

III. DE PONTO.

*Quæ quanquā lingua mihi ſunt properante per horas,*
*Lecta ſatis multas, pauca fuiſſe queror.* 188.a

## Diei.

IN HERMIO.

*Cùm tamen altus equis Titan radiantibus inſtat.* 21.b

I. FAST.

*Proxima proſpiciet Tithono aurora relicto,*
*Arcadiæ ſacrum pontificale deæ.* 9.b

IIII. TRIST.

*Lucifer amborum natalibus affuit idem.* 135.a

Iamq́ʒ

VIII. META.

*Iamq́ꝫ duas lucis partes Hyperione merſo,*
*Diſcubuêre thoris.* 103.b

XV. META.

*Ad finem lucis ab ortu.* 199.b

## Dierum trium.

VII. META.

*Ter iuga Phœbus equis in Ibero flumine merſis*
*Dempſerat, & quarta radiantia nocte micabant*
*Sidera.* 84.b

IIII. FAST.

*Ter ſine perpetuo cœlum verſetur in axe,*
*Ter iungat Titan, terq́ꝫ reſoluat equos.* 46.b

III. FAST.

*Tres vbi Luciferos veniens præmiſerit Eos.* 43.a

## Quatuor dierum.

IBIDEM.

*Inde quater paſtor ſaturos vbi clauſerit hœdos,*
*Canuerint herbæ rore recente quater.* 43.a

## Quinq; dierum.

II. FAST.

*Quintus ab æquoreis nitidum iubar extulit vndis*
*Lucifer, & primi tempora veris erunt.* 16.b

## Sex dierum.

III. FAST.

*Sextus vbi è terra cliuoſum ſcandet Olympum*
*Phœbus, & alatis æthera carpet equis.* 35.b

IBIDEM.

*Sex vbi ſuſtulerit totidem quoq; deſeret ortus,*
*Purpureo rapidum qui vehit axe diem.* 37.a

XV. META.

*Sexta Pallantidos ortu*
*Italiam tenuit.* 200.b

## Septem dierum.

II. AMOR.

*Septima lux venit non exhibitura ſequentem.* 78.b

## Decem dierum.

XIIII. META.

*Proxima poſt nonam cùm ſeſe aurora moueret.* 178.b

IIII. DE PONT.

*Luce minus decima dominam venietis in vrbẽ.* 196. b

XI. META.

*Per bis quinq; dies & iunctas ordine noctes,*
*Et iam ſtellarum ſublime coëgerat agmen*
*Lucifer vndecimus.* 136.a

## Noctium.

IN LEANDRO.

*Septima nox agitur, ſpaciũ mihi longius anno.* 49.b

## Menſis vnius.

IIII. DE PON.

*Ergo vbi Iane biceps longum reſerauerit annum,*

*Pulſus*

*Pulſus & à ſacro menſe December erit.* 197. b

I. TRIST.

*Aut hæc me gelido tremerem cum menſe Decembri.*

IIII. DE PON. (101. a

*Nam tibi finitum ſummo Græcine Decembri*
*Imperium, Iani ſuſcipit ille die.* 201. a

VII. META.

*Alter agebatur poſt ſacra iugalia menſis.* 90. b

## Anni vnius.

III. DE PONT.

*Dum venit huc rumor, properataq; carmina fiunt,*
*Factaq; eunt ad vos, annus abiſſe poteſt.* 187. a

IIII. DE PON.

*Dum tua peruenit, dum littera noſtra recurrens,*
*Tot maria & terras permeat, annus abit.* 204. a

III. FAST.

*Quò minus emeritis exiret curſibus annus.* 29. a

XIIII. META.

*Annua nos illic tenuit mora.* 179. b

II. DE PONT.

*Hic mihi labentis pars anni magna peracta eſt.* 178. b

VI. META.

*Signa Deus bis ſex acto luſtrauerat anno.* 76. b

XIII. MET.

*Cùm ſol duodena peregit*
*Signa.* 268. b

## Annorum duorum.

IIII. TRIST.

*Vt patria careo, bis frugibus area trita eſt,*
*Diſsilijt nudo preſſa bis vua pede.* 132.b

IBIDEM.

*Bis me ſol adijt gelidæ poſt frigora brumæ,*
*Bisq́ʒ ſuum tacto Piſce peregit iter.* 133.a

IN HYPSIP.

*Hîc tibi bisq́ʒ æſtas, bisq́ʒ cucurrit hiems.*
*Tertia meßis erat, cùm tu dare vela coactus.* 14.b

III. FAST.

*Signa recenſebat bis ſol ſua, tertius ibat*
*Annus.* 38.a

## Trium annorum.

IX. META.

*Tertius æquoreis incluſum piſcibus annum*
*Finierat Titan.* 123.a

V. TRIST.

*Vt ſumus in Ponto, ter frigore conſtitit Iſter,*
*Facta eſt Euxini dura ter vnda maris.* 146.b

## Quatuor annorum.

I. DE PONTO.

*Hîc me pugnantem cum frigore, cumq́ʒ ſagittis,*
*Cumq́ʒ meo fato, quarta fatigat hiems.* 154.b

IBIDEM.

*Vt careo vobis Scythicas detruſus in oras,*
*Quatuor autumnus Pleïas orta facit.* 163.b

## Quinq; annorum.

VI. META.

*Iam tempora Titan*
*Quinq; per autumnos repetitis duxerat annis.* 74.a

IIII. DE PONT.

*In Scythia nobis quinquennis Olympias acta,*
*Iam tempus luſtri tranſit in alterius.* 196.b

## Sex annorum.

IIII. DE PONT.

*An graue ſex annis pulchram tenuiſſe Calypſo,*
*Aequoreæq; fuit concubuiſſe dea?* 202.b

IBIDEM.

*Sed me iam Care niuali*
*Sexta relegatum bruma ſub axe videt.* 205.b

IN SAPPH.

*Sex mihi natales ierant, cùm lecta parentis*
*Ante diem lacrimas oſſa bibêre meas.* 66.a

IIII. DE PONT.

*Hæc mihi in Euxino bis tertia ducitur æſtas*
*Littore, pellitos inter agenda Getas.* 202.a

## Septem annorum.

IN DIDONE.

*Per mare, per terras ſeptima iactat hiems.* 18.a

## Decem annorum.

XII. META.

*Iamq; ferè tracto duo per quinquennia bello.* 157.b

IIII. DE PON.

*Vlyſſes*

*Iactatus dubio per duo luſtra mari.* 202.b

IBIDEM.

*Vlyſſem*
*Errantem ſæuo per duo luſtra mari.* 208.a

III. FAST.

*Bis quino fœmina menſe parit.* 30.b

## Viginti annorum.

IIII. TRIST.

*Iamq́; decem vitæ frater geminauerat annos.* 135.b

## Quinquaginta annorum.

IBIDEM.

*Poſtq́; meos ortus Piſæa vinctus oliua*
*Abſtulerat decies præmia victor eques.* 136.b

IN IBIN.

*Temp⁹ ab hoc luſtris mihi iã bis quinq; peractis.* 209.a

IIII. TRIST.

*Iamq́; decem luſtris omni ſine labe peractis.* 134.b

## Nonaginta annorum.

IBIDEM.

*Et iam complerat genitor ſua fata, nouemq́;*
*Addiderat luſtris altera luſtra nouem.* 136.a

## Trecentorum annorum.

XIIII. MET.

*Ter centum meſſes, ter centum muſta videre*
*Tempus erit.* 177.a

*Vixi*

XII. META.

*Vixi*

*Annos bis centum, nunc tertia viuitur ætas.* 151. a

## Quingentorum annorum.

IIII. FAST.

*Poſt vt Roma potens opibus, iam ſecula quinq;*
*Vidit, & è domito ſuſtulit orbe caput.* 47. b

XV. META.

*Hæc vbi quinq; ſuæ complerunt ſecula vitæ.* 195. b

## Quindecim dierum.

TIBVL. III.

*Languent ter quinos ſed mea membra dies.* 68. a

## Trecentorum annorum.

IIII.

*Vixerit ille ſenex quamuis, dum terna per orbem*
*Secula fertilibus Titan decurreret horis.* 70. a

IBIDEM.

*Terna minus Pyliæ miretur ſecula famæ,*
*Namq; ſenex longæ peregit dum ſecula vitæ,*
*Centum fœcundas Titan renouauerat annos.* 71. b

## Duarum noctium.

PROPERT. II.

*Iuppiter Alcmenæ geminas requieuerat arctos,*
*Et cœlum noctu bis ſine rege fuit.* 104. b

## Trium annorum.

III.

*Tertius*

*Tertius haud multò min⁹ eſt cùm dicitur annus.* 125.b

## Viginti annorum.

IBIDEM.

*Occidit, & miſero ſteterat vigeſimus annus.* 128.a

II.

*Penelope poterat bis denos ſalua per annos*
*Viuere, tam multis fœmina digna procis.* 96.b

## XVIII.
## TEMPORIS PERPETVI.

III. DE PONT.

*Teſtataq́ tempus in omne.* 181.a

II. DE PONTO.

*Hîc ſim licet omnibus annis.* 179.a

DE MED. FACIEI.

*Sufficit, et longum probitas perdurat in æuum.* 179.b

## XIX.
## DIES NOCTESQ.

I. DE PON.

*Siue dies igitur caput hoc miſerabile cernit,*
*Siue pruinoſæ noctis aguntur equi.* 155.a

IN PHYL.

*Siue die laxatur humus, ſeu frigida lucent*
*Sidera.* 5.a

IN LAODA.

*Siue latet Phœbus, ſeu terris altior extat,*
*Tu mihi luce dolor, tu mihi nocte venis.* 35.a

*Illum*

V. META.

*Illum non vdis veniens aurora capillis*
*Ceſſantem vidit, non Heſperus.* 63.a

III. TRIST.

*Nulla venit ſine te nox mihi, nulla dies.* 113.b

II. DE REMED.

*Illa tibi noctes auferat, illa dies.* 162.a

IIII. DE PON.

*Pectore te toto, totisq́ incumbere neruis,*
*Et niti pro me nocte dieq́ decet.* 180.b

TIBVL. II.

*Nunc & amara dies, & noctis amarior vmbra eſt,*
*Omnia nam triſti tempora felle madent.* 60.b

III.

*Quàm vellem longas tecum requieſcere noctes,*
*Et tecum longos peruigilare dies.* 69.a

PROPERT. III.

*Totq́ hiemis noctes, totq́ nataſſe dies.* 123.b

I.

*Siue dies, ſeu nox venerit, illa mea eſt.* 83.b

III.

*Vltima quæ Pæto noxq́ diesq́ fuit.* 119.b

## XX.

## AB ORTV SOLIS vſq; ad occaſum.

IIII. TRIST.

*Ibit ad occaſum, quicquid dicemus ab ortu,*

*Teſtis*

*Teſtis & Heſperiæ vocis Eous erit.* 234.b

V. FAST.

*Seu quis ab Eoo nos impius orbe laceſſet,*
*Seu quis ab occiduo Sole domandus erit.* 68.b

I. DE PONTO.

*Cæſaris ira mihi nocuit, quem Solis ab ortu,*
*Solis ad occaſus vtraq; terra timet.* 159.a

V. META.

*Natam*
*Solis ab occaſu, ſolis quærebat ad ortum.* 63.a

V. TRIST.

*Vel quia vix ingens ad finem Solis ab ortu,*
*Illo cui paret mitius orbis habet.* 145.b

III. DE PON.

*Qua nihil in terris ad finem Solis ab ortu*
*Clarius, excepto Cæſare, mundus habet.* 182.a

IN IBIN.

*A vesſpere Solis ad ortus.* 216.a

IIII. META.

*Sæpe ſub occaſus, ſæpe eſt delatus in ortus.* 52.b

I. META.

*Terrarum quaſcunq; vident occaſus & ortus,*
*Nos tua turba ſumus.* 7.b

IIII. FAST.

*Longa ſit huic ætas, dominæq; potentia terræ,*
*Sitq; ſub hac oriens occiduusq; dies.* 57.a

III. DE ARTE.

*Veſper & Eoæ nouêre Lycorida terræ.* 147.b

I. META.

*Litto*

*Littora voce replet ſub vtroq; iacentia Phœbo.* 7. b

TIBVL. II.

*Quaq; patent ortus, & quà fluitantibus vndis*
*Solis anhelantes abluit amnis equos.* 62. a

IIII.

*Cimmerion etiam obſcuras acceßit ad oras,*
*Quis nunquam candente dies apparuit ortu,*
*Siue ſuper terras Phœbus, ſeu curreret infra.* 70. b

# XXI.
# REGIONIS SEPTENtrionalis.

V. TRIST.

*Quem nunc ſuppoſitum ſtellis Erimanthidos Vrſæ*
*Iuncta tenet crudis Sarmatis ora Getis.* 140. a

III. TRIST.

*Suppoſitum ſtellis nunquam tangentibus æquor,*
*Me ſciat in media viuere barbaria.* 120. b

IBIDEM.

*Proxima ſideribus tellus Erymanthidos Vrſæ*
*Me tenet.* 115. b

I. DE PONT.

*Diuidimur cœlo, quæq; eſt procul vrbe Quirini,*
*Aſpicit hirſutos cominus Vrſa Getas.* 161. a

III. TRIST.

*Barbara me tellus, & inhoſpita littora Ponti,*
*Cumq; ſuo Borea Mænalis vrſa videt.* 121. b

IIII. TRIST.

*Quòd*

*Quòd Scythicis habitem, longus ſummotus, in oris,*
*Siccaq́; ſint oculis proxima ſigna meis.* 134.b

II. DE PONTO.

*Cùm ſim ſub cardine mundi,*
*Qui ſemper liquidis altior extat aquis.* 179.b

IIII. TRIST.

*Vita procul patria, peragenda ſub axe Boræo eſt,*
*Quà maris Euxini terra ſiniſtra iacet.* 134.a

III. TRIST.

*Quæq́; Lycaonio terra ſub axe iacet.* 113.a

V. TRIST.

*Hæc gelido terra ſub axe latet.* 139.b

II. TRIST.

*Parrhaſiæ gelido virginis axe premor.* 105.a

II. DE' PON.

*Triſtior iſta*
*Terra ſub ambobus non iacet vlla polis.* 175.a

IN IBIN.

*Ille relegatum gelidos Aquilonis ad ortus.* 209.a

## XXII.

## ZONARVM.

I. META.

*Vtq́; duæ dextra cœlum, totidemq́; ſiniſtra*
*Parte ſecant Zonæ, quinta eſt ardentior illis:*
*Sic onus incluſum numero diſtinxit eodem*
*Cura Dei, totidemq́; plagæ tellure premuntur:*

*Quarum*

*Quarum quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu,*
*Nix tegit alta duas, totidem inter vtramq; locauit,*
*Temperiemq́; dedit miſta cum frigore flamma.* 2. b

TIBVL. IN HEXAM.

*Nam circumfuſo conſiſtit in aëre tellus,*
*Et quinq; in partes totus diſponitur orbis.*
*Atq; duæ gelido vaſtantur frigore ſemper,*
*Illic & denſa tellus abſconditur vmbra,*
*Et nulla incœpto perlabitur vnda liquore,*
*Sed durata riget denſam in glaciemq́; niuemq́; :*
*Quippe vbi non vnquam Titan ſuper ingerit ortus,*
*At media eſt Phœbi ſemper ſubiecta calori,*
*Seu propior terris æſtiuum fertur in orbem,*
*Seu celer hibernus properat decurrere luces,*
*Non ergo preſſo tellus conſurgit aratro,*
*Nec frugem ſegetes præbent, nec pabula terræ,*
*Non illic colit arua déus Bacchusúe Ceresúe,*
*Nulla nec exhauſtas habitant animalia partes.*
*Fertilis hanc inter poſita eſt, interq́; rigentem,*
*Noſtraq́; & huic aduerſa ſolo pars altera noſtro:*
*Quas ſimiles vtrinq; tenens vicinia cœli,*
*Temperat alter, & alterius vires negat aër.*
*Hinc placidus nobis per tempora labitur annus,*
*Hic & colla iugo didicit ſubmittere taurus,*
*Et lenta excelſos vitis conſcendere ramos:*
*Tondeturq́; ſeges maturos annua partus,*
*Et ferro tellus, pontus conſinditur ære.* 72. a

XXIII.

# VENTORVM.

I. META.

*Eurus ad auroram, Nabatæaq́ʒ regna receſsit,*
*Perſidaq́ʒ & radijs iuga ſubdita matutinis.*
*Veſper, & occiduo quæ littora Sole tepeſcunt,*
*Proxima ſunt Zephyro. Scythiam, ſeptemq́ʒ triones*
*Horrifer inuaſit Boreas, contraria tellus*
*Nubibus aſsiduis, pluuioq́ʒ madeſcit ab Auſtro.* 3.A

I. TRIST.

*Nam modò purpureo vires capit Eurus ab ortu,*
*Nunc Zephyrus ſero veſpere miſſus adeſt.*
*Nunc gelidus ſicca Boreas bacchetur ab Arcto,*
*Nunc Notus aduerſa prælia fronte gerit.* 91.A

II. DE ARTE.

*Nam modò Threïcio Borea, modò currimus Euro,*
*Sæpe tumet Zephyro lintea, ſæpe Noto.* 133.A

IIII. DE PONTO.

*Hinc oritur Boreas, oraq́ʒ domeſticus huic eſt,*
*Et ſumit vires à propiore loco.*
*At Notus, aduerſo tepidus qui ſpirat ab axe,*
*Eſt procul, & rarus languidiorq́ʒ venit.* 203.A

V. MET. DE BOREA.

*Apta mihi vis eſt, hac triſtia nubila pello.*
*Hac freta concutio, nodoſaq́ʒ robora verto,*
*Induroq́ʒ niues, & terras grandine pulſo.*
*Idem ego, cùm fratres cœlo ſum nactus aperto,*
*( Nam mihi campus is eſt ) tanto molimine luctor,*
*Vt medius noſtris concurſibus inſonet æther,*

*Exili-*

*Exiliantq́ cauis eliſi nubibus ignes.*
*Idem ego, cùm ſubij conuexa foramina terræ,*
*Suppoſuiq́ ferox imis mea terga cauernis,*
*Sollicito manes, totumq́ tremoribus orbem.* 78. b

III. TRIST. DE EOD.

*Tantaq́ commoti vis eſt Aquilonis, vt altas*
*Aequet humo turres, tectaq́ rapta ferat.* 120. b

I. META.

*Madidis Notus euolat alis*
*Terribilem picea tectus caligine vultum.* 6. a

## XXIIII.
## SCYLLAE ET Charybdis.

XIII. META.

*Scylla latus dextrum, læuum irrequieta Charybdis*
*Infeſtat: vorat hæc raptas, remouitq́ carinas:*
*Illa feris atram canibus ſuccingitur aluum,*
*Virginis ora gerens.* 170. b

IN IBIN.

*Scylla vorax, Scyllæ aduerſa Charybdis.* 215. b

TIBVL. I.

*Nec Scyllæ ſæuo conterruit impetus orbe,*
*Cùm canibus rapidas inter freta ſerperet vndas:*
*Nec violenta ſuo conſumſit more Charybdis,*
*Vel ſi ſublimis fluctu conſurgeret imo,*
*Vel ſi interrupto nudaret gurgite pontum.* 70. b

PROPER. II.

*Crede mihi, nobis miteſcet Scylla, nec vnquam*
*Alternante vorans vaſta Charybdis aqua.* 108.a

IIII.

*Scyllaq́; & alternas ſciſſa Charybdis aquas.* 123.b

## Scyllæ.

IN MEDEA.

*Aut me Scylla rapax canibus miſiſſet edendum*
*Debuit ingratis Scylla nocere viris.* 31.b

## Charybdis.

IIII. DE PONT.

*Nec potes infeſtis æquare Charybdin Achæis,*
*Ter licet epotum, ter vomat illa fretum.* 202.b

II. DE REMED.

*Hic vomit epotas dira Charybdis aquas.* 165.a

II. AMOR.

*Nec quas ſubmerſis ratibus ſaturata Charybdis*
*Fundit, & effuſas ore receptat aquas.* 94.a

# XXV.
# PLVVIARVM.

I. META.

*Pœna placet diuerſa, genus mortale ſub vndis*
*Perdere, & ex omni nimbos dimittere cœlo.* 6.a

IX. META.

*Sed neq;, quas poſſet terris inducere nubes,*
*Tunc habuit, nec quos cœlo demitteret imbres.* 20.a

XIIII. META.

*Into-*

*Intonnit dicente dea, tonitrumq; ſecuti*
*Cùm ſaliente graues ceciderunt grandine nimbi,*
*Aëraq; & tumidum ſubitis concurſibus æquor*
*Aſtræi turbant, & eunt in prælia fratres.* 183.b

XI. META.

*Ecce cadunt largi reſolutis nubibus imbres,*
*Inq; fretum credas totum deſcendere cœlum,*
*Inq; plagas cœli tumefactũ aſcendere pontum.* 143.a

I. META.

*Fit fragor, & denſi funduntur ab æthere nimbi.* 6.b

II. FAST.

*Sol fugit, & remouent ſubeuntia nubila cœlum,*
*Et grauis effuſis decidit imber aquis.* 22.a

IIII. DE PONT.

*Nulla dies adeò eſt auſtralibus humida nimbis,*
*Non intermiſsis vt fluat imber aquis.* 22.a

IN NVCE.

*Non expectata cùm venit imber aqua.* 170.b

V. META.

*Et modò Sol nimius, nimi⁹ modò corripit imber.* 63.b

II. FAST.

*Sæpe graues pluuias adopertus nubibus æther*
*Concitat.* 15.a

V. FAST.

*Cœlum nigreſcit ab Auſtris,*
*Et ſubita frondes decutiuntur aqua.* 64.b

II. DE PONT.

*Cùm multis lucibus antè*
*Fuderit aſsiduas nubibus Auſter aquas.* 167.a

I. META.

Contraria tellus
*Nubibus aſsiduis, pluuioq́ madeſcit ab Auſtro.* 3.a

IN NVCE.

*At mihi nec grando duris inuiſa colonis*
*Nec ventus damno Solúe geluúe fuit.* 170.a

TIBVL. I.

*Non mihi pigra nocent hibernis frigora noctis,*
*Non mihi cùm multa decidit imber aqua.* 44.b

IBIDEM.

*Quamuis prætexent picta ferrugine cœlum*
*Venturam admittat imbrifer arcus aquam.* 48.b

IBIDEM.

*Aut gelidas hibernus aquas cùm fuderit Auſter.* 43.b

## XXVI.

## TEMPESTATVM.

XI. META.

*Aſpera creſcit hiems, omniq́ à parte feroces*
*Bella gerunt venti, fretaq́ indignantia miſcent,*
*Ipſe pauet, nec ſe qui ſit ſtatus, ipſe fatetur*
*Scire ratis rector, nec quid iubeatúe velitúe,*
*Tanta mali moles, tantoq́ potentior arte eſt.*
*Quippe ſonant clamore viri, ſtridore rudentes,*
*Vndarum incurſu grauis vnda, tonitrubus æther,*
*Fluctibus erigitur, cœlumq́ æquare videtur*
*Pontus, & inductas aſpergine tangere nubes,*
*Et modò cùm fuluas ex imo verrit harenas,*

Concolor

*Concolor eſt illis: Stygia modò nigrior vnda,*
*Sternitur interdum, ſpumisq́; tumentibus albet.*
*Ipſa quoq; his agitur vicibus Trachinia puppis,*
*Et nunc ſublimis veluti de vertice montis*
*Deſpicere in valles, imumq́; Acheronta videtur:*
*Nunc vbi demiſſam curuum circumſtetit æquor,*
*Suſpicere inferno ſummum de gurgite cœlum.*
*Sæpius ingentem fluctu latus icta fragorem.*
*Nec leuius pulſata ſonat, quàm ferreus olim,*
*Cùm laceras aries baliſtaúe concutit arces:*
*Vela madent nimbis, & cùm cœleſtibus vndis*
*Aequoreæ miſcentur aquæ, caret ignibus æther.*
*Cæcaq́; nox premitur tenebris hiemisq́;, ſuisq́;.*
*Diſcutiunt tamen has, præbentq́; micantia lumen*
*Fulmina, fulmineis ardeſcunt ignibus vndæ.*
*Dat quoq; iam ſaltus intra caua texta carinæ*
*Fluctus, & vt miles numero præſtantior omni,*
*Cùm ſæpe aſſilijt defenſæ mœnibus vrbis,*
*Spe potitur tandem: laudisq́; accenſus amore,*
*Inter mille viros murum tamen occupat vnus:*
*Sic vbi pulſarunt celſi latera ardua fluctus,*
*Vaſtius inſurgens, decimæ ruit impetus vndæ.* 142. b

I. TRIST.

*Me miſerum, quanti montes voluuntur aquarum,*
*Iamiam tacturos ſidera ſumma putes.*
*Quantæ diducto ſubſidunt æquore valles,*
*Iamiam tacturas Tartara nigra putes.*
*Quocunq; aſpicio, nihil eſt niſi pontus & æther,*
*Fluctibus hic tumidus, nubibus ille minax.*

*Inter vtrunq; fremunt immani murmure venti,*
*Neſcit cui domino pareat vnda maris.*
*Rector in incerto eſt, nec quid fugiatúe petatúe*
*Inuenit, ambiguis ars ſtupet ipſa malis.*
*Scilicet occidimus, nec ſpes eſt vlla ſalutis,*
*Dumq; loquor, vultus obruit vnda meos.*
*Hei mihi quàm celeri micuerunt nubila flamma,*
*Quantus ab æthereo perſonat axe fragor.*
*Nec leuius laterum tabulæ feriuntur ab vndis,*
*Quàm graue baliſtæ mœnia pulſat onus.*
*Qui venit hic fluctus, fluctus ſupereminet omnes,*
*Poſterior nono eſt vndecimoq́; prior.* 91.b

III. FAST.

*Vela cadunt primò, & dubia librantur ab aura,*
*Findite remigio, nauita dixit, aquas.*
*Dumq́; parant torto ſubducere carbaſa lino,*
*Percutitur rapido puppis adunca Noto.*
*Inq́; patens æquor, fruſtra pugnante magiſtro,*
*Fertur, & ex oculis viſa refugit humus.*
*Aßiliunt fluctus, imoq́; à gurgite pontus*
*Vertitur, & canas alueus haurit aquas.*
*Vincitur ars vento, nec iam moderator habenis*
*Vtitur, at votis is quoq; poſcit opem.*
*Iactatur tumidas exul Phœniſſa per vndas.* 38.b

I. TRIST.

*Me miſerum, quantis nigreſcunt æquora ventis,*
*Erutaq́; ex imis feruet harena vadis.*
*Monte nec inferior proræ puppiq́; recuruæ*
*Inſilijt, & pictos verberat vnda deos.*

*Pinea*

*Pinea texta ſonant, pulſi ſtridore rudentes,*
*Aggemit & noſtris ipſa carina malis.*
*Nauta confeſſus gelidum pallore timorem,*
*Iam ſequitur victus, non regit arte ratem.*
*Vtq; parum validus non proficientia rector*
*Ceruicis rigidæ frena remittit equo:*
*Sic non quò voluit, ſed quò rapit impetus vndæ,*
*Aurigam video vela dediſſe rati.* 95.a

IBIDEM.

*Nunc quoq; contenti ſtrident aquilone rudentes,*
*Inq; modum tumuli concaua ſurgit aqua.*
*Ipſe gubernator tollens ad ſidera palmas,*
*Expoſcit votis, immemor artis, opem.*
*Quocunq; aſpexi, nihil eſt niſi mortis imago.* 101.a

IN LEANDRO.

*Fluctibus immodicis Athamantidos æquora canent,*
*Vixq; manet portu tuta carina ſuo.* 51.b

IBIDEM.

*Ipſa vides cœlum pice nigrius, & freta ventis*
*Turbida, perq; cauas vix adeunda rates.* 49.a

I. TRIST.

*Et mea cymba ſemel vaſta percuſſa procella,*
*Illum, quo læſa eſt, horret adire locum.* 90.b

IN HERO.

*Quanto planguntur littora fluctu,*
*Et latet obſcura condita nube dies.* 54.b

I. DE PONTO.

*Aequora ſemper*
*Ventorum rabie ſolibus orba tument.* 158.a

IN LEANDRO.

*Sollicitum raucis vt mare feruet aquis.* 49.b

## XXVIII.
## SERENITATIS.

V. META.

*Deſierant imbres, victoq́; Aquilonibus Auſtro*
*Fuſca repurgato fugiebant nubila cœlo.* 60.a

I. META.

*Nubila diſiecit, nimbisq́; Aquilone remotis,*
*Et cœlo terras oſtendit, & æthera terris.* 7.b

IIII. FAST.

*Nam modò ſiccus erat gelidis Aquilonibus annus,*
*Nunc ager aßidua luxuriabat aqua.* 54.a

IBIDEM.

*Sicca diu fuerat tellus, ſitus vſſerat herbas.* 48.b

II. TRIST.

*Nunc vbi detonuit, ſtrepituq́; exterruit orbem,*
*Purum diſcußis aëra reddit aquis.* 120.b

II. DE PONT.

*Numine cœleſti ſolem fulſiſſe ſerenum.* 167.a

PROPERT. III.

*Tranſeat hic ſine nube dies, ſtent aëre venti,*
*Ponat & in ſicco molliter vnda minas.* 121.b

## XXVIIII.
## FONTIS.

III. META.

*Fons*

*Fons erat illimis, nitidis argenteus vndis,*
*Quem neq; paſtores, neq; paſtæ in monte capellæ*
*Contigerant, aliudúe pecus: quem nulla volucris,*
*Nec fera turbarat, nec lapſus ab arbore ramus,*
*Gramen erat circà, quod proximus humor alebat,*
*Siluaq́; ſole locum paſſura tepeſcere nullo.* 36.b

III. DE ARTE.

*Eſt prope purpureos colles florentis Hymetti*
*Fons ſacer, & viridi ceſpite mollis humus.*
*Silua nemus non alta facit, tegit arbutus herbam*
*Roſmaris & laurus, nigraq́; myrthus olent.*
*Nec denſum folijs buxum, fragilesq́; myrica,*
*Nec tenues cythiſi, cultaq́; pinus abeſt.*
*Lenibus impulſæ Zephyris auraq́; ſalubri,*
*Tot generũ frondes herbaq́; ſumma tremit.* 150.a

IN SAPPH.

*Eſt nitidus, vitroq́; magis pellucidus amnis,*
*Fons ſacer, hunc multi numen habere putant.*
*Quem ſupra ramos extendit aquatica Lothos,*
*Vna nemus, tenero ceſpite terra viret.* 67.b

III. META.

*Fons ſonat à dextra tenui pellucidus vnda,*
*Margine gramineo patulos incinctus hiatus.* 37.b

## XXIX.
## STAGNI.

IIII. META.

*Videt hic ſtagnum lucentis, ad imum*

*Vſq;*

*Vſq; ſolum lymphæ : non illic canna paluſtris,*
*Nec ſteriles vluæ, nec acuta cuſpide iunci :*
*Perſpicuus liquor eſt : ſtagni tamen vltima viuo*
*Ceſpite cinguntur, ſemperq; virentibus herbis.*

## XXX.

## FLVVII AMOENI.

V. META.

*Haud procul Aetneis lacus eſt à mœnibus altus,*
*Nomine Perguſa : non illo plura Cayſter*
*Carmina cygnorum labentibus audit in vndis.*
*Silua coronat aquas, cingens latus omne, ſuuſq;*
*Frondibus, vt velo, Phœbeos ſubmouet ignes.*
*Frigora dans rami, varios humus humida flores,*
*Perpetuum ver eſt.* 62.a

IBIDEM.

*Inuenio ſine vortice aquas, ſine murmure euntes,*
*Perſpicuas ad humum, per quas numerabilis altè*
*Calculus omnis erat : quas tu vix ire putares.*
*Cana ſalicta dabant, nutritaq; populus vnda,*
*Sponte ſua natas ripis decliuibus vmbras.* 55.a

TIBVL. I.

*At te Cydne canam, tacitis qui leniter vndis,*
*Cœruleus placidis per vada ſerpis aquis.* 52.a

## XXXI.

## MONTIS.

I. META.

*Mons ibi verticibus petit arduus aſtra duobus,*

*Nomine*

*Nomine Parnaſſus, ſuperatq́ cacumine nubes.* 7.a

V. FAST.

*Pelion Aemoniæ mons eſt, obuerſus in auſtros,*
*Summa virent pinu, cætera quercus habet.* 62.b

TIBVL. I.

*Quantus & ætherio contingens vertice nubes*
*Frigidus intonſos Taurus arat Cilicas:* 52.a

PROPERT. IIII.

*Mons erat aſcenſu dubius.* 138.a

## XXXII.

## LVCI.

III. FAST.

*Lucus Auentino ſuberat niger ilicis vmbra,*
*Quo poßis viſo dicere numen ineſt.*
*In medio gramen, muſcoq́ adoperta virenti*
*Manabat ſaxo vena perennis aquæ.* 33.a

II. FAST.

*Denſa niger ilice lucus,*
*In medio gelidæ fons erat altus aquæ.* 17.a

PROPER. IIII.

*Lucus erat felix hederoſo conditus antro,*
*Multaq́ natiuis obſtrepit arbor aquis.*
*Siluani ramoſa domus, quo dulcis ab æſtu*
*Fiſtula poturas ire iubebat oues.* 137.a

IBIDEM.

*Lucus ab vmbroſo fecerat orbe nemus.* 145.a

## XXXIII.

NEMO-

## NEMORIS.

IN MEDEA.

*Eſt nemus, & piceis, & frondibus ilicis atrum,*
*Vix illuc radijs ſolis adire licet.* 30.b

VI. FAST.

*Eſt nemus, arboribus denſum, ſecretus ab omni*
*Voce locus, ſi non obſtreperetur aquis.* 72.a

## XXXIIII.
## HORTI.

V. FAST.

*Eſt mihi fœcundus dotalibus hortus in agris*
*Aura fouet, liquidæ fonte rigantur aquæ.* 63.a

II. FAST.

*Hortus odoratis ſuberat cultiſsimus herbis,*
*Sectus humum riuo lene ſonantis aquæ.* 25.b

XIIII. META.

*Pomona fuit, qua nulla Latinas*
*Inter Hamadryadas coluit ſolertius hortos,*
*Nec fuit arborei ſtudioſior altera fœtus,*
*Vnde tenet nomen, non ſiluas illa, nec amnes,*
*Rus amat, & ramos felicia poma ferentes.*
*Nec iaculo grauis eſt: ſed adunca dextera falce,*
*Qua modò luxuriem premit, & ſpaciantia paſsim*
*Brachia compeſcit: fiſſo modò cortice lignum*
*Inſerit, & ſuccos alieno præſtat alumno.*
*Nec ſentire ſitim patitur, bibulæq; recuruas*
*Radicis fibras labentibus irrigat vndis.*

Hoc

*Hoc amor, hoc ſtudium.* 185.a

IN NVCE.

*Felix ſecreto quæ nata eſt arbor in agro,*
*Et ſoli domino ferre tributa poteſt:*
*Illa ſuo, quæcunque tulit, dare dona colono,*
*Et plenos fructus annumerare poteſt.*

## XXXV.
## CAMPI.

VI. META.

*Planus erat, lateque patens prope mœnia campus,*
*Aſſiduis pulſatus equis, vbi turba rotarum,*
*Duraque mollierat ſubiectas vngula glebas.* 70.b

V. FAST.

*Liber ab arboribus locus eſt, apta area pugnæ.* 71.a

## XXXVI.
## VALLIS.

III. META.

*Vallis erat piceis, & acuta denſa cupreſſu,*
*Nomine Gargaphiæ, ſuccincta ſacra Dianæ.*
*Cuius in extremo eſt antrum nemorale receſſu,*
*Arte laboratum nulla: ſimulauerat artem,*
*Ingenio natura ſuo. nam pumice viuo,*
*Et leuibus tophis natiuum duxerat arcum.* 32.a

IIII. FAST.

*Valle ſub vmbroſa locus eſt, aſpergine multa*
*Humidus, ex alto deſilientis aquæ.*
*Tot fuerant illic, quot habet natura colores,*

Pictaque

*Pictaq; diſsimili flore nitebat humus.* 50.b

X V. M E T A.

*Vallis Aricinæ denſis latet abdita ſiluis.* 197.a

## XXXVII.
## PORTVS.

IN OENONE.

*Aſpicit immenſum moles natiua profundum,*
*Mons fuit, æquoreis illa reſiſtit aquis.* 12.a

PROPERT. IIII.

*Eſt Phœbi fugiens Athamana ad littora portus,*
*Qua ſinus Ioniæ murmura condit aquæ.*
*Actia Iuleæ pelagus monumenta carinæ,*
*Nautarum votis non operoſa via.* 140.a

## XXXVIII.
## SCOPVLI.

*Imminet æquoribus ſcopulus, pars ima cauatur*
*Fluctibus, & tectas defendit ab imbribus vndas,*
*Summa riget, frontemq; in apertum porrigit æquor.*

## XXXIX.
## SIMILITVDINES.
## AMATOR.
### Ceræ, Pruinæ.

III. META.

*vt inta-*

*vt intabeſcere flauæ*
*Igne leui Ceræ, matutinæq́ Pruinæ*
*Sole tepente ſolent: ſic attenuatus amore*
*Liquitur, & tecto paulatim carpitur igni.*

## Igni latenti.

VII. META.

*Vt ſolet à ventis alimenta reſumere, quæq́*
*Parua ſub inducta latuit ſcintilla Fauilla*
*Creſcere, & in veteres agitata aſſurgere vires:*
*Sic iam lenis amor, iam quem languere putares,*
*Vt vidit iuuenem, ſpecie præſentis inarſit.* 80. b

Eidem. II. DE ARTE.

*Vt leuis abſumptis paulatim viribus ignis*
*Ipſe latet, ſummo candet in igne cinis,*
*Sed tamen extinctas admoto ſulſure flammas*
*Inuenit, & lumen quod fuit antè, redit:*
*Sic vbi pigra ſitu ſecuraq́ pectora torpent,*
*Acribus eſt ſtimulis eliciendus amor.* 133. a

Eidem. II. DE REMED.

*Vt penè extinctum cinerem ſi ſulfure tangas,*
*Viuet, & ex minimo maximus Ignis erit:*
*Sic niſi vitaris, quidquid reuocabit amorem,*
*Flamma redardeſcet, quæ modò nulla fuit.* 165. a

## Telo ardenti.

II. META.

*Non ſecus exarſit, quàm cùm Balearica plumbum*
*Funda iacit: volat illud, & incandeſcit eundo,*

*Et quos non habuit, ſub nubibus inuenit ignes.* 27. a

## Tædæ ſulfureæ.

III. META.

*flamma propiore caleſcit:*
*Non aliter, quàm cùm ſummis circumlita Tædis*
*Admotas rapiunt viuacia ſulfura flammas.* 36. a

Eidem. IN DIDONE.

*Vror, vt inducto Ceratæ ſulfure Tæda.* 17. a

## Faci pineæ.

IN MEDEA.

*ignibus arſi,*
*Ardet vt ad magnos Pinea tæda Deos.* 30. a

## Ariſtis.

VI. META.

*Non ſecus exarſit, conſpecta virgine Tereus,*
*Quàm ſiquis canis ignem ſupponat Ariſtis,*
*Aut frondem, poſitasq́ue crermet fœnilib. herbas.* 74. b

## Iuuenco, Equo.

IN PHAEDRA.

*Scilicet vt teneros lædunt iuga prima Iuuencos,*
*Frenaq́ue vix patitur de grege raptus Equus:*
*Sic malè, vixq́ue ſubit primos rude pectus amores.* 8. b

## Amni tumido.

II. FAST.

*Vt ſolet*

*Vt ſolet à magno fluctus langueſcere flatu,*
*Sed tamen à vento qui fuit, vnda tumet:*
*Sic quamuis aberat placitæ præſentia formæ,*
*Quē dederat præſens forma, manebat amor.* 27.a

## Scopulo.

II. DE REMED.

*Artibus innumeris mens oppugnatur amantum,*
*Vt Lapis æquoreis vndiq; pulſus aquis.* 164.b

# AMOR VEHEMENS.

## Ardenti agro.

IN SAPPH.

*Vror, vt indomitis ignem exercentibus Euris,*
*Fertilis accenſis meſſibus ardet Ager.* 65.a

## Flammæ.

IBIDEM.

*Me calor Aetnæo non minor Igne tenet.* 65.a

XIII. META.

*læſuſq; exæſtuat acrius ignis,*
*Cumq; ſuis videor tranſlatam viribus Aetnam*
*Pectore ferre meo.* 173.a

## Stipulæ, Faci.

I. META.

*Vtq; leues Stipulæ demptis adolentur ariſtis,*
*Vt Facibus ſepes ardent, quas forte viator*
*Vel nimis admouit, vel iam ſub luce reliquit:*

*Sic Deus in flammas abijt, ſic pectore toto*
*Vritur, & ſterilem ſperando nutrit amorem.* 10. a

## Altaribus.

TIBVL. IIII.

*Vritur, vt celeres vrunt Altaria flammæ.*

## Cani.

I. META.

*Vt Canis in vacuo Leporem cùm Gallicus aruo*
*Vidit, & hic prædam pedibus petit, ille ſalutem:*
*Alter inhæſuro ſimilis, iam iamq; tenere*
*Sperat, & extento ſtringit veſtigia roſtro,*
*Alter in ambiguo eſt, an ſit comprenſus, & ipſis*
*Morſibus eripitur, tangentiaq; ora relinquit:*
*Sic Deus & virgo eſt, hic ſpe celer, illa timore.* 10. b

## AMOR LENTVS.

## Tædæ humidæ, Ligno recenti.

III. DE ARTE.

*Ignibus hic lentis vretur: vt humida Tæda,*
*Vt modò montanis ſilua reciſa iugis.* 148. a

## AMOR NOVVS.

## Tauro, Virgæ.

II. DE ARTE.

*Dum nouus errat amor, vires ſibi colligit vſu,*
*Si bene nutrieris, tempore firmus erit:*

Quem

*Quem Taurum metuis, vitulum mulcere ſolebas :*
*Sub qua nunc recubas arbore, Virga fuit.* 130.b

## Tauro.

### PROPER. II.

*Ac veluti primò Taurus detrectat aratra,*
*Pòſt venit aſſueto mollis ad arua iugo :*
*Sic primò iuuenes trepidant in amore feroces,*
*Dein domiti, poſthæc æqua & iniqua ferunt.* 93.b

# IRACVNDVS.

## Apro, Leæ, Viperæ.

### II. DE ARTE.

*Sed neq; fuluus Aper media tam ſæuus in ira eſt,*
*Fulmineo rapidos dum rotat ore canes :*
*Nec Lea, cùm catulis lactentibus vbera præbet :*
*Nec breuis ignaro Vipera læſa pede,*
*Fœmina quàm ſocij depræ̨nſa pellice lecti*
*Ardet, & in vultu pignora mentis habet.* 131.a

## Equo.

### III. META.

*Vt fremit acer Equus, cùm bellicus ære canoro*
*Signa dedit tubicen, pugnæq; aſſumit amorem :*
*Penthea ſic ictus longis vlulatibus æther*
*Mouit, & audito clamore recanduit ira.* 41.b

## Tauro.

### XII. META.

*Haud ſecus exarſit, quàm circo Taurus aperto,*
*Cùm ſua terribili petit irritamina cornu.* 149.b

Eidem. IX. META.

*Haud aliter graditur, quàm ſi venabula Taurus*
*Corpore fixa gerat, factiq; refugerit auctor:*
*Sæpe illum gemitus edentem, ſæpe trementem,*
*Sæpe retentantem totas infringere veſtes,*
*Sternentemq; trabes, iraſcentemq; videres.* 112.a

## Leænæ.

XIII. MET.

*Vtq; furit catulo lactante orbata Leæna,*
*Signaq; nacta pedū ſequitur, quem non videt hoſtem:*
*Sic Hecube, poſtquam cum luctu miſcuit iram,*
*Non oblita animorum, annorum oblita ſuorum,*
*Vadit ad artificem diræ Polymneſtora cædis.* 168.b

## Tigridi.

V. META.

*Tigris vt auditis diuerſa valle duorum,*
*Extimulata fame, mugitibus armentorum,*
*Neſcit vtro potius ruat, & ruere ardet vtroq;:*
*Sic dubius Perſeus, dextra læuáne feratur, etc.* 58.a

Eidem. VI. META.

*traxit Ityn: veluti Gangetica cerua*
*Lactentem fœtum per ſiluas Tigris opacas.* 77.b

## Mænadi.

II. DE REMED.

*Ibat*

*Ibat, vt Aonio referens Trieterica Baccho*
*Ire ſolet fuſis barbara turba comis.* 163. a

Eidem. I. DE ARTE.

*Fertur, vt Aonio concita Baccha deo.* 118. a

ITEM II. DE ARTE.

*Fertur, vt Aonij cornibus icta dei.* 131. a

## Furioſis alijs.

IN PHAED.

*Nunc feror, vt Bacchi furijs Eleleïdes actæ,*
*Quæq́; ſub Idæo tympana colle mouent:*
*Aut quas ſemideæ Dryades, Fauniq́; bicornes,*
*Numine contactas attonuêre ſuo.* 9. a

## Furiæ.

IN SAPPH.

*Illuc mentis inops, vt quam furialis Erichtho*
*Impulit, in collo crine iacente feror.* 67. a

## Camino.

VII. META.

*Vtq́; ſolent pleni reſonare Camini,*
*Aut vbi terrena ſilices fornace ſoluti,*
*Concipiunt ignem liquidarum aſpergine aquarum:*
*Pectora ſic intus clauſas voluentia flammas,*
*Gutturaq́; vſta ſonant.* 80. b

## Torrenti.

III. META.

*Acrior admonitu eſt, irritaturq́ꝫ retenta*
*Et creſcit rabies, moderaminaq́ꝫ ipſa nocebant:*
*Sic ego Torrentem, quà nil obſtabat eunti,*
*Lenius, & ſtrepitu modico decurrere vidi:*
*At quacunqꝫ trabes, obſtructaq́ꝫ ſaxa iacebant,*
*Spumeus, & feruens, & ab obice ſæuior ibat.* 39.a

## Telo emiſſo.

VIII. MET.

*Vtq́ꝫ volat Moles, adducto concita neruo,*
*Cùm petit aut muros, aut plenas milite turres:*
*In iuuenes certo ſic impete vulnificus ſus*
*Fertur.* 99.b

## Fulmini.

IBIDEM.

*Hinc aper excîtus medios violentus in hoſtes*
*Fertur, vt excuſſis eliſus nubibus Ignis.* 99.a

Eidem. IBIDEM.

*Ira feri mota eſt, nec Fulmine lenius arſit.* 99.b

Eidem. XIIII. META.

*tua fulmine ſæuior ira eſt.* 17.b

## TIMIDVS.

## Agnæ, Ceruæ, Columbæ.

I. META.

*ſic Agna Lupum, ſic Cerua leonem*
*Sic aquilam penna fugiunt trepidante Columbæ.* 10.a

Agnæ,

## Agnæ, Columbæ.

I. TRIST.

*Terretur minimo pennæ ſtridore Columba,*
*Vnguibus accipiter ſaucia facta tuis:*
*Non procul à ſtabulis audet diſcedere, ſiqua*
*Excuſſa eſt auidi dentibus Agna lupi.* 90. a

Eiſdem. VI. META.

*Illa tremit velut Agna pauens, quæ ſaucia cani*
*Ore excuſſa lupi, nondum ſibi tuta videtur:*
*Vtq́ Columba ſuo madefactis ſanguine plumis* (75. b
*Horret adhuc, auidosq́ timet quib. hæſerat, vngues.*

Eiſdem. I. DE ARTE.

*Vt fugiunt aquilas timidiſſima turba Columbæ,*
*Vtq́ fugit viſos Agna nouella lupos:*
*Sic illæ timuêre.* 115. a

## Ceruo, Agnæ.

III. TRIST.

*Vtq́ fugax auidis Ceruus depræinſus ab vrſis,*
*Cinctaq́ montanis, vt fugit Agna, lupis:*
*Sic ego belligeris à gentibus vndiq́ ſeptus*
*Terreor, hoſte meum pæne premente latus.* 122. a

## Agnæ.

II. FAST.

*Sed tremit, vt quondam ſtabulis depræinſa relictis,*
*Parua ſub infeſto cùm iacet Agna lupo.* 27. b

## Columbæ.

V. META.

*Sic ego currebam: ſic me ferus ille premebat,*
*Vt fugere accipitrem penna trepidante Columbæ,*
*Vt ſolet accipiter trepidas vrgere Columbas.* 65.b

## Lepori.

VI. META.

*Vix animo ſua gaudia differt,*
*Barbarus, & nuſquam lumen detorquet ab illa,*
*Non aliter, quàm cùm pedibus prædator aduncis*
*Depoſuit nido Leporem Iouis ales ab alto.* 75.b

## Agnæ, Lepori.

V. META.

*Quid mihi tunc animi miſeræ fuit? annè quod agna,*
*Siqua lupos audit circum ſtabula alta frementes?*
*Aut Lepori, qui vepre latens, hoſtilia cernit*
*Ora canũ, nulloſq; audet dare corpore motus?* 66.a

## Damæ.

III. FAST.

*Currit, vt auditis territa Dama lupis.* 39.b

## Pecudi cuiuis.

IIII. TRIST.

*Vtq; rapax Pecudem, quæ ſe non texit ouili,*
*Per ſata, per ſiluas, fertq;, refertq; lupus;*
*Sic, ſiquem nondum portarum ſede receptum*
*Barbarus in campis repperit hoſtis; habet.* 126.b

Aui.

## Aui.

VIII. META.

*penniſq́ leuatus,*
*Antè volat, comitiq́ timet: velut Ales, ab alto,*
*Quæ teneram prolem produxit in aëra nido.* 97. a

## Ventis incertis.

II. TRIST.

*Et veluti ventis agitantibus æquora, non eſt*
*Aequalis rabies, continuuſq́ furor:*
*Sed modò ſubſidunt, intermiſsiq́ ſileſcunt,*
*Vimq́ putes illos depoſuiſſe ſuam:*
*Sic abeunt, redeuntq́ mihi, variantq́ timores,*
*Et ſpem placandi dantq́ negantq́ tui.* 104. a

## Ventis & arbori.

IN CANACE.

*Vt mare fit tremulum, tenui cùm ſtringitur aura,*
*Vt quatitur tepido Fraxina virga Noto:*
*Sic mea vibrari pallentia membra videres.* 28. b

## Populo & Arundini.

I. AMOR.

*Exanimes artus, & membra trementia vidi,*
*Vt cùm Populeas ventilat aura comas,*
*Vtq́ leui Zephyro gracilis vibratur Arundo,*
*Summaue cùm tepido ſtringitur aura Noto.* 74. b

## Segeti motæ.

IN

IN ARIADNE.

*Corpus, vt impulſæ Segetes aquilonibus, horret.* 27.a

## Ariſtis, Cannis.

I. DE ARTE.

*Horruit, vt ſteriles, agitat quas ventus, Ariſtæ*
*Vt leuis in madida Canna palude tremit.* 122.a

## Ariſtis, Auræ.

IN ARIADNE.

*Vtq́; leui Zephyro graciles vibrantur Ariſtæ,*
*Frigida populeas vt quatit Aura comas;*
*Aut ſic, aut etiam metui magis.* 36.b

## Viatori.

II. FAST.

*Attonitusq́; metu rediit: vt ſæpe viator*
*Turbatum viſo rettulit angue pedem.* 19.b

# INHVMANVS.

## Freto, Ferro, Saxo.

XIIII. META.

*Sæuior illa Freto ſurgente, cadentibus Hœdis,*
*Durior & Ferro, quod Noricus excoquit ignis,*
*Et Saxo, quod adhuc viuum radice tenetur.* 186.b

III. FAST.

*Aſperior quouis æquore frater erat.* 38.a

# AVDAX.

Gladia-

## Gladiatori, Naufrago.

II. TRIST.

*Scilicet vt victus repetit gladiator arenam,*
*Et redit in tumidas Naufraga puppis aquas:*
*Forſitan vt quondam Teuthrantia regna tenenti,*
*Sic mihi res eadem vulnus, opemq; feret.* 102. a

# CERTANTES.

## Tauris.

IX. META.

*Digredimur paulùm, rurſumq; ad bella coimus:*
*Non aliter vidi fortes concurrere Tauros*
*Cum precium pugnæ, toto nitidiſſima ſaltu*
*Expetitur coniunx.* 109. a

## Leonibus.

II. FAST.

*Tyrrhenum valido Marte per agmen eunt:*
*Non aliter, quàm cum valida de rupe Leones,*
*Inuadunt ſparſos lata per arua greges.* 17. b

# INVIDVS.

## Glaciei & Igni.

II. META.

*lentaq; miſerrima tabe*
*Liquitur, vt Glacies incerto ſaucia ſole,*
*Felicisq; bonis non lenius vritur Herſes,*

*Quàm*

*Quàm cum ſpinoſis Ignis ſupponitur herbis,*
*Quæ neq; dant flām̃as, leniq; tepore cremantur.* 28.b

## Viperæ.

III. DE PONTO.

*Liuor, iners vicium, mores non exit in altos,*
*Vtq; latens ima Vipera ſerpit humo.* 186.a

# CONSTANS.

## Monti.

IX. META.

*Me mea defendit grauitas, fruſtraq; petebar,*
*Haud ſecus ac moles, quam magno murmure fluctus*
*Oppugnant, manet illa, ſuoq; eſt pondere tuta.* 109.a

## Conuiuæ.

IBIDEM.

*Haud alio vultu, quàm ſi conuiua iaceres,*
*Inter plena meri redimitus pocula ſertis.* 112.b

# ERRANS.

## Apibus.

III. FAST.

*Diffugiunt Tyrij, quo quenq; agit error, vt olim*
*Amiſſo dubiæ rege vagantur apes.* 38.a

## Naui.

II. AMOR.

Errat,

*Errat, vt à ventis diſcordibus acta phaſelus.* 90.a

## Fluuio.

VIII. MET.

*Non ſecus ac liquidis Phrygius Mæandrus in vndis*
*Ludit, & ambiguo lapſu refluitq́, fluitq́,*
*Occurrensq́ ſibi venturas aſpicit vndas,*
*Et nunc ad fontes, nunc ad mare verſus apertum*
*Incertas exercet aquas: ita Dædalus implet*
*Innumeras errore vias, vixq́ ipſe reuerti,*
*Ad limen potuit, tanta eſt fallacia tecti.* 96.a

## Mænadi.

IN ARIADNE.

*Aut ego diffuſis erraui ſola capillis,*
*Qualis ab Ogygio concita Baccha Deo.* 25.a

# DVBIVS.

## Viatori.

V. FAST.

*Vt ſtat, & incertus quâ ſit ſibi neſcit eundum,*
*Cùm videt ex omni parte viator iter:*
*Sic, quia poſſe datur diuerſas reddere cauſas,*
*Quô ferar ignoro, copiaq́ ipſa nocet.* 59.b

## Naui, Aeſtui.

VIII. META.

*Cumq́ ferus lachrymas animi ſiccauerat ardor,*

*Inuenie-*

*Inueniebantur lachrymæ tamen: vtq́ꝫ Carina,*
*Quam ventus, ventoq́ꝫ rapit contrarius Aeſtus,*
*Vim geminam ſentit, paretq́ꝫ incerta duobus.* 101.b

## Arbori cadenti.

X. META.

*vtq́ꝫ ſecuri*
*Saucia Trabs ingens, vbi plaga nouiſſima reſtat,*
*Quô cadat in dubio eſt, omniq́ꝫ à parte timetur:*
*Sic animus vario labefactus vulnere, nutat*
*Huc leuis, atqꝫ illuc: momentaq́ꝫ ſumit vtroqꝫ.* 128.a

# VIOLENTVS.

## Equo, Vento.

II. AMOR.

*Vt rapit in præceps dominum, ſpumantia fruſtra*
*Frena retentantem durior oris Equus:*
*Vt ſubitus, propè iam prænſa tellure, carinam*
*Tangentem portus, Ventus in alta rapit:*
*Sic me ſæpe refert incerta Cupidinis aura.* 89.b

# STVPIDVS.

## Statuæ.

III. META.

*At ſtupet ipſe ſibi, vultuq́ꝫ immotus eodem*
*Hæret, vt e Pario formatum marmore ſignum.* 36.a

## Lapidi.

*Exan-*

IX. META.

*Exanguemq́; metu, ne quidquam humoris habentem*
*In rigidos verſam ſilices prior edidit ætas.* 112.a

Eidem. V. META.

*Mater ad auditas ſtupuit ceu ſaxea voces.* 64.a

## Monſtro.

X. META.

*Non aliter ſtupuit gemina nece coniugis Orpheus,*
*Quàm tria qui timidus medio portante cathenas,*
*Colla canis vidit, quem non pauor antè reliquit,*
*Quàm natura prior.* 123.a

## Attonito.

I. TRIST.

*Non aliter ſtupui, quàm qui Iouis ignibus ictus*
*Viuit, & eſt vitæ neſcius ipſe ſuæ.* 93.a

## Bacchanti.

IIII. TRIST.

*Vtq́; ſuum Bacche non ſentit ſaucia vulnus,*
*Dum ſtupet Idæis exululata iugis:*
*Sic, vbi mota calent ſacro mea pectora thyrſo,*
*Altior humano ſpiritus ille malo.* 126.a

# CELER.

## Volucri.

II. META.

*Vt volucris viſis rapidiſſima miluius extis,*
*Dum timet & denſi circumſtant ſacra miniſtri,*
*Flectitur in gyrum, nec longius audet abire,*
*Spemq́ ſuam motis auidis circumuolat alis:*
*Sic ſuper Actæas agilis Cyllenius arces*
*Inclinat curſus, & eaſdem circinat auras.* 27.a

Eidem. VII. META.

*Effugit, & cœlum non ſegnior alite ludit.* 92.a

## Iuuenco.

XI. META.

*Concita membra fugæ mandat, ſimilisq́ iuuenco,*
*Spicula crabronum preſſa ceruice gerenti,*
*Quâ via nulla ruit.* 140.a

## Equo.

IN LEANDRO.

*Protinus illa valent, atq́ ad ſua præmia tendunt,*
*Vt celer Eleo carcere miſſus equus.*

## Sagittæ.

X. META.

*paſſu volat alite virgo:*
*Qua quanquam Scythica non ſegnius ire Sagitta*
*Aonio viſa eſt iuueni, tamen ille decorem*
*Miratur.* 131.b

Eidem. VII. META.

*non ocyor illo*
*Haſta, nec exutæ contorto verbere glandes,*

Nec

*Nec Gortyniaco calamus leuis exit ab arcu.* 92.a

## Naui.

IIII. META.

*Ecce velut nauis præfixo concita roſtro*
*Sulcat aquas, iuuenum ſudantibus acta lacertis:*
*Sic fera dimotis impulſu pectoris vndis.* 53.b

Eidem. II. AMOR.

*Auferor, vt rapida concita Puppis aqua.* 85.a

## Amni aucto.

III. META.

*Impete nunc vaſto, ceu concitus imbribus Amnis*
*Fertur, & obſtantes proturbat pectore ſiluas.* 31.a

## Folijs.

IBIDEM.

*Non citius frondes autumni frigore tactas,*
*Iamq́; malè hærentes, alta rapit arbore ventus:*
*Quàm ſunt mēbra viri manib. direpta nefandis.* 42.a

## Nubi.

IIII. META.

*Nunc huc, nunc illuc: exemplo Nubis aquoſæ,*
*Fertur.* 52.b

## Turbini.

TIBVL. I.

*Namq́; agor, vt per plana citus ſola verbere Turbo,*
*Quem celer aſſueta verſat ab arte puer.*

# DOLORE AFFECTVS.

## Matri lugenti.

IN SAPPH.

*Poſtquam ſe dolor imminuit, mea pectora planxi,*
*Nec puduit ruptis exululare comis.*
*Non aliter nati quàm ſi pia Mater adempti,*
*Portet ad extinctos nomen inane rogos.* 66.b

Eidem. IIII. FAST.

*Quæcunq; ingreditur miſeris loca cuncta querelis*
*Implet: vt amiſſum cùm gemit ales Ityn.* 51.b

Eidem. I. TRIST.

*Nec gemuiſſe minus, quàm ſi natæúe, meumúe*
*Vidiſſet ſtructos corpus habere rogos.* 94.b

## Iumento mactando.

II. META.

*Tum verò gemitus alto de corde petitos*
*Edidit haud aliter: quàm cùm ſpectante iuuenca*
*Lactentis Vituli dextra libratus ab aure*
*Tempora diſcuſsit claro caua malleus ictu.* 25.b

## Reſinæ, Bitumini, Vndæ reſolutæ.

XI. META.

*Protinus vt ſecto Piceæ de cortice guttæ,*
*Vtúe tenax grauida manat tellure Bitumen,*
*Vtq; ſub aduentum ſpirantis lenè fauoni*
*Sole remolleſcit, quæ frigore conſtitit vnda:*
*Sic lachrimis conſumpta ſuis.* 119.b

Miſero.

## Miſero.

IIII. TRIST.

*Nec cruciêre minus, quàm cùm Thebana peremtum*
*Hectora, Theſſalico vidit ab axe rapi.* 129.a

## Caligini.

III. DE PONT.

*Vtq; reformidant inſuetum lumina Solem,*
*Sic ad læticiam mens mea ſegnis erat.*

## Limo.

IIII. DE PONT.

*Scilicet vt Limus venas excæcat in vndis,*
*Læſaq; ſuppreſſo fonte, reſiſtit aqua:*
*Pectora ſic mea ſunt Limo viciata malorum,*
*Et carmen vena pauperiorē fluit.* 193.b

Eidem. I. TRIST.

*Diuidor haud aliter, quàm ſi mea membra relinquã,*
*Et pars abrumpi corpore viſa ſuo eſt.* 94.a

## Cygno.

V. TRIST.

*Vtq; iacens ripa deflere Cayſtrius ales*
*Dicitur ore ſuam deficiente necem:*
*Sic ego Sarmaticas longè proiectus in oras*
*Efficio tacitum ne mihi funus eat.* 137.b

CADENS.

## Stellæ labenti.

II. META.

*At Phaëton rutilos flamma populante capillos,*
*Voluitur in præceps, longoq́; per aëra tractu*
*Fertur, vt interdum de cœlo Stella ſereno,*
*Etſi non cecidit, potuit cecidiſſe videri.* 20.a

## Naui vento actæ.

IBIDEM.

*ita fertur, vt acta*
*Præcipiti Pinus borea, cuiꝰ victa remiſit*
*Frena ſuos rector, quam Dijs, votiśq; reliquit.* 18.a

## Grandini.

IX. META.

*Vtq́; ferunt Imbres gelidis concreſcere ventis,*
*Inde niues fieri, niuibus quoq; mole rotatis*
*Aſtringi, & ſpiſſa glomerari grandine corpus:*
*Sic illum validis iactum per inane lacertis, &c.* 112.a

## Iuuenco.

V. META.

*Procubuit terræ mactati more iuuenci.*

## MORITVRVS.

## Vino infuſo.

I. DE PONTO.

*Et iam deficiens, ſic ad tua verba reuixi,*

*Vt ſolet infuſo vena redire Mero.* 157.a

## Lychno extincto.

IIII. TRIST.

*Cuius ab alloquijs anima hæc moribunda reuixit,*
*Vt vigil infuſa Pallade flamma ſolet.* 131.b

## Fundæ.

XIIII. META.

*corpus mortale per auras*
*Dilapſum tenues: vt latè plumbea Funda*
*Miſſa ſolet medio glans intabeſcere cælo.* 188.b

## Cancro morbo.

II. META.

*Vtq́; malum latè ſolet immedicabile Cancer*
*Serpere, & illæſas viciatis addere partes:*
*Sic lethalis hiems paulatim in pectora vênit,*
*Vitalesq́; vias, & reſpiramina clauſit.* 28.b

# AMICVS FIDVS.

## Auro.

I. TRIST.

*Scilicet vt fuluum ſpectatur in ignibus Aurum,*
*Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.* 95.b

# AMICVS INFIDVS.

## Lupo, Vulturi.

I. TRIST.

*Vtq; rapax ſtimulante fame, cupidusq; cruoris,*
*Incuſtoditum captat ouile Lupus:*
*Aut vt edax Vultur corpus circumſpicit, ecquod*
*Sub nulla poſitum cernere poßit humo:*
*Sic mea neſcio quis malè fidus, rebus acerbis,*
*In bona venturus, ſi paterere, fuit.* 96.b

## Vmbræ.

I. TRIST.

*Vtq; comes radios per ſolis euntibus Vmbra eſt,*
*Cùm latet hic preſſus nubibus, illa fugit:*
*Mobile ſic ſequitur fortunæ lumina vulgus,*
*Quæ ſimul inducta nube teguntur, abit.* 99.a

## Columbis, Formicis.

IBIDEM.

*Aſpicis vt veniant ad candida tecta Columbæ,*
*Accipiat nullas ſordida turris aues.*
*Horrea Formicæ tendunt ad inania nunquam,*
*Nullus ad amiſſas ibit amicus opes.* 99.a

# LAETVS.

## Soli.

V. META.

*Læta Deæ frons eſt: vt Sol qui tectus aquoſis*
*Nubibus antè fuit, victis è nubibus exit.* 65.b

Eidem. III. DE PONT.

*Vtq; reformidant inſuetum lumina Solem,*
*Sic ad læticiam mens mea ſegnis erat.* 187. a

# CAPTIVVS.

## Volucri.

XI. META.

*Vtq; ſuum laqueis, quos callidus abdidit auceps,*
*Crus vbi commiſit volucris, ſenſitq; teneri,*
*Plangitur, ac trepidans aſtringit vincula motu:*
*Sic quæcunq; ſolo defixa cohæſerat harum,*
*Externata fugam fruſtra tentabat.* 135. b

## Serpenti.

IIII. META.

*Vtq; Iouis præpes vacuo cùm vidit in aruo,*
*Præbentem Phœbo liuentia terga Draconem,*
*Occupat aduerſum, neu ſæua retorqueat ora,*
*Squamigeris auidos figit ceruicibus vngues:*
*Sic celeri miſſo præceps per inane volatu*
*Terga feræ preſſit, dextroq; frementis in hamo*
*Inacchidæ ferrum curuo tenus abdidit hamo.* 54. a

## Serpenti, Hederæ, Polybo.

IBIDEM.

*Nitentem contrà, elabiq; volentem*
*Implicat, vt Serpens, quam regia ſuſtinet ales,*
*Sublimemq; rapit pendens, caput illa, pedesq;*
*Alligat, & cauda ſpaciantes implicat alas:*

*Vtq́; ſolent Hederæ longos intexere truncos :*
*Vtq́; ſub arboribus deprænſum polypus hoſtem*
*Continet, ex omni demiſsis parte flagellis.* 48.a

## V I N C T V S.

### Cani , Equo.

V. TRIST.

*Vtq́; Canem pauidæ nactum veſtigia ceruæ,*
*Latrantum fruſtra copula dura tenet :*
*Vtq́; fores nondum reſerati carceris acer*
*Nunc pede, nunc ipſa fronte, laceſsit Equus :*
*Sic mea lege data vincta atq; incluſa Thalia,*
*Per titulum vetiti nominis ire cupit.* 146.a

## F A M E L I C V S.

### Mari , Igni.

VIII. META.

*Vtq́; Fretum recipit de tota flumina terra,*
*Nec ſatiatur aquis, peregrinosq́; ebibit amnes :*
*Vtq́; rapax Ignis non vnquam alimenta recuſat,*
*Innumerasq́; faces cremat , & quô copia maior*
*Eſt data, plura cupit, turbaq́; voracior ipſa eſt :*
*Sic epulas omnes Ereſichthonis ora profani*
*Accipiunt, poſcuntq́; ſimul, cibus omnis in illo*
*Cauſa cibi eſt, ſemperq́; locus ſit inanis edendo.* 107.b

## A V A R V S.

### Hydropi.

*viciјs*

V. FAST.

*vicijs ſunt alimenta vices.*
*Sic quibus intumuit ſuffuſa venter ab Vnda,*
*Quô plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.*

## OBLIVIOSVS.

### Inſenſato.

III. TRIST.

*Vtq; ſoporiferæ biberem ſi pocula Lethes,*
*Temporis aduerſi ſic mihi ſenſus abeſt.* 126.a

## INSENSATVS.

### Marmori.

XII. META.

*Plaga facit gemitus, vt corpore Marmoris icti.* 156.a

### Cauti.

XI. META.

*Quæ Pater haud aliter quàm Cautes marmora Ponti*
*Accipit.* 140.a

### Saxo.

XIII. META.

*duroq; ſimillima Saxo*
*Torpet.* 167.b

## IMPATIENS.

### Iuuenco, Equo.

*Non*

IIII. TRIST.

*Non quæſita tamen ſpacio patientia longo eſt,*
*Menſq́; mali ſenſum noſtra recentis habet:*
*Scilicet & veteres fugiunt iuga ſæpe Iuuenci,*
*Et domitus freno, ſæpe repugnat Equus.*

Eidem. V. TRIST.

*Fert tamen, vt debet, caſus patienter amaros,*
*More nec indomiti frena recuſat equi.* 141.b

## MILES.

### Apro.

II. FAST.

*Sicut Aper longè ſiluis latratibus actus,*
*Fulmineo celeres diſsipat enſe canes,*
*Mox tamen ipſe perit: ſic non moriuntur inulti,*
*Vulneraq́; alterna dantq́; feruntq́; manu.* 18.a

### Torrenti.

IBIDEM.

*Ecce velut torrens vndis pluuialibus auctus,*
*Aut niue, quæ Zephyro victa tepente fluit.*
*Per ſata, perq́; vias fertur, nec, vt antè ſolebat,*
*Riparum clauſas margine finit aquas:*
*Sic Fabij vallem latis diſcurſibus implent,*
*Quodq́; vident ſternunt, nec metus alter ineſt.* 17.b

### Tempeſtati.

XI. META.

*Vt miles numero præſtantior omni,*

Cùm

*Cùm ſæpe aßilijt defenſa mœnibus vrbis,*
*Spe potitur tandem, laudisq; accenſus amore,*
*Inter mille viros murum tamen occupat vnus:*
*Sic vbi pulſarunt celſi latera ardua Fluctus,*
*Vaſtius inſurgens decimæ ruit impetus vndæ:*
*Nec prius abſiſtit feſſam oppugnare carinam,*
*Quàm velut in captæ deſcendat mœnia nauis.* 143. a

## STVDIOSVS.

### Gladiatori, Naufrago, Militi.

II. DE PONT.

*Saucius eiurat pugnans gladiator, & idem*
*Immemor antiqui vulneris arma capit.*
*Nil ſibi cum pelagi dicit fore naufragus vndis,*
*Et ducit remos, qua modò nauit aqua:*
*Sic ego conſtanter ſtudium non vtile ſeruo,*
*Et repeto.* 160. a

## CORPVS PVLCHRVM.

### Alijs pulchris.

I. AMOR.

*Qualis ab Europa Phrygijs aduecta carinis,*
*Coniugibus belli cauſa duobus erat:*
*Qualis erat Lede, quam plumis abditus albis,*
*Callidus in falſa luſit adulter aue:*
*Qualis Amymone ſiccis errauit in agris,*
*Cùm premeret ſummi verticis vrna comas:*
*Talis erat.* 78. a

Soli.

## Soli.

XIIII. META.

*taliſq́ apparuit illi,*
*Qualis vbi oppoſitas nitidiſſima Solis imago*
*Euicit nubes, nullaq́ obſtante reluxit.* 186.b

## Auroræ.

VI. META.

*ſubituſq́ inuita notauit*
*Ora rubor, rurſuſq́ euanuit: vt ſolet aër*
*Purpureus fieri, cùm primùm Aurora mouetur,*
*Et breue poſt tempus candeſcere ſolis ab ictu.* 67.b

## Violis, Papaueri, Lilijs.

X. META.

*Vt ſi quis violas, riguoq́ Papauera in horto,*
*Liliaq́ infringat fuluis hærentia virgis,*
*Marcida demittant ſubitò caput illa grauatum,*
*Nec ſe ſuſtineant, ſpectentq́ cacumine terram:*
*Sic vultus moriens iacet.* 125.a

## Pomo, Ebori, Lunæ.

IIII. META.

*pueri rubor ora notauit:*
*Hic color aprica pendentibus arbore Pomis,*
*Aut Ebori tincto eſt: aut ſub candore rubenti,*
*Cùm fruſtrà reſonant æra auxiliaria, Lunæ.*

## Pomo, Vuæ.

*Pectora*

III. META.

*Pectora traxerunt tenuem percuſſa ruborem,*
*Non aliter, quàm Poma ſolent, quæ candida parte,*
*Parte rubent: aut vt varijs ſolet vua racemis*
*Ducere purpureum nondum matura colorem.* 37. b

## Niuibus, Lacti.

IN PARIDE.

*Pectora vel puris Niuibus, vel Lacte, tuamq́;*
*Complexo matrem candidiora Ioue.* 42. b

## Marmori, Glaciei.

IBIDEM.

*Candida nec miſto ſublucent ora rubore,*
*Forma noui talis Marmoris eſſe ſolet,*
*Argenti color eſt inter conuiuia talis,*
*Quod tactum gelidæ frigore pallet aquæ.* 64. a

## Serpenti nitido.

IX. META.

*Vtq́; nouus Serpens, poſita cùm pelle ſenecta,*
*Luxuriare ſolet, ſquamaq́; nitere recenti:*
*Sic vbi mortales Tirynthius exuit artus,*
*Parte ſui meliore viget.* 113. a

## Amarantis, Lilijs, Pomis.

TIBVL. III.

*Vt iuueni primùm virgo deducta marito,*
*Inficitur teneras ore rubente genas,*
*Vt cùm contexunt Amarantis alba puellæ*

*Lilia,*

*Lilia, & autumno candida mala rubent.* 66.b

## Alijs pulchris.

PROPERT. II.

*Non ſic Leucippis ſuccendit Caſtora Phœbe,*
*Pollucem cultu non Elaïra ſoror,*
*Non Idæ, & cupido quondam diſcordia Phœbo,*
*Eueni patrijs filia littoribus.*
*Nec Phrygium falſo traxit candore maritum,*
*Auecta externis Hippodamia rotis.* 80.a

Eiſdem. IBIDEM.

*Qualis Theſea iacuit cedente carina,*
*Languida deſertis Gnoßia littoribus.*
*Qualis & accubuit primo Cepheïa ſomno,*
*Libera iam duris cautibus Andromede.*
*Nec minus aßiduis Edonis feſſa choreis,*
*Qualis in herboſo concidit Apidano:*
*Talis viſa mihi mollem ſpirare quietem*
*Cynthia, non certis nixa caput manibus.* 80.b

## Picturæ.

OVID. X. META.

*Laudaret faciem liuor quoq; : qualia nanq;*
*Corpora nudorum tabula pinguntur Amorum*
*Talis erat.* 130.b

Eidem. PROPERT. II.

*Sed facies aderat, nullis obnoxia gemmis,*
*Qualis Apelleis eſt color in Tabulis.* 80 a

## Velo.

Inq

X. META.

*Inq́; puellari corpus candore ruborem*
*Traxerat: haud aliter, quàm cùm ſuper atria Velum*
*Candida purpureum, ſimilem dat, & inficit vmbram.*
*(131.b*

## CRVRA.

### Alijs pulchris.

III. AMOR.

*Talia pinguntur ſuccincta Crura Dianæ,*
*Cùm ſequitur fortes fortior ipſa feras:*
*Talia Meilanion Atalantæ crura fugacis*
*Optauit.* 99.a

IN HERONE.

*Et Thedidis quales vix reor eſſe pedes.* 57.a

## CORPVS AFFECTVM.

### Marmori.

I. AMOR.

*Albo & ſine ſanguine vultu,*
*Cæduntur Parijs qualia Saxa iugis.* 74.b

### Pomo.

IN CYDIPPE.

*color eſt in ſanguine, qualem*
*In Pomo, refero mente, fuiſſe tuo.* 64.b

### Frondibus.

VI. FAST.

V color

*color oris erat, qui Frondibus olim*
*Eſſe ſolet ſeris, quas noua læſit hiems.* 74.a

## Pallori.

II. META.

*Vt pallent amiſſo ſanguine venæ.*

## PVDOR.

## Auroræ, Lunæ.

II. AMOR.

*Conſcia purpureus venit in ora pudor.*
*Quale coloratum Tithoni coniuge cœlum,*
*Subrubet, aut ſponſo viſa puella nouo:*
*Quale Roſæ fulgent inter ſua lilia mixtæ,*
*Aut vbi cantatis Luna laborat equis,*
*Aut quod ne longis flaueſcere poßit ab annis,*
*Mæonis Aſſyrium fœmina tinxit Ebur.*

## PALLOR.

## Frondibus, Buxo, Ceræ.

Vide ſuprà 123.

## LACHRIMAE.

## Niui.

I. AMOR.

*Suſpenſæq́ diu lachrimæ fluxêre per ora,*
*Qualiter abiecta de Niue manet aqua.* 35.b

IN

IN LAOD.

*More niuis lachrimæ ſole madentis eunt.*

## Flumini.

IN HERMIO.

*Perq́ſinus lachrimæ fluminis inſtar eunt.*

## Fonti.

II. FAST.

*Fluunt lachrimæ more perennis aquæ.* 27.b

# OCVLI.

## Soli.

IIII. META.

*flagrant quoq; lumina nymphæ*
*Non aliter, quàm cum puro nitidiſſimus orbe,*
*Oppoſita ſpeculi referitur imagine Phœbus.* 47.b

Eidem. II. DE ARTE.

*Aſpicies oculos tremulo fulgore micantes,*
*Vt Sol in liquida ſæpe refulget aqua.* 133.a

## Sideri.

I. AMOR.

*radiant, vt ſidus, ocelli.* 100.a

## Homini oculato.

PROPERT. II.

*Sed ſic intentis hærebam fixus ocellis*
*Argus vt ignotis cornibus Inachidos.* 80.b

## CEREBRVM.

### Lacti.

XII. META.

*Perq́ꝫ cauas nares, oculosq́ꝫ auresq́ꝫ cerebrum*
*Molle fluit: veluti concretum vimine querno*
*Lac ſolet, vtúe liquor rari ſub pondere cribri*
*Manat, et exprimitur per denſa foramina ſucc⁹. 155 a*

## FREQVENTIA.

### Formicis, Apibus.

I. DE ARTE.

*Vt redit itáq́ꝫ frequens longum Formica per agmen,*
*Granifero ſolitum dum vehit ore cibum:*
*Aut vt Apes ſaltusq́ꝫ ſuos, & olentia nactæ*
*Paſcua, per flores & thyma ſumma volant:*
*Sic ruit in celebres cultiſsima fœmina ludos. 114.b*

### Gregibus.

II. FAST.

*Non aliter, quàm cùm Libyca de rupe leones,*
*Inuadunt ſparſos lata per arua Greges.*
*Diffugiunt hoſtes, inhoneſtaq́ꝫ vulnera tergo*
*Accipiunt. 17.b*

### Vomeri, Viæ.

IBIDEM.

*Nec magis aſsiduo vomer tenuatur ab vſu,*
*Nec magis eſt curuis Appia trita rotis,*

*Pectora*

*Pectora quàm mea ſunt ſerie calcata malorum.* 147.b

## MVRMVR POPVLI.

### Vento, Aequori.

XV. META.

*Qualia ſuccinctis, vbi trux inſibilat Eurus,*
*Murmura pinetis fiunt: aut qualia fluctus*
*Aequorei faciunt, ſi quis procul audiat illos:*
*Tale ſonat populus.* 199.b

### Tonitru.

XII. META.

*murmura vocis*
*Qualia de pelagi, ſi quis procul audiat, vndis*
*Eſſe ſolent: qualemúe ſonum, cùm Iuppiter atras*
*Increpuit nubes, extrema Tonitrua reddunt.* 148.b

## TVMVLTVS.

### Freto.

V. META.

*Inq; repentinos conuiuia verſa tumultus*
*Aſſimulare Freto poſſis, quod ſæua quietum*
*Ventorum rabies motis exaſperat vndis.* 55.b

### Terræmotui.

XII. META.

*Veluti quam cernimus (ecce)*
*Ardua ſi terræ quatiatur motibus Ide.* 156.b

### Populo.

I. META.

*Confremuêre omnes, ſtudijſq; ardentibus auſum*
*Talia depoſcunt. Sic, cùm manus impia ſæuit*
*Sanguine Cæſareo Romanum extinguere nomen,*
*Attonitum ſubitæ tanto terrore ruinæ*
*Humanum genus eſt, totuſq; perhorruit orbis.* 5.a

## ICTVS.

### Grandini.

XII. META.

*Non ſecus hæc reſilit, quàm tecti à culmine grando,*
*Aut ſi quis paruo feriat caua tympana ſaxo.* 155.b

### Tormento.

XIIII. META.

*Vidi iterum, veluti Tormenti viribus acta,*
*Vaſta Giganteo iaculantem ſaxa lacerto.* 177.b

Eidem. IX. META.

*Iactat in Euboicas tormento fortius vndas.* 12.a

## VVLNVS.

### Tubo rupto.

IIII. META.

*cruor emicat altè,*
*Non aliter, quàm cùm viciato fiſtula plumbo*
*Scinditur, & tenui ſtridente foramine, longas*
*Eiacula-*

*Eiaculatur aquas, atq; ictibus aëra rumpit.* 44. a

## Candenti ferro.

XII. META.

*& vulnere ſanguis inuſtus*
*Terribilem ſtridore ſonum dedit: vt dare ſerrum*
*Igne rubens, plerunq; ſolet, quod forcipe curua*
*Cùm faber eduxit, lacubus demittit: at illud,*
*Stridet, & in tepida ſubuerſum ſibilat vnda.* 152. b

Eidem. IX. META.

*Ipſe cruor gelido, ceu quondam Lamina candens*
*Tincta lacu ſtridet.* 111. b

# VVLNERATVS.

## Tauro.

VIII. META.

*Cuius vt in trunco fecit manus impia vulnus,*
*Haud aliter fluxit diſcuſſo cortice ſanguis:*
*Quàm ſolet, ante aras ingens vbi victima Taurus*
*Concidit, abrupta cruor è ceruice profundi.* 106. b

## Apro.

IIII. META.

*Vulnere læſa graui: modò ſe ſublimis in auras*
*Attollit, modò ſubdit aquis, modò more ferocis*
*Verſat Apri, quē turba canū circumſona terret.* 54. a

## Tauro.

XII. META.

*Lampadibus denſum rapuit funale coruſcis,*
*Elatumq́ alte: veluti qui candida Tauri*
*Rumpere ſacrifica molitur colla ſecuri,*
*Illiſit fronti.* 150.a

## Serpenti.

VI. META.

*radix micat vltima linguæ,*
*Ipſa iacet, terræq́ tremens immurmurat atræ:*
*Vtq́ ſalire ſolet mutilatæ cauda Colubræ,*
*Palpitat.* 76.a

## E Q V E S.

## Gubernatori.

VI. META.

*Frena dabat Sipylus, veluti cùm præſcius imbres*
*Nube fugit viſa, pendentiaq́ vndiq; Rector*
*Carbaſa deducit, nequâ leuis effluat aura.*

## Aurigæ.

I. TRIST.

*Vtq́ parum validus non proficientia Rector,*
*Ceruicis rigidæ frena remittit equo:*
*Sic non quò voluit, ſed quò rapit impetus vndæ,*
*Aurigam video vela dediſſe rati.* 95.a

## M A T E R.

## Vitulo.

IIII. FAST.

*Vt Vitu-*

*Vt Vitulo mugit ſua mater ab vbere rapto,*
*Et quærit fœtus per nemus omne ſuos:*
*Sic Dea non retinet gemitus.* 51.a

## POETA.

### Cygno.

V. TRIST.

*Vtq́; iacens ripa, deflere Cayſtrius ales*
*Dicitur ore ſuam deficiente necem:*
*Sic ego Sarmaticas longè proiectus in oras,*
*Efficio tacitum ne mihi funus eat.* 137.b

### Apollini.

PROPERT. II.

*Tale facis carmen docto teſtudine, quale*
*Cynthius impoſitis temperat articulis.* 114.a

## CVRRVS.

### Naui.

II. META.

*Vtq́; labant curuæ iuſto ſine pondere naues,*
*Perq́; mare inſtabiles nimia leuitate feruntur:*
*Sic onere inſuetæ vacuos dat in aëre ſaltus,*
*Succutiturq́; altè, ſimilisq́; eſt Currus inani.*

## NAVIS.

### Piſci.

IIII. META.

*Ecce velut nauis præfixo concita roſtro*
*Sulcat aquas, iuuenum ſudantibus acta lacertis:*
*Sic fera dimotis impulſu pectoris vndis.* 53.b

## TEMPESTAS.

### Leonibus.

XI. META.

*Vtq́ ſolent ſumptis in curſu viribus, ire*
*Pectora in arma feri protentaq́ tela leones:*
*Sic vbi ſe ventis commiſerat vnda coortis,*
*Ibat in arma ratis, multoq́ erat altior illis.* 143.a

### Montibus cadentibus.

IBIDEM.

*Nec leuius, quàm ſi quis Athon Pindumq́ reuulſos*
*Sede ſua, totos in apertum verteret æquor:*
*Præcipitata cadit.* 143.b

## SQALOR.

### Solis deliquio.

II. META.

*Squalidus interea genitor Phaëthontis, & expers*
*Ipſe ſui decoris: qualis cùm deficit orbi*
*Eſſe ſolet, lucemq́ odit, ſeq́ ipſe diemq́.* 21.b

## AEQVOR.

### Nauali.

XIII. META.

*ſtetit*

*ſtetit æquore puppis*
*Haud aliter, quàm ſi ſiccum Nauale teneret.* 40. b

## RIVVS.

### Aequori.

V. TRIST.

*vt in mare flumina vaſtum,*
*Sic ſolet exiguæ currere Riuus aquæ.* 147. a

## INFERI.

### Mari.

IIII. MET.

*vtq́ Fretum de tota flumina terra,*
*Sic omnes animas locus accipit ille.* 49. b

## RES GESTAE.

### Soli.

II. TRIST.

*Vtq́ trahunt oculos radiantia lumina Solis,*
*Traxiſſent animum ſic tua facta meum.* 107. a

## TEMPVS.

### Flumini.

XV. META.

*Ipſa quoq; aßiduo labuntur tempora motu,*
*Non ſecus ac Flumen, neq; enim conſiſtere flumen,*
*Nec leuis hora poteſt: ſed vt vnda impellitur vnda,*

*Vrge-*

*Vrgeturq́ꝫ prior veniente, vrgetq́ꝫ priorem:*
*Tempora ſic fugiunt pariter, pariterq́ꝫ ſequuntur.*
(192.a

## AMPLEXVS.

### Vlmo.

IN OENONE.

*Non ſic appoſitis vincitur vitibus Vlmus,*
*Vt tua ſunt collo brachia nexa meo.* 12.a

## LIBRI.

### Natis.

I. TRIST.

*Vtq́ꝫ cremaſſe ſuum fertur ſub ſtipite natum*
*Theſtias, & melior matre fuiſſe ſoror.*
*Sic ego non meritos mecum peritura libellos*
*Impoſui rapidis viſcera noſtra rogis.* 97.b

## ADVERSA.

### Ventis.

I. TRIST.

*Ac veluti ventis agitantibus æquora, non eſt*
*Aequalis rabies, continuusq́ꝫ furor:*
*Sed modò ſubſidunt, intermiſsiq́ꝫ ſileſcunt,*
*Vimq́ꝫ putes illos depoſuiſſe ſuam:*
*Sic abeunt, redeuntq́ꝫ mei variantq́ꝫ timores,*
*Et ſpem placandi dantq́ꝫ, negantq́ꝫ tui.* 104.a

## OTIVM.

Aquis.

## Aquis.

I. DE PONTO.

*Ceruis vt ignauum corrumpant otia corpus?*
*Vt capiant vitium, ni moueantur aquæ?*
*Sic mihi, ſi quis erat dictandi carminis vſus,*
*Deficit, eſtq; minor ſactus inerte ſitu.* 159.b

Eiſdem. IBIDEM.

*Quæ nunquam vacuo ſolita eſt ceſſare nouali:*
*Fructibus aßiduis laſſa ſeneſcit humus:*
*Occidet, ad circi ſi quis certamina ſemper*
*Non intermißis curſibus ibit equus:*
*Firma ſit illa licet, ſoluetur in æquore nauis,*
*Quæ nunquam liquidis ſicca carebit aquis:*
*Me quoq; debilitat ſeries immenſa laborum.* 158.b

## CONSOLATIO.

## Medicinæ.

I. DE PONT.

*Vtq; Machaonijs Pæantius artibus heros,*
*Lenito medicam vulnere ſenſit opem:*
*Sic ego mente iacens, & acerbo ſaucius ictu,*
*Admonitu cœpi fortior eſſe tuo.* 157.a

## CVRA.

## Ceræ liquidæ.

I. DE PON.

*Sic mea perpetuis liqueſiunt pectora curis,*

*Ignibus*

*Ignibus admotis vt noua cera liquet.* 155.a

## Vermi, Rubigeni, Tineæ.

I. DE PON.

*Eſtur vt occulta vitiata teredine nauis,*
*Aequoreos ſcopulos vt cauat vnda ſalis:*
*Roditur vt ſcabra poſitum rubigine ferrum,*
*Conditus vt tineæ carpitur ore liber:*
*Sic mea perpetuos curarum pectora morſus,*
*Fine quibus nullo conficiantur, habent.* 154.a

## Equo contumaci.

III. DE PONT.

*Sic animum lento curarum frigore lædit,*
*Vt cupidi curſus frena retentat equi.*

## Pœnæ.

I. DE PON.

*Viuimus, vt nunquam ſenſu careamus amaro,*
*Et grauior longa ſit mea pœna mora:*
*Sic inconſumptum Tityi, ſemperq́ renaſcens*
*Non perit, vt poßit ſæpe perire, iecur.* 155.a

## Morbo.

IBIDEM.

*Afferat ipſe licet ſacras Epidaurius herbas:*
*Sanabit nulla vulnera cordis ope:*
*Tollere nodoſam neſcit medicina podagram,*
*Nec formidatis auxiliatur aquis:*

*Cura quoq; interdum nulla eſt medicabilis arte,*
*Et ſi ſit, longa eſt extenuanda mora.* 157. b

## GENERATIO.

### Aulæis.

III. META.

*de ſulcis acies comparuit haſtæ,*
*Tegmina mox capitum, picto nutantia cono,*
*Mox humeri pectusq; oneratáq; brachia telis*
*Exiſtunt, creſcitq; ſeges clypeata virorum:*
*Sic vbi tolluntur feſtis Aulæa theatris,*
*Surgere ſigna ſolent, primosq; oſtendere vultus,*
*Cætera paulatim, placidoq; educta tenore,*
*Tota patent.* 31. b

### Animantibus terreſtribus.

I. META.

*Cætera diuerſis tellus animalia formis*
*Sponte ſua peperit.*
*Sic vbi deſeruit madidos ſeptemfluus agros,*
*Nilus, & antiquo ſua flumina reddidit alueo,*
*Aethereoq; recens exarſit ſidere limus,*
*Plurima cultores verſis animalia glebis*
*Inueniunt: & in his quædam modò nata, ſub ipſum*
*Naſcendi ſpacium: quædam imperfecta, ſuisq;*
*Trunca vident humeris, & eodem in corpore ſæpe*
*Altera pars viuit, rudis eſt pars altera tellus.* 9. a

## SEMINA.

Embryo-

## Embryoni.

V I I. M E T A.

*Vtq́ hominis ſpeciem materna ſumit ab aluo,*
*Perq́ ſuos intus numeros componitur infans,*
*Nec niſi maturus communes exit in auras:*
*Sic vbi viſceribus grauidæ telluris imago*
*Effecta eſt hominis, fœto conſurgit in aruo.* 81.a

# T E X T V R A.

## Iridi.

V I. M E T A.

*tenues parui diſcriminis vmbræ:*
*Qualis ab imbre ſolet percuſſus ſolibus arcus*
*Inficere ingenti longum curuamine cœlum:*
*In quo diuerſi niteant cùm mille colores,*
*Tranſitus ipſe tamen ſpectantia lumina fallit.* 68.a

## Telis Araneæ.

I. A M O R.

*Quid? quòd erant tenues, & quo ornare timeres,*
*Vela colorati qualia Seres habent:*
*Vel pede quod gracili deducit aranea filum,*
*Cùm leue deſerta ſub trabe figit opus.* 81.a

Eiſdem. I I I I. M E T A.

*non illud opus tenuiſſima vincant*
*Stamina, non ſummo quæ pendet Aranea tigno.*

# AE Q V A L I T A S.

Lanci.

## Lanci.

TIBVL. IIII.

*Iuſta pari premitur veluti cùm pondere libra,*
*Prona nec hac plus parte ſedet, nec ſurgit ab illa.* 70.a

# INAEQVALITAS.

## Iugo.

OVID. DE IAN.

*Quàm malè inæquales veniunt ad aratra iuuenci,*
*Tam premitur magno coniuge nupta minor.*

# HOMO.

## Folijs.

PROPERT. II.

*At veluti folia arentes liquere corollas,*
*Quæ paßim calathis ſtrata natare vides:*
*Sic nobis, qui nunc magnûm ſperamus amantes,*
*Forſitan includet craſtina fata dies.* 100.b

# TRANQVILLITAS.

## Lapſui.

PROPERT. III.

*Ac veluti magnos cùm ponunt æquora motus,*
*Eurus in aduerſos deſinit ire Notos:*
*Littore ſic tacito ſonitu rareſcit arena,*
*Sic cadit inflexo lapſa puella gelu.* 126.a

## INCONSTANTIA.

### Ventis, Folijs.

PROPERT. II.

*Non ſic incerto mutantur flamine Syrtes,*
*Nec folia hiberno tam tremefacta Noto:*
*Quàm citò fœminea non conſtat fœdus in ira.* 97. a

### Vndis, Nubi.

IBIDEM.

*Non ita Carpathiæ variant aquilonibus Vndæ,*
*Nec dubio Nubes vertitur atra Noto:*
*Quàm facilè irati verbo mutantur amantes.* 94. b

## ALA.

### Fiſtulæ, Cliuo.

VIII. META.

*ponit in ordine pennas*
*À minima cœptas, longam breuiore ſequente*
*Fiſtula diſparibus paulatim ſurgit auenis.* 96. b

## VNDA.

### Baliſtæ.

I. TRIST.

*Nec leuius laterum tabulæ feriuntur ab vndis,*
*Quàm graue Baliſtæ mœnia pulſat onus.* 92. a

## TVMVLVS.

Veſicæ,

## Veſicæ, Pelli caprinæ.

XV. META.

*Extentam tumefecit humum, ceu ſpiritus oris*
*Tendere veſicam ſolet, aut direpta bicornis*
*Terga capri.* 194.a

## XL.

# COMPARATIONES.

## Multitudinis.

V. TRIST.

*Quot frutices ſiluæ, quot flauas Tibris arenas,*
*Mollia quot Martis gramina campus habet:*
*Tot mala pertulimus.* 137.b

IBIDEM.

*Littora quot conchas, quot amœna roſaria flores,*
*Quotúe ſoporiferum grana papauer habet,*
*Silua feras quot alit, quot piſcibus vnda natatur,*
*Et tenerum pennis aëra pulſat auis:*
*Tot premor aduerſis.* 139.a

IIII. DE PONT.

*Tempora nam miſeræ complectar vt omnia vitæ,*
*À meritis eius pars mihi nulla vacat,*
*Quæ numero tot ſunt: quot in horto fertilis arui*
*Punica ſub lento cortice grana rubent,*
*Africa quot ſegetes, quot Tmolia terra racemos,*
*Quot Sicyon baccas, quot parit Hybla fauos.* 207.a

I. DE ARTE.

*Gargara quot ſegetes, quot habet Methymna race-(mos,*

*Aequore quot piſces, fronde teguntur aues,*
*Quot cœlũ ſtellas, tot habet tua Roma puellas. 114.a*

II. DE ARTE.

*Quot lepores in Atho, quot apes paſcuntur in Hybla,*
*Cærula quot baccas Palladis arbor habet.*
*Littore quot conchæ: tot ſunt in amore dolores. 134.b*

XI. META.

*quot meßis ariſtas,*
*Silua gerit frondes, eiectas littus harenas. 144.b*

III. DE ARTE.

*Sed neq; ramoſa numerabis in ilice frondes,*
*Nec quot apes Hybla, nec quot in Alpe feræ:*
*Nec mihi tot cultus numero cõprendere fas eſt. 141.a*

IN IBIN.

*Nam neq; quot flores Sicula naſcuntur in Hybla,*
*Quotúe ferat dicam terra Ciliſſa crocos:*
*Nec cùm triſtis hiems aquilonis inhorruit alis,*
*Quàm multa fiat grandine canus Athos:*
*Nec mala voce mea poterunt tua cuncta referri,*
*Ora licet tribuas multiplicata mihi:*
*Tot tibi væ miſero veniant, talesq́; ruinæ:*
*Vt cogi in lacrimas me quoq; poſſe putem. 212.a*

I. TRIST.

*Tot mala ſum paſſus, quot in æthere ſidera lucent,*
*Paruaq́; quot ſiccus corpora puluis habet. 96.a*

V. TRIST.

*Quàm multa madidæ cælantur arundine foſſæ,*
*Florida quàm multas Hybla tuetur apes:*
*Quàm multæ gracili terrena ſub horrea ferre*

*Limite*

*Limite formicæ grana reperta ſolent:*
*Tam me circumſtat denſorũ turba malorũ.* 143.b

IIII. TRIST.

*Meq́ tot aduerſis cumulat, quot littus arenas,*
*Quotq́ fretum piſces, ouaq́ piſcis habet.*

## Stellarum.

IIII. TRIST.

*Totq́ tuli pœnas terra pelagoq́, quot inter*
*Occultum ſtellæ, conſpicuumq́ polum.* 136.b

## Colorum.

IIII. FAST.

*Tot fuerant illis, quot habet natura, colorum,*
*Pictaq́ diſsimili flore nitebat humus.* 50. b

## Fluctuum.

XI. META.

*totidemq́ videntur,* (143.b
*Quot veniunt fluctus, ruere atq́ irrumpere montes.*

## Dierum.

II. FAST.

*Non tamen hoc vltrà, quàm quot de menſe ſuperſunt*
*Luciferi, quot habent carmina noſtra pedes.* 23.b

V. FAST.

*Tot reſtant de menſe dies, quot nomina Parcis.* 85. a

## Annorum.

V. TRIST.

 At mihi

*At mihi iam videor patria procul eſſe, tot annis*
*Dardana quot Graio Troia ſub hoſte fuit.* 146.b

I. FAST.

*Quod ſatis eſt, vtero matris dum prodeat infans,*
*Hoc anno ſtatuit temporis eſſe ſatis.* 1.b

## Perſonæ.

II. DE ARTE.

*Tot licet obſeruent (modò ſit tibi grata voluptas)*
*Quot fuerant Argo lumina, verba dabis.* 148.b

I. AMOR.

*Quiq; tot errando, quot bello, perdidit annos.* 83.a

## Animalium.

V. META.

*non illo plura Cayſter*
*Carmina cygnorum labentibus audit in vndis.* 62.a

## Telorum.

IBIDEM.

*Tela volant hiberna grandine plura.* 58.a

IIII. DE PONT.

*Saxaq; brumali grandine plura, ſubis.* 198.b

DE NVCE.

*Saxa nouos fractus grandine plura petunt.* 170.b

PROPERT. II.

*Non tot Achæmenijs armantur Suſa ſagittis,*
*Spicula quot noſtro pectore fixit amor.* 98.b

IBIDEM.

Non

*Non ita complerant Ephyrææ Laïdos ædes,*
*Ad cuius iacuit Græcia tota fores:*
*Turba Menandreæ fuerat nec Thaïdos olim*
*Tanta, in qua populus luſit Erichthonius,*
*Nec quæ deletas potuit componere Thebas*
*Phryne, tam multis facta beata viris.* 94. b

IBIDEM.

*Non ita Dardanio gauiſus Atrida triumpho*
*Cùm caderent magnæ Laomedontis opes:*
*Nec ſic errore exacto lætatus Vlyſſes,*
*Cùm tetigit caræ littora Dulichiæ:*
*Nec ſic Electra ſaluum cùm aſpexit Oreſten,*
*Cuius falſa tenens fleuerat oſſa ſoror:*
*Nec ſic incolumem Minois Theſea vidit,*
*Dædaleum lino cùm duce rexit iter:*
*Quanta ego præterita collegi gaudia nocte.*

## MAGNITVDINIS Amoris.

II. DE ARTE.

*Quantus apud Danaos Podalirius arte medendi,*
*Aeacides dextra, pectore Neſtor erat:*
*Quantus erat Calchas extis, Telamonius armis,*
*Automedon curru: tantus amator ego.*

IIII. DE PONTO.

*Quàm tua Trinacria eſt, regnataq́ terra Philippo,*
*Quàm domus Auguſto continuata Foro,*
*Quàm tua rus oculis domini Campania gratum,*
*Tam tuus en ego ſum.* 207. a

I. TRIST.

*Nec tantùm Clario Lyde eſt dilecta poëta,*
*Nec tantùm Coo Battis amata ſuo eſt:*
*Pectoribus quantum tu noſtris vxor inhæres.* 96.b

I. DE PONTO.

*Adde, quòd eſt frater tanto mihi iunctus amore,*
*Quantus in Atridis Tyndaridisq́ fuit.* 162.b

II. DE PONTO.

*Deniq; tantus amor nobis chariſſime ſemper,*
*Quantus in Aeacidæ Actorideq́ fuit.*

## Formæ.

II. META.

*Quantò ſplendidior quàm cætera ſidera fulget*
*Lucifer, & quantô quàm Lucifer aurea Phœbe:*
*Tantò virginibus præſtantior omnibus Herſe.* 27.a

IN LEANDRO.

*Quantùm, cùm radijs fulges argentea puris,*
*Concedunt flammis ſidera cuncta tuis:*
*Tantò formoſis formoſior omnibus illa eſt.* 50.a

## Staturæ.

III. META.

*tantoq́ eſt corpore, quantò*
*Si totum ſpectes, geminas qui ſeparat Arctos.* 30.b

## Virium.

XIII. META.

*quantumq́ ego Marte feroci*

*Inq;*

*Inq́ acie valeo, tantùm valet iſte loquendo.* 158.a

## Spacij.

II. FAST.

*nec longius abſuit inde,*
*Quàm quantùm nouies mittere funda poteſt.* 38.a

III. META.

*Tantùm aberat ſcopulis, quantùm Balearica torto*
*Funda poteſt plumbo medij tranſmittere cœli.* 54.a

VIII. META.

*Tantùm aberant ſummo, quantùm ſemel ire ſagitta*
*Miſſa poteſt.* 105.a

PROPERT. I.

*Tam multa illa meo diuiſa eſt millia lecto,*
*Quantùm Hypanis Veneto diſsidet Eridano.* 85.b

## Stuporis.

IN ARIADNE.

*Quamq́ lapis ſedes, tam lapis ipſa fui.*

## Qualitatis.

IIII. FAST.

*Nec venti tantùm Cereri nocuêre, nec imbres,*
*Nec ſic marmoreo pallet aduſta gelu:*
*Quantùm ſi culmos Titan incalfacit vdos.* 58.b

## Ingenij.

XIII. MET.

*quantoq́ ratem qui temperat, anteit*

*Remigis officium, quantò eſt dux milite maior:*
*Tantò ego te ſupero.* 164.b

## Caritatis.

TIBVL. I.

*Tantùm cara tibi, quantùm nec filia matri,*
*Quantùm nec cupidò bella puella viro.* 67.a

## Ocij.

I. DE REMED.

*Quàm platanus riuo gaudet, quàm populus vnda,*
*Et quàm limoſa canna paluſtris humo.*
*Tam Venus ocia amat.* 209.b

# XLI.
# COLLATIONES.
## Perſonarum.

OVID. I. TRIST.

*Sæpe premente Deo, fert Deus alter opem.*
*Mulciber in Troiam, pro Troia ſtabat Apollo,*
*Aequa Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.*
*Oderat Aeneam, propior Saturnia Turno,*
*Ille tamen Veneris numine tutus erat.*
*Sæpe ferox cautum petijt Neptunus Vlyſſem,*
*Eripuit patruo ſæpe Minerua ſuo.* 91.a

IBIDEM.

*Sic doluit Priamus, tunc cum in contraria verſus*
*Vltores habuit proditionis equos.* 94.a

V. TRIST.

*Scilicet*

*Scilicet vt per vim non eſt ſuperabilis vlli:*
*Molle cor ad timidas ſic habet ille preces.* 145. b

IBIDEM.

*Vtq; dedit iuſtas tauri fabricator aheni,*
*Sic ego do pœnas artibus ipſe meis.* 148. b

IIII. DE PONT.

*Tam mala Therſiten prohibebat forma latere,*
*Quàm pulchra Nireus conſpiciendus erat.* 205. a

XIII. META.

*quantoq́; ratem qui temperat, anteit*
*Remigis officium, quantò dux milite maior:*
*Tantùm ego te ſupero.* 164. b

XV. META.

*Sic magnis cedit titulis Agamemnonis Atreus,*
*Aegea ſic Theſeus, ſic Pelea vincit Achilles.* 203. a

II. DE PONTO.

*Ruſticus agricolam, miles fera bella gerentem,*
*Rectorem dubiæ nauita puppis amat:*
*Tu quoq; Pieridum ſtudio ſtudioſe teneris,*
*Ingenioq́; faues ingenioſe meo.*

PROPERT. II.

*Hic equidem Phœbo viſus mihi pulchrior ipſo,*
*Marmoreus tacita carmen hiare lyra.* 111. a

## Caesar Ioui.

II. TRIST.

*Vtq; deos, cœlumq; ſimul ſublime tuenti,*
*Non vacat exiguis rebus adeſſe Ioui:*
*Ex te pendentem ſic dum circumſpicis orbem,*

*Effugi-*

*Effugiunt curas inferiora tuas.* 105. b

## MATRI Filia.

IIII. META.

*ſed poſtquam filia creuit,*
*Quàm mater cunctas, tam matrem filia vicit.* 45. b.

## ARTIFEX Artifici.

II. TRIST.

*Vtq; ſuo Martem cecinit grauis Ennius ore,*
*Ennius ingenio maximus, arte rudis.*
*Explicat vt cauſas rapidi Lucretius ignis,*
*Cauſarumq; triplex vaticinatur opus:*
*Sic ſua laſciuo cantata eſt ſæpe Catullo*
*Fœmina: cui falſum Lesbia nomen erat.* 109. a

IIII. DE PONT.

*Vt Venus artificis labor eſt & gloria Coi,*
*Aequoreo madidas quæ premit imbre comas:*
*Arcis vt Arctææ vel eburna, vel ærea cuſtos*
*Bellica, Phidiaca ſtat dea facta manu.*
*Vendicat vt Calais laudem, quos fecit, equorum,*
*Vt ſimilis veræ vacca, Myronis opus:*
*Sic ego ſum rerum non vltima Sexte tuarum,*
*Tutelæq; feror munus opusq; tuæ.* 193. a

PROPERT. III.

*Gloria Lyſippo eſt animoſa effingere ſigna,*
*Exactis Calamis ſe mihi iactat equis.*
*In Veneris tabula ſummam ſibi ponit Apelles,*
*Parrhaſius parua vendicat arte locum.*
*Argumenta magis ſunt Mentoris addita formæ,*

At Myos

*At Myos exiguum flectit Acanthus iter.*
*Phidiacus ſigno ſe Iuppiter ornat eburno,*
*Praxitelem Parius vindicat arte lapis.* 120.b

IBIDEM.

*Sunt quibus Eleæ concurrit palma quadrigæ,*
*Sunt quibus in celeres gloria nata pedes:*
*Hic ſatus ad pacem, hic caſtrenſibus vtilis armis,*
*Naturæ ſequitur ſemina quiſq; ſuæ.* 120.b

## AMANS Amanti.

TIBVL. III.

*Non ſic Aemonio Salmonida miſtus Enipheo,*
*Tænarius facili preßit amore Deus:*
*Nec ſic cæleſtem flagrans amor Herculis Heben,*
*Senſit in Oetæis gaudia prima iugis.* 86.a

## HOSPES Hoſti.

IN LAODA.

*Tam ſis hoſtis iners, quàm malus hoſpes eras.* 34.a

II. FAST.

*Hoſtis vt hoſpes init penetralia Collatini.* 27.a

## PVLCHRA Pulchræ.

XIIII. META.

*Nec te coniungere curas*
*Atq; vtinam velles, Helene non pluribus eſſet*
*Sollicita procis: nec quæ Lapitheïa mouit*
*Prælia: nec coniux timidi atq; audacis Vlyßi.* 186.a

XV. META.

*Flet quoq;, vt in ſpeculo rugas aſpexit aniles*
*Tyndaris,*

*Tyndaris, & ſecum, cur ſit bis rapta, requirit.* 193.a

## Lunæ.

IN LEANDRO.

*Quantùm cùm radijs fulges argentea puris,*
*Concedunt flammis ſidera cuncta tuis:*
*Tantò formoſis formoſior omnibus illa eſt.* 50.a

## Animal Animali.

VIII. META.

*Miſit aprum, quantò maiores herbida tauros* (98.a
*Non habet Epirus, ſed habent Sicula arua minores.*

## Ars Arti.

II. TRIST.

*Diſcitur innocuas vt agat facundia cauſas,*
*Protegit hæc ſontes, immeritosq́ꝫ premit.*
*Sic igitur carmen, recta ſi mente legatur,*
*Conſtabit nulli poſſe nocere meum.* 106.b

## Locus Loco.

IIII. DE PONT.

*Quàm grata eſt igitur Latonæ Delia tellus,*
*Erranti tutum quæ dedit vna locum:*
*Tam mihi chara Domus, patria quæ ſede fugatis,*
*Tempus ad hoc nobis, hoſpita fida manet.* 207.a

PROPERT. I.

*Nec minus hæc noſtri noteſcet fama ſepulchri,*
*Quàm fuerant Phitij buſta cruenta viri.* 99.a

## Numerus Numero.

I. FAST.

*Tot*

*Tot ſumet nomina Cæſar,*
*Quot numero gentes maximus orbis habet.* 12. a

## Contraria Contrarijs.

II. AMOR.

*Nutritur vento, vento reſtinguitur ignis,*
*Lenisq́ alit flammas, grandior aura necat.*
*Aut nulla ebrietas, aut tanta ſit, vt tibi curas*
*Eripiat: ſi qua eſt inter vtrunq́, nocet.* 166. b

# VARIA VARIIS.

## Saevicia Sæuiciæ.

XI. META.

*Qui quanquam ſæuit pariter rabieq́ fameq́,*
*Acrior eſt rabie.* 140. a

IN HYPSIP.

*Quàm fratri germana fuit, miſeroq́ parenti*
*Filia, tam natis, tam ſit acerba viro.* 16. b

## Factvm Facto.

V. TRIST.

*Annuus aſſuetum dominæ natalis honorem*
*Exigit: ite manus ad pia ſacra meæ.*
*Sic quondam feſtum Laërtius egerat heros,*
*Forſan in extremo coniugis orbe diem.* 142. a

## Sermo Sermoni.

IBIDEM.

*Vtq́ ſolebamus conſumere longa loquendo*
*Tempora ſermonis, deficiente die:*

*Sic ferat*

*Sic ferat ac referat tacitas nunc litera voces,*
*Et peragant linguæ charta manuſq́ vices.* 149.b

## PROFVNDITAS Profunditati.

XI. META.

*Et nunc ſublimis, veluti de vertice montis*
*Deſpicere in valles, imumq́ Acheronta videtur:*
*Nunc vbi demiſſum curuum circumſtetit æquor,*
*Suſcipere inferno ſummum de gurgite cœlum.* 142.b

IBIDEM.

*Tanta eſt animi conſtantia, quantum*
*Acer erat, belloq́ ferox, ad vimq́ paratus.* 139.a

XIIII. META.

*Rara quidem facie, ſed rarior arte canendi.* 180.a

VI. FAST.

*tantò*
*Sanctior, & tantò, quàm modò maior erat.* 80.b

PROPERT. I.

*Inferior multò cùm ſim vel Marte, vel armis*
*Mirum ſi de me iure triumphat amor.* 96.b

IBIDEM.

*Omnis amor magnus, ſed aperto in coniuge maior.* (136.a

## DVRVS.

### Muro.

XII. META.

*Inde velut muro, ſolidaq́ à caute repulſa eſt.* 150.a

### Adamanti.

IN

IN PHYL.

*Duricia ferrum vt ſuperes adamantaq́;.* 5.a

## Feris.

IN DEIAN.

*Mitius inueni, quàm te, genus omne ferarum.* 24.b

## Euris.

IN CANACE.

*Vt ferus eſt, multoq́; ſuis truculentior euris.* 27.b

## Ferro.

IN CYDIPPE.

*Durius & ferro cùm ſit tibi pectus.* 64.b

TIBVL. I.

*Ah lapis eſt, ferrumq́;, ſuam quicunq; puellam*
*Verberat.* 56.b

## Lapidi.

PROPERT. I.

*Atq; vtinam, ſi fortè pios eduximus annos*
*Ille vir in medio fiat amore lapis.* 92.a

## Chalybi.

TIBVL. III.

*Sit licet & ſaxo patientior illa Sicano,*
*Sit licet & ferro durior, & chalybe.* 88.a

## Silici.

TIBVL. I.

*Flebis, non tua ſunt duro præcordia ferro*
*Vincta, nec in tenero ſtat tibi corde ſilex.* 44.b

## Monti.

IDEM II.

*O' ego ne poſsim tales ſentire dolores,*
*Quàm vellem in gelidis montibus eſſe lapis.*
*Stare vel inſanis cautes obnoxia ventis*
*Naufraga, quam vaſti tunderet vnda maris.* 60.b

## MISER.

## Saxis.

II. DE PONT.

*vtq́ caducis*
*Percuſſu crebro ſaxa cauantur aquis:*
*Sic ego continuo fortunæ vulneror ictu.* 174.b

## Vomeri, Viæ.

IBIDEM.

*Nec magis aſsiduo Vomer tenuatur ab vſu,*
*Nec magis eſt curuis Appia trita rotis:*
*Pectora quàm mea ſunt ſerie calcata malorū.* 175.a

## Fulmini tacto, Parieti lapſo.

III. DE PON.

*Cùm feriant vnum, non vnum fulmina terrent,*
*Cunctaq́ percuſſo turba pauere ſolet.*
*Cumq́ dedit paries venturæ ſigna ruinæ*
*Sollicito vacuus fit locus ille metu.*
*Quis non è timidis ægri contagia vitat?*
*Vicinum metuens ne trahat inde malum?*
*Me quoq amicorum nimio terrore metuq́*

Non

*Non odio quidam deſtituêre mei.* 182. b

## LAESVS.

### Naufrago, Piſci, Agnæ, Vulnerato.

II. DE PONT.

*Tranquillas etiam naufragus horret aquas,*
*Qui ſemel eſt læſus fallaci piſcis ab hamo,*
*Omnibus vnca cibis æra ſubeſſe putat.*
*Sæpe canem longè viſum fugit agna, lupumq́;*
*Credit, & ipſa ſuam neſcia vitat opem.*
*Membra reformidant mollem quoq; ſaucia tactum,*
*Vanaq́; ſollicitis incitat vmbra metum.* 174. a

## AMATOR.

### Tauro, Equo.

I. DE ARTE.

*Sed tamen & tauri ceruix oneratur aratro:*
*Frenaq́; magnanimi dente teruntur equi,*
*Et mihi cedet amor.* 113. a

### Scopulo.

II. AMOR.

*Artibus innumeris mens oppugnatur amantum,*
*Vt lapis æquoreis vndiq; pulſus aquis.* 164. b

## FORTIS.

### Socrati.

V. TRIST.

*Des licet inualido pectus mihi robore fultum,*
*Fama refert Anyti quale fuiſſe rei :*
*Fracta cadet tantæ ſapientia mole ruinæ,*
*Plus valet humanis, viribus ira Dei.* 148.a

## Piſci, Aui.

I. FAST.

*Omne ſolum forti patria eſt : vt piſcibus æquor,*
*Vt volucri, vacuo quidquid in orbe patet.* 10.a

## ROBVSTVS.

VII. META.

*Qui poterat curuare trabes, & agebat ab illo*
*Ad terram latè ſparſuras corpore pinus.* 86.a

VIII. META.

*Et cur vlla foret me fortior ? ire per ignes,*
*Et gladios auſim : neq; ad hoc tamen ignibus vllis*
*Aut gladijs opus eſt.* 94.b

## Miloni.

XV. META.

*Fletq; Milon ſenior, cùm ſpectat inanes*
*Illos qui fuerant ſolidarum more ferarum*
*Herculeis ſimiles, fluidos pendêre lacertos.* 193.a

## TACITVS Lupo.

XIIII. META.

*Inde ſati Curibus tacitorum more luporum*
*Ore premunt voces.* 187.b

## ABIECTVS Tubæ.

*Tamq;*

III. DE PON.

*Tamq́ ego ſumſiſſem tali clamore vigorem,*
*Quàm rudis audita miles ad arma tuba.* 186. a

## Ignavus Fœminæ.

IN HELENA.

*Apta magis Veneri, quàm ſunt tua corpora Marti,*
*Bella gerant fortes: tu Pari ſemper ama.* 48. b

## Dubius Naui.

IN CYDIPPE.

*Ipſa velut nauis iactor, quam certus in altum*
*Propellit Boreas, æſtus & vnda refert.* 61. a

## Ira Fulmini.

PROPERT. I.

*Fulminat illa oculis, & quantum fœmina ſæuit,*
*Spectaculum capta nec minus orbe fuit.* 144. a

# AMOR.

## Flammæ.

IN HELENA.

*Dum nouus eſt, cœpto potius pugnemus amori,*
*Flamma recens parua ſparſa reſedit aqua.* 47. b

IN LEAND.

*Quò propius nunc eſt flamma propiore caleſco.* 52. a

## Igni.

IN HERON.

*Vrimur igne pari, ſed ſum tibi viribus impar.* 52. b

## Cruciatui.

TIBVL. III.

*Tum magis Armenias cupies accedere tigres,*
*Et magis infernæ vincula noſſe rotæ:*
*Quàm pueri toties arcum ſentire medullis.* 84.a

## AFFECTVI.

### Paterno.

III. TRIST.

*Vtq́ pater natæ, duxq́ comesq́ fui.* 118.b

### Materno.

TIBVL. III.

*Tantum chara tibi, quantum nec filia matri,*
*Quantum nec cupido bella puella viro.*

## MAGNANIMITAS.

### Leoni.

III. TRIST.

*Corpora magnanimo ſatis eſt proſtare leoni,*
*Pugna ſuum finem, cùm iacet hoſtis habet.* 117.a

## CRVDELITAS.

### Lupo, Vrſo.

IBIDEM.

*At lupus & turpes inſtant morientibus vrſi,*
*Et quæcunq́, minor nobilitate, fera eſt.* ibid.

INGE-

## INGENIVM.

### Rubigini.

V. TRIST.

*Adde quod ingenium longa rubigine læſum, (148. a*
*Torpet, & eſt multò, quàm fuit antè, minus.*

### Aratro.

IBIDEM.

*Fertilis aßiduo ſi non renouetur aratro,*
*Nil, niſi cum ſpinis gramen habebit, ager. 148. a*

## FORTVNA.

### Naui.

IBIDEM.

*Quaſſa tamen noſtra eſt, non merſa nec obruta nauis*
*Vtq; caret portu: ſic tamen extat aquis. 147. b*

### Tempori.

IIII. DE PON

*Nulla dies adeò eſt auſtralibus humida nimbis,*
*Non intermißis vt fluat imber aquis:*
*Nec ſterilis locus vllus ita eſt, vt non ſit in illo*
*Miſta ferè duris vtilis herba rubis:*
*Nil adeò fortuna grauis miſerabile fecit,*
*Vt minuant nulla gaudia parte malum. 195. a*

## CVRA.

### Morbo, Vulneri.

I. DE PONTO.

*Afferat ipſe licet ſacras Epidaurius herbas,*
*Sanabit nulla vulnera cordis ope:*
*Tollere nodoſam neſcit medicina podagram,*
*Nec formidatis auxiliatur aquis:*
*Cura quoq; interdum nulla eſt medicabilis arte,*
*Et ſi ſit, longa eſt extenuanda mora.* 157. b

# CANDOR.

## Columbæ.

II. META.

*Nam fuit hæc quondam niueis argentea pennis*
*Ales, vt æquaret totas ſine labe columbas.* 24. a

## Lunæ.

TIBVL. III.

*Candor erat, qualem profert Latonia Luna,*
*Et color in niueo corpore purpureus.*

## Lilijs.

IBIDEM.

*Nec me tam facies, quamuis ſit candida, cepit,*
*Lilia non domina ſint magis alba mea.* 93. a

## Niui.

III. AMOR.

*Brachia Sithonia candidiora niue.* 103. b

IN SAPPH.

*Somnia formoſo candidiora die.* 67. a

Argen-

## Argento.

IN LEANDRO.

*cùm radijs fulges argentea puris.* 50.a

## Lacti.

PROPERT. II.

*Vtq; roſæ puro lacte notant folia.* 30.a

## Alij colori.

IN HEROID.

*Candida ſi non ſum, placuit Cepheïa Perſeo*
*Andromede, patriæ fuſca colore ſuæ.*
*Et varijs albæ iunguntur ſæpe columbæ,*
*Et niger à viridi turtur amatur aue.* 65.b

# NIGREDO.

## Stygi.

XI. META.

*Stygia modò nigrior vnda.* 142.b

## Pici.

XII. META.

*totus pice nigrior atra.* 154.b

IN LEAND.

*Ipſa vides cœlum pice nigrius, & freta ventis*
*Turbida.* 49.a

# RVBOR.

## Minio.

PROPERT. II.

*Vt Mæotica nix Minio ſi certet Ibero.* 93.a

## PALLOR.

### Silici.

X. META.

*Vtq; pudor ceſſit, ſanguisq; induruit oris,*
*In rigidum paruo ſilicem diſcrimine verſa.* 126.a

## AMATOR.

### Luteo colori.

TIBVL. I.

*non illi ſontica cauſa eſt*
*Sed nimius luteo corpora tingit amor.* 53.b

## COLOR.

### Flavvs Fuluo.

I. AMOR.

*Nec tamen ater erat, nec erat color aureus illis,*
*Sed quamuis neuter, miſtus vterq; color:*
*Qualem cliuoſæ madidis in vallibus Idæ*
*Ardua direpto cortice cedrus habet.* 81.a

### Vvae Auro.

XIII. META.

*ſunt poma grauantia ramos,*
*Sunt auro ſimiles, longis in vitibus vuæ.* 172.a

### Crvor Oſtro.

*Ecce*

X. META.

*Ecce cruor, qui fuſus humo ſignauerat herbas,*
*Deſinit eſſe cruor, Tyrioq́; nitentior oſtro.* 125. b

## Grano Punico.

IBIDEM.

*Cùm flos de ſanguine concolor ortus:*
*Qualem, quæ lento cælant ſub cortice granum*
*Punica ferre ſolent.* 134. a

## Glomo.

XII. META.

*Sanguinis ille glomos, pariter cerebrumq́; merumq́;,*
*Vulnere, & ore vomens.* 151. b

# GLORIA.

## Sideribus.

VII. META.

*Et dijs cara ferar, & vertice ſidera tangam.* 80. a

## Soli.

II. TRIST.

*Vtq́; trahunt oculos radiantia lumina Solis,*
*Traxiſſent animum ſic tua facta meum.* 107. a

## LAVRVS Decori.

III. TRIST.

*Vtq́; viret ſemper laurus, nec fronde caduca*
*Carpitur: æternum ſic habet illa decus.* 112. b

## HOMO Agro.

*Iuppiter*

II. DE PONT.

*Iuppiter vtilibus quoties rigat imbribus agros,*
*Miſta tenax ſegeti creſcere lappa ſolet.*
*Nos quoq; frugiferum ſentimus inutilis herba*
*Numen, & inuita ſæpe iuuamur ope.* 166.b

## Avla Fulmini.

III. TRIST.

*præluſtria vita,*
*Sæuum præluſtri fulmen ab arce venit.* 115.a

## Terra Globo.

VI. FAST.

*Terra pilæ ſimilis, nullo fulcimine nixa,*
*Aëre ſubiecto tam graue pendet onus.* 76.a

IBIDEM.

*Et quantùm à ſummis, tantùm ſeceſſit ab imis*
*Terra, quod vt fiat, forma rotunda facit.* 76.b

## Vertex Cœlo.

I. FAST.

*At poſtquàm fortuna loci caput extulit huius*
*Et tetigit ſummo vertice Roma deos.* 5.b

## Nova Veteribus.
## Firma Infirmis.

IIII. TRIST.

*Fortior in fulua nouus eſt luctator arena,*
*Quàm cui ſunt tarda brachia feſſa mora.*
*Integer eſt melior nitidis gladiator in armis,*

Quàm

*Quàm cui tela ſuo ſanguine tincta rubent.*
*Fert bene præcipites nauis modò facta procellas,*
*Quamlibet exiguo ſoluitur imbre vetus.*
*Nos quoq; quæ ferimus, tulimus patientius antè,*
*Quæ mala ſunt longa multiplicata die.*

## RIVVS Mari.

V. TRIST.

*vt in mare flumina vaſtum,*
*Sic ſolet exiguæ currere riuus aquæ.* 147.b

## FLVMEN Tempori.

TIBVLL. III.

*Multa prius vaſto labentur flumina ponto,*
*Annus & inuerſas duxerit ante vices:*
*Quàm tua ſub noſtro mutetur pectore cura,*
*Sis quodcunq; voles, non aliena tamen.* 87.a

## TEMPORA Folijs.

PROPERT. I.

*Ac veluti folia arentes liquere corollas,*
*Quæ paßim calathis ſtrata natare vides:*
*Sic nobis, qui nunc magnum ſperamus amantes,*
*Forſitan includet craſtina fata dies.* 100.b

## AVRVM Flumini.

XI. META.

*Ille etiam liquidis palmas vbi lauerat vndis,*
*Vnda fluens palmis, Danaën eludere poßit.* 136.b

## FLAMMA Segeti.

*Correpti*

XII. META.

*Correpti rapida, veluti ſeges arida, flamma*
*Arſerunt crines.* 152.b

## Poena Flammæ.

TIBVL. I.

*Vre meum potius flamma caput, & pete ferro*
*Corpus, & intorto verbere terga ſeca.* 54.b

## Sagitta Sagittæ.

I. META.

*Certa quidem noſtra eſt: noſtra tamen vna ſagitta*
*Certior, in vacuo quæ vulnera pectore fecit.* 10.b

## Status Carmini.

V. TRIST.

*Quis tibi Naſo modus lacrimoſi carminis? inquis*
*Idem fortunæ qui modus huius erit.*

## Dies Conuiuio.

VII. META.

*Nullus Erechthidis fertur celebratior illo*
*Illuxiſſe dies, agitant conuiuia patres.* 86.a

## Adversarivs Carnifici.

*Carnifici mea flenda poteſt fortuna videri.* 122.a

## Tvmvltvs, Vrbi captæ.

XII. META.

*captæq́; erat vrbis imago,*

*Fœmi-*

*Fœmineo clamore ſonat domus.* 151. b

## Frondes Velo.

V. META.

*Silua coronat aquas cingens latus omne ſuiſq;*
*Frondibus, vt velo, Phœbeos ſummouet ignes.* 62. a

## Capillvs Luco.

XIII. MET.

*coma plurima toruos* (172. b
*Prominet in vultus, humeroſq;, vt lucus, inumbrat*

## Obscvritas Siluis.

I. AMOR.

*Quale ferè ſiluæ lumen habere ſolent.* 72. a

## Parvvs Paruo.

V. META.

*Inq; breuem formam, ne ſit vis magna nocendi*
*Contrahitur, paruaq; minor menſura lacerta eſt.* 63. a

## Magno.

II. DE REMED.

*Parua necat morſu ſpacioſum vipera taurum:*
*A' cane non magno ſæpe tenetur aper.* 160. a

II. TRIST.

*vt fuſo taurorum ſanguine centum,*
*Sic capitur minimo thuris honore Deus.* 103. a

## Potvs Nectari.

IBIDEM.

*Hauſtus*

*Hauſtus aquæ, mihi nectar erit.*

## Forma Aeri.

I. AMOR.

*Aera nitent vſu: veſtis bona quærit haberi:*
*Caneſcunt turpi tecta relicta ſitu.*
*Forma, niſi admittas, nullo exercente, ſeneſcit.* 76.a

## Assidvitas Saxo.

I. DE ARTE.

*Quid magis eſt durum ſaxo? quid mollius vnda?*
*Dura tamen molli ſaxa cauantur aqua.* 121.a

## Livor Flumini.

I. DE REMED.

*Summa petit liuor, perflant altiſſima venti:*
*Summa petunt dextra fulmina miſſa Iouis.* 159.a

## SENECTVS.

## Equo.

TIBVLL. I.

*Quàm iacet infirmæ venêre vbi fata ſenectæ,*
*Qui prior Elæo eſt carcere miſſus equus.* 48.a

## Naui, Militi.

IIII. TRIST.

*In caua ducuntur quaſſæ naualia puppes,*
*Ne temere in medijs diſſoluantur aquis.*
*Ne cadat, & multas palmas inhoneſtet adeptas,*
*Languidus in pratis gramina carpit equus.*

*Miles*

*Miles vbi emeritis non eſt ſatis vtilis armis,*
*Ponit ad antiquos, quæ tulit arma, lares.*
*Sic igitur tarda vires minuente ſenecta*
*Me quoq; donari iam rude tempus erat.* 133.a

## XLII.

## COLLATIONES COMPARATIVAE.

### Sæuicia.

IN PHAED.

*eris tauro ſæuior ipſe truci.* 11.a

XIII. META.

*ſæuior indomitis iuuencis.* 171.b

### Leuitas.

I. META.

*Pondere aquæ leuior.* 2.b

### Inſtabilitas.

IN IASONE.

*incertior aura.* 15.b

XIII. META.

*Ventis volucriq; fugacior aura.* 172.a

V. TRIST.

*Melle, quod in ceris Attica ponit apis.* 141.b

XIII. META.

*riguo formoſior horto.* 171.b

IN LEANDRO.

*ſpacium mihi longius anno.* 49.b

## V A R I A.

XIII. META.

*Candidior folio niuei Galatea liguſtri,*
*Floridior prato, longa procerior alno,*
*Splendidior vitro, tenero laſciuior hœdo,*
*Læuior aſsiduo detritis æquore conchis,*
*Solibus hibernis, æſtiua gratior vmbra,*
*Nobilior pomis, platano conſpectior alta,*
*Lucidior glacie, matura dulcior vua,*
*Mollior & cygni plumis, & lacte coacto.* 171.b

IBIDEM.

*Durior annoſa quercu, fallacior vndis,*
*Lentior & ſalicis virgis, & vitibus albis,*
*His immobilior ſcopulis, violentior amne,*
*Laudato pauone ſuperbior, acrior igni,*
*Aſperior tribulis, fœta truculentior vrſa,*
*Surdior æquoribus, calcato immitior hidro.* 171.b

Collationes aliæ ſuis paſsim leguntur locis & titulis, præcipuè libro ſecundo.

GEOR-

# GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS DE EPITHETIS NOMINUM PROPRIORUM

# Liber Quartus.

## GEORGIVS FABRICIVS CHEMNICENSIS, BASILIO Fabro, Magiſtro ludi Quedilnburgij S. D.

NIHIL tam exiguum in litteris noſtris eſt, quod non euidentem afferat diſcentibus vtilitatem: hoc exemplis nunc probare ſuperuacuum, cum vſus teſtetur in præceptis omnium artium,& natura ipſa in cunctis ſuis operibus loquatur, ab initijs tenuibus res maximas generari. id quod negare neminem video, niſi quoſdam impudentes, qui cùm hoc ipſo lacte nutriti, nonnihil adoleuerint: & fortuna elati, ad aliquos honorum gradus peruenerint, ſuæ imperitiæ obliti, contra hæc elementa diſputant, & ea apud alios extenuant: nec rarò apparitorem aut matellionem pluris faciunt, quàm magiſtrum litterarum, à quo ſunt pueri educati. Tabulas nauis Theſei conſeruarunt Athenienſes, & cunas Caroli Quinti Imperatoris Gandauenſes oſten-

tant, propter maximorum alumnorum memoriam, qui in ipſorum vrbibus lucem primùm viderunt: ex qua vrbium celeberrimarum obſeruantia poteſt intelligi, qua præditi humanitate ſint ij, qui pulpita, vndè ſunt edocti, euertunt: & ea oderunt incunabula, in quibus vagitus edidiſſe auditi ſunt: cùm illæ ciuitates mutis lignis honorem habeant, quem iſti negant viris bonis, & ſuis olim altoribus. Verùm relinquamus hos ſuæ ipſorum inſcitiæ puniendos. Nos verò animandos cenſemus doctores pios & induſtrios, ſenis illius Athletis ſermone, qui eſt apud Poëtam optimum,

*Quæ digna viri pro talibus auſis*
*Præmia poſſe rear ſolui? pulcherrima primùm*
*Dij, moresq́; dabunt veſtri.*

nam vt nulli beneficiorum meminerint, Deus ipſe beneficus, ſuo fungentes officio, cum fide & inuocatione, præmijs afficiet: & laborum honeſtorum vnicuique præmium, ſua dabit conſcientia, Deo ipſi cognita & probata. Quamobrem nihil permoti animis atq; factis hominum ingratis, conſtanter conemur prodeſſe ætati imperitæ, nihilq; omittamus neq; in doctrina neq; in moribus, quantumuis minutum aut in ſpeciem humile videatur, modò inde fructus aliquis dignus proueniat: memores ſemper,

per, Chriſto nos ſeruire, dum parui niduli integri ſeruantur Eccleſiæ, & ſua ſeminaria incorrupta populo Chriſtiano. Etiamne, inquies, in his minimi momenti rebus, quas nunc proponis, nullius artis, nulliusq́ ingenij? ita planè ſentio, & loquor expertus. Certè quòd *Sabinus*, *Acontius*, *Lotichius* politiſsima ſcripſerunt carmina, à talibus fundamentis exorſi ſunt: item quòd è libris ſacris elegantiſsimè tranſtulerunt præclara multa Micyllus, Eobanus, Stigelius, Aemilius, Siberus: de noſtris vt loquar hominibus, ij his adiumentis ſe profeciſſe teſtantur: & *ſi diſsimulaſſet ex ijs* aliquis, aut nunc diſsimularet, conuinci poſſet publico teſtimonio. Illorum igitur virorum, pietatis laudibus, & omni doctrinarum genere florentium, qui ſimilis cupit euadere, viam habet, duces habet: eiq́ ab his riuulis ad fontes vberrimos patet aditus, ſiue tramite eat, ſeu via ambulet: & ſiue tractare ſua ſtudia velit, ſeu Deo potius æterno laudem & gloriam debitam reddere, & ipſi auctori ſuas operas ſuaq́ monumenta conſeruare. Vt autem libelli mei priores, qui ſtudioſis hactenus aliquid profuerunt, maiori eſſent illis, qui vti vellent, vſui atq́ commodo: adieci epitheta, quod vnum operæ huic puerili deeſſe nonnulli

querebantur: nec omnes auctores confuſi, ſed inter ſe delegi maximè propinquos & ſimiles, vt antea in Elegantijs & alijs factum eſt: nec congeſsi epitheta omnia, ſed ea quæ certi temporis aut loci ſunt, omiſi: nec ſola elegi quæ vocantur more communi epitheta, ſed vſus eo nomine ſum liberius, quod res declarat, & obſeruatiunculæ iſtæ in locis multis eſſe vice commentarij poſſunt. His tuum Baſili nomen præponere placuit, vt de eo nonnihil auctoritatis, in re tam tenui, contraherem: nam te in noſtro ordine integritatis, diligentiæ, eruditionis laudem non vulgarem conſecutum, non ignoro, & tua monumenta aliquando apertius probabunt. Vale. E' ludo illuſtri Miſena.

# DE EPITHETIS NOMINVM PROPRIORVM.

## A.

### ABSYRTVS.

CVI *ſparſa latos ſunt membra per agros*
*Lacerata per agros corpora.*

### ACHAEVS.

*Qui miſer aurifera veſte pependit aqua.*

### ACHELOVS.

*Acheolides vnda*
*Naupactæus*
*Calydonius amnis*
*Amnis Arcananum*
*Imbre tumens.*
PROP. *Aetolus.*

### ACHILLES.

*Magnus, ingens, magnanimus, fortis, clarus, ſæuus, ferus, ferox, iratus, violentus, immitis, triſtis, velox.*
*Aeacides,* ab auo.
*Pelides,* à patre.
*Nereius heros,* à matre.
*Satus Nereide*
*Cui Nereus proſocer*
*Iouis Aeginæq́ nepos*
*Theſſalus, Aemonius.*
*Phthius*, à patria.
*Cygni victor*
*Timor Phrygum, Troiæ populator*
*Operis Neptuni populator*
*Exitium Troiæ. Fatum Troiæ*
*Graiûm murus*
*Decus & tutela Pelaſgi Nominis*
*Caput inſuperabile bello*
*Iuuenis qui fortib. armis Acta patris vicit*
*Manus miſſura Hectora letho.*

### ACIS.

*Pulcher*
*Simmetthius heros*
*Fauno nymphaq́ Simetthide*


thide

*thide cretus.*

ACTAEON.

*Nepos Cadmi*
*Autoneïus heros*
*Præda ſuis canibus*
*Fera creditus*
*Speculans membra Dianæ.*

ADAMASTUS.

*Achæmenides*
*Sicula deſertus in Aetna.*

ADIMANTUS.

*Phyleſia regna tenens*
*Iouis telo petitus.*

ADMETUS.

*Pheretiades*
*Gener Peliæ.*

ADONIS.

*Arbore natus*
*Myrrhæ filius*
*Cinyra creatus*
*Cythereïus iuuenis, heros*
*Veneri ploratus*
*Auo genitore creatus*
*Siluis aptus*
*Per facinus ſoror cui ſua, facta parens.*
PROP. *Niueus, formoſus.*

AEACUS.

*Aeſonides, Aſopiades*
*Proles Iouis.*
*Qui reddit iura ſilentibus*
*In pœnas ingenioſus.*

AEROPE.

*Creſſa, Atrei coniux*
*Nurus Aegyſthi*
*Quam frater ſceleratus amauit*
*Thyeſteo quæ non abſtinuit amore.*

AEGEUS.

*Theſei pater*
*Theſeæ fallacia vela carinæ Qui vidit.*

AEGIALA.

*Vxor Diomedis*
*Nurus Tydei.*

AEGINA inſula.

*Oenopia. Oenopij muri*
*Aſopis*

*Aſopis*
*Aeacideia regna*
*A pellice dictæ terræ*
*Genitricis nomine dictæ.*

AEGYPTVS.

*Aegyptia tellus*
*Carens imbribus*
*Genitalia arua Canopi*
*Arua Mareotica.*

AEGYPTII.

*Linigera turba.*

AEGYPTVS rex.

*Belides*
*Exul.*

AEGYSTHVS.

*Thyeſtiades*
*Deſidioſus*
*Adulter.*

AEMVS mons.

*Vmbroſus*
*Pulſus Aquilonibus*
*Nubibus opertus*
*Oeagrius.*

AENEAS.

*Pius, profugus, penatiger*
*Natus Dea*
*Troius, Dardanius.*
*Cythereius heros*
*Phrygius maritus Veneris*
*Caietæ alumnus*
*Aeneia virtus*
*Aeneia pietas*
*Vir magnus bello*
*Nulli pietate ſecundus,*
*Notæ pietatis*
*Pietatis idoneus auctor*
*Troum iuſtiſsimus*
*Oneratus pondere charo.*
TIB. *Impiger*
*Volitantis frater amoris.*
PROP. *Phryx, Troianus.*

AEOLIAE inſulæ.

*Hippotadæ regnum*
*Domus Hippotadæ regis.*
*Aeolij tyranni portus*
*Aeolius carcer*
*Terræ calenti ſulfure fumantes.*

AEOLVS.

*Hippotades*
*Suis truculentior Euris*

*Cohibet qui carcere ventos*
*Qui carcere fortes Contineat ventos*
*Qui cum velit, æquora placet*
*Qui ventis imperat*
*Emittens auras*
*Ingenio populi conuenit ille ſui.*

AESACVS.

*Senior*
*Troius heros*
*Quem fertur Vmbreſa peperiſſe ſub Ida Alxithoë.*

AESAR fluuius.

*Lapidoſus*
*Flumen Aeſarium.*

AESCVLAPIVS.

*Opifer, ſalutifer*
*Phœbeius, Coronides*
*Phœbo nymphaq; Coronide natus*
*Nepos Iouis*
*Apollinis proles, Apolline natus*
*Apollinea proles*
*Diuinæ ſtirpis*
*Epidaurius*
*Anguis Phœbeius.*

AETHIOPES.

*Aethiopum populi*
*Cephenum agmen*
*Arua Cepheia.*

AETNA.

*Alta, Ignea*
*Trinacria, Sicanis, Tiphois*
*Rupes Aetnæ, Ignis Aetneus*
*Aetnea mœnia*
*Rapida flamma*
*Sulfureis ardens fornacibus*
*Ardens in immenſum geminatis ignibus.*
*Giganteis iniecta faucibus*
*Iacens ſuper ora Typhoëos*
*Quæ plurima flammas mouet*
*Antra Cyclopum exuſta caminis.*

PROP.

PROP. *Fera.*

AGAMEMNON.

*Infeſtus*
*Tantalides*, ab auo
*Atrides*, à patre
*Atrides maior*, propter fratrem.
*Pliſthenius vir*
*Tyndarei gener*
*Mycenæus ductor*
*Dux ducum*
*Troiæ populator*
*Coniugis victima.*

AGANIPPE fons.

*Hiantea*
*Fontes Aganippidos*
*Signa Meduſci equi*
Vide, *Hippocrene.*

AGAVE.

*Mœnas*
*Mater Penthei*
*Mater Thebana.*
TIB. *Cadmea mater.*

AIAX OILEVS.

*Naritius heros*, à patria.
*Violans ſimulachra Mineruæ*
*Quiq; ferox perijt et fulmine & æquore raptor.*
PROP. *Oilides*, à patre.

AIAX TELAMONIVS.

*Fortis, inuictus*
*Telamoniades*
*Telamone natus, ſatus, creatus*
*Teucri frater*
*Cui tegmen ſeptem terga fuêre, boum*
*Dominus clypei ſeptemplicis.*

ALCEVS poëta.

*Conſors, Sapphô patriæq; lyræq;*
*Lyræ vates ſeueræ.*

ALCESTE.

*Admeti vxor*

*Coniunx Pagaſæa*
*Læta viri pro funere,*

ALCIBIADES.

*Cliniades*
*Circundatus ignib. atris.*

ALCINOVS.

*Munificus.*
PROP. *Phæax.*

ALCMENA.

*Argolica, Argolis.*

ALGMENON.

*Amphiaraides*
*Qui amauit Phegida*
*Vir Callirhoës*
*Amphilochi frater*
*Matris occiſor.*
PROPE. *Alcmæoniæ furiæ.*

ALEBAS.

*Lariſſæus*
*Vulnere ſuorum cæſus.*

ALECTO furia.

*Breuibus torquata colubris.*

ALEXANDER Macedo.

*Clemens, Dux Aemathius*
*Cornigero de Ioue natus.*

ALEXANDREA vrbs.

PROP. *Noxia.*
*Dolis aptiſſima tellus.*

ALBA.

*Albani montes*
*Alba longa, binominis.*

ALPES.

*Aëriæ, ventoſæ, latebroſæ*
*Alpinæ valles.*

ALPHEVS.

*Alpheiæ vndæ*
*Fons ſacer*
*Occultæ aquæ.*

ALPHEA.

*Matre ſoror melior*
*In natum ſæua reperta parens.*

AMAL-

AMALTHEA.

*Diues, bona.*
*Olenium pecus*
*Cornu pomis, & odore flore repletum*
*Cretæa nobilis Ida.*

AMASENVS.

*Amaſena flumina*
*Sicanias voluens Amaſenus arenas.*

ALMATHVS, inſula.

*Fœcunda metallis*
*Grauida metallis.*

AMAZONES.

*Securigeræ puellæ.*
PROP. *Abſciſſo ſinu Amazon aperta.*

AMBRACIA.

*Terra Ambraciæ*
*Certata lite Deorum.*

AMPELOS.

*Intonſus, temerarius*
*Nympha Satyriſq; creatus.*

AMPHIARAVS.

*Vates Oiclides*
*Talai gener*
*Notus eques.*
*In medij cœni voragine merſus.*

AMPHION.

*Fidicen*
*Thebanus*
*Qui addidit ſua funera natis*
*Saxa Cytheronis per artem agens.*

AMPHITRITE.

*Diues aquis.*

AMPHRYSVS fluuius.

*Lenis.*

AMVLIVS.

*Inuictus, Durus*
*Frater Numitoris*
*Contemptor æqui.*

AMICLAE, in Græcia.

*Armi-*

*Armiferæ, antiquæ.*

ANACREON.

*Teïa Muſa*
*Senex Lyricus*
*Senex vinoſus.*

ANAPVS
fluuius.

*Fontes lenis Anapi*
*Miſcens aquis Cyanen.*

ANAXARCHVS.

*Pila minutus in alta.*

ANAXARETE.

*Generoſa à ſanguine Teucri.*
*Sæua, ferox, ferrea*
*Crudelis, impia, dura.*
*Sæuior freto.*
*Durior ferro.*

ANCAEVS.

*Lycurgides*
*Quem aper lethauit*, id eſt, letho dedit.
*In quem aper geminos direxit ab inguine dentes.*

ANCHISES.

*Pius, Magnanimus*
*Senex Phryx*
*Sarcina nati*
*Cum quo commune parentis, Non dedignata eſt nomen habere Venus*
*Volucrum cui mater Amorum, Gaudet in Idæis concubuiſſe iugis.*

ANCON, vrbs.

*Spiſſi littoris.*

ANDROMACHE.

*Thebais*
*Duri militis vxor*
*Hectoris vxor.*

ANDROMEDA.

*Cepheia virgo, Danaës nurus*
*Amata Perſeo.*
PROP. *Nobilis*
*Perſei vxor*
*Mõſtris deuincta marinis*
*Andromede patriæ fuſca colore ſuæ.*

### ANIO.

*Aniënis aquæ.*
PRO. *Pomifer.*
*Ramoſa Aniënis arua*
*Lympha Aniëna*
*A' Tibur de fluens.*

### ANIVS.

*Phœbi ſacerdos*
*Quo rege homines, antiſtite Phœbus colebatur.*

### ANNA PERENNA.

*Anna Perenna vocor*
*Amne perenne latens,*
*Placidi Nympha Numici*
*Noua diua*
*Annæ geniale feſtum.*
TIB. *Sanguinolenta.*
*Excelſa præceps delapſa feneſtra.*

### ANNIBAL.

*Dux Pœnus, dux Punicus.*

### ANTAEVS.

*Sæuus, fortis*
*Antæi lacerti.*
*Aonio luctator ab hoſpite fuſus*
*Qui (mirum) victor, cùm cecidiſſet erat.*

### ANTENOR.

*Grauis*
*Troianæ ſuaſor pacis*
*Senex Phrygius.*

### ANTHEDON, inſula.

*Euboica.*

### ANTICLVS.

*Loquax*
*Cui guttur eliſum*
*Cui clauſum pollice vocis iter.*

### ANTIGONA.

*Thebana*
*Fratrem peremptum ſuppoſuit tumulo.*

### ANTIOPE.

*Imperioſa, Nyctæis.*
*Coniunx Lyci.*
*Impleta gemino fœtu à Ioue*

Tracta

*Tracta tauro rapiente.*
PROP. *Antiopes forma.*

ANTIPHATES.

*Læſtrigonis impia ora.*

ANTIVM.

*Vrbs Apollinis.*

ANVBIS.

*Verendus.*
*Anubidis ora.*
PROP. *Latrans.*

APELLES.

*Artifex, Cous.*

APENNINVS.

*Nubifer.*

APIDANVS fluuius.

*Herboſus, Senex.*

APIS.

*Corniger.*

APOLLO.

*Saluber, ſacer, opifer, intonſus, lauriger, crinibus inſignis, arcitenens, fatidicus, flauus, fide conſpicuus, lyra aurata.*
*Domeſticus, agreſtis*
*Stirps Latonæ*
*Proles Latonia*
*Latonigena, Latoius*
*Phœbus pæan*
*Delphicus, Delius, Cynthius, Smintheus*
*Actiacus, Clarius*
*Cui Delphica tellus, Et Claros, & Tenedos, Pataræaq; regia ſeruit.*
*Per quem quod eritq; fuitq; Eſtq; patet*
*Delphos Delonq; tenens.*
*Fata canens*
*Deus qui citharam neruis, qui neruis temperat arcum*
*Per quem concordant carmina neruis.*
*Mouens Aoniam lyram*
*Non ſegnis ad citharam, arcum.*

*Stans*

*Stans pro Troia.*
TIB. *Formoſus, mitis*
*Carminis auctor*
*Intonſa coma ſuperbus*
*Latonæ filius atq; Iouis.*
PROP. *Pythius, Palatinus, Laucadius, Lycius*
*Deus intonſus, longa veſte.*
*Genitor Orphei*
*Sonans carmina*
*Palla ſpectabilis aurea*
*Deus vatum*
*Medicæ repertor opis.*
*Troiæ munitor.*

APRILIS.

*Menſis quartus*
*Veneris menſis, Cythereius*
*Et vatem & menſem ſcis Venus eſſe tuos*
*A' Venere hic magna deſcendit origine menſis*
*Menſis, quo Venus celeberrima.*

APVLEIA.

*Arida*
*Iapygia*
*Dauni arua*
*Meſſapia arua.*

AQVILO, ſeu Boreas.

*Certus, commotus.*
*Gelidus, ſiccus, ſæuus, improbus, furens.*
*Aeolijs clauſus in antris, Alæ Aquilonis, Ortus Aquilonis.*
*Threïcius, Sithonius.*
*Feriens tecta, rapiens tecta*
*Aequans humo turres*
*De rapidis ventis immanſuetiſſimus.*
PROP. *Flabra Boreæ*
*Raptæ timor Orithiiæ.*

ARABES.

*Palmiferi, thurilegi,*
*Panchæi*
*Panchæa rura*
*Gens odorifera.*
TIB. *Eoi*
*Tener Arabs*

*a* *Terra*

*Terra diuite.*

PROP. *Multi paſtor odoris Arabs.*

ARACHNE.

*Idmonia, Idmonis.*
*Pater cui Colophonius Idmon*
*Mæonis, Mæonia virgo.*
*Lyda*
*Orta domo parua.*
*Habitans Hypæpis.*

ARCADIA.

*Arcadia iuga*
*Lyrcæa arua*
*Mænalis ora*
*Tellus Erymanthidos vrſa*
*Gelidi montes*
*Parrhaſius lar*
*Luna credita terra prior*
*Gens ortu prior luna*
*Tellus proxima ſideribus*
*A' magno Arcade nomen habens.*

ARCAS.

*Magnus*
*Lycaoniæ proles ignara parentis.*

ARCHILOCHVS.

*Repertor pugnacis Iambi*
*Frater Meduſæ*, propter conuicia.
*Exitium cui lingua proterua fuit.*

ARCTOPHYLAX

*Tardus*
*Vrſæ cuſtos.*
*Formam terga ſequentis habet.*
Vide, *Bootes.*

ARCTI.

*Gelidæ, geminæ, ſiccæ*
*Arcti æquoris expertes, immunes*
*Proxima ſigna polo.*
*Publica ſidera*
*Liquidi immunia ponti*
*Inuicta Aquilonibus Arctos.*
*Arctos Mænalia, Lycaonia, Parrhaſis*
*Parrhaſides ſtellæ*
*Parrhaſis vrſa micat gelido polo.*

*Helice,*

*Helice, et qua Tyrus vtitur, Arctos.*

ARDEA, vrbs.

*Potens.*

AREOPAGVS.

*Mauortis arx*
*Sacrũ Mauortis aruum.*

ARETHVSA, fons.

*Frigida, ſacra*
*Piſea, Arcadica, Trinacria*
*Caput Eleis Alpheias extulit vndis*
*Quæ vomit totidem fluctus, totidemq́ꝫ reſorbet.*

ARGIRIPPA.

*Maxima mœnia*
*Diomedis vrbs.*

ARGOS.

*Securum*
*Iunonium*
*Abanteum.*

ARGONAVTAE.

*Audaces*
*Minyæ*
*Pegaſæa carina*
*Turba Graia, corpora Graia*
*Iuuenes Pelaſgi.*

ARIADNA.

*Libera*
*Creſſa puella*
*Minois, Minoia virgo*
*Gnoßis Theſeio crimine facta Dea.*
*Quæ dedit ingrato fila regenda viro*
*Bacchi Gnoßias vxor. Et Gnoßida Bacchus amauit*
*Bacchis coniunx redimita corona, Præradiat ſtellis ſigna minora ſuis*
*Perenni ſidere clara*
*Aurea per ſtellas nunc micat illa nouem.*
TIB. *Gnoßia*
*Theſææ periuria linguæ Fleuiſti.*
PROP. *Dædaleum lino qua*

*no quæ duce iecit iter.*
*Sidereæ tuta corona comæ.*

A R I O N.

*Vocalis*
*Carmine tenens aquas currentes.*

A S C A N I V S.

*Iulus, Binominis, formoſus.*
*Dardanius.*

A S I A.

*Florens, finibus immenſis*
*Viris diues, diues abundat equis*
*Qua nulla beatior ora.*

A S S Y R I A.

TIB. *Diues, pinguis.*

A S T Y A N A X.

*Hectoreus puer*
*Iliaca miſſus ab arce puer.*

A S T Y P A L Æ A.

*Aſtypaleïa regna*
*Cincta piſcoſis vadis.*

A T A L A N T A.

*Fugax, velox.*
*Schœneia*
*Schœnei pulcherrima virgo.*
*Tegeæa, Mænalia, Nonacria, Nonacrina*
*Tribus pomis tardior facta*
*Quæ propero curſu vicerat antè procos*
*In pecus verſa.*

A T H A M A S.

*Improbus*
*Aeolides*
*Gener Draconum.*

A T H E N Æ.

*Claræ, doctæ*
*Arx Tritonidis, Vrbs Tritonidis ſacra*
*Arx Mineruæ, grata humus Mineruæ*
*Palladis arces, Palladiæ arces, dictæ à Pallade terræ*

*Vrbs*

*Vrbs Mopſopia*
*Cecropia arx, vrbs*
*Muri Cecropij, Cecropidis tellus*
*Erechteæ arces, Erechtea domus. Pandioniæ. Actææ arces.*
*Actæa arua, terra Attica. Pyreæa littora, Cecropij portus.*
PROP. *Theſea vrbs.*

ATHENIENSES.

*Cecropidæ, Mopſopij, Erechtidæ, Actæi.*
*Quos Mæra nouo latratu terruit.*

ATLAS.

*Magnus, validus, cœlifer Iapetionides*
*Humeros oneratus Olympo*
*Aethereum qui fert ceruicibus axem*
*Ceruicem cœlo ſuppoſiturus Atlas*
*Hercule ſuppoſito ſidera fulcit Atlas*
*Qui ſolis anhelis æquora ſubdit aquis, et feſſos excipit axes.*

ATHOS.

*Altus, arduus*
*Multa grandine canus*
*Frondes alpibus addens*
*Quot lepores in Atho.*

ATRAX.

*Doſithoës pater.*

ATREVS.

*Crudus*
*Pelopeius*, à patre.
*Tantalides*, ab auo.
*Clara fugans flumina*
*Qui trepidos à dape vertit equos.*

ATYS.

*Facie ſpectabilis*
*Phryx, Berecynthius, Cybeleius, Indus*
*Quem flumine Gange Edita Limniace, vitreis peperiſſe ſub vndis Creditur.*

*Neq; fœmina neq; vir*
*Cui ſubitò ſigna relicta viri*
*Venator, Phrygia quem pinus morte peremit.*
*Qui ſecuit ad Phrygios vilia membra modos.*
*Qui quatit molli tympana rauca manu.*

AVENTINVS mons.

*Iugum Auentinum*
*Auentina arx.*

AVGVSTVS.

*Auguſti prouida cura*
*Ortus ab Aenea, pater hominum*
*Vltor. Caput Auguſtum*
*Sanctus pater patriæ, pater optimus, ſacer, maximus, mitiſsimus, altus, pius, inuictus.*
*Iugurthino clarus Cimbroq; triumpho.*
PRO. *Mundi ſeruator*
*Auguſti virtus, Auguſti gloria*
*Hectoreis maior auis*
*Magnus in armis*
*Vir æquans ſuperos, Dijs acceſſurus*
*Aeterni numina Cæſaris*
*Sacrati prouida cura ducis.*

AVRORA.

*Auroræ lumina.*
*Eos. Sapiens, diua.*
*Pallantias. Præuia lucis*
*Pallantidos ortus*
*Tithoni coniunx*
*Phrygiis Aſſarici coniunx Tithonia.*
*Nurus Laomedontis*
*Lutea mater Memnonis*
*Extrèmum noctis quæ Dea finit iter*
*Memnonis in roſeis lutea mater equis*
*Croceis genis*
*Roſeo ſpectabilis ore*
*Roſcida croceis capillis*
*Diem equis croceis portans*
*Croceis inuecta rotis*
*Quæ luce noua noctis cōfinia*

*ſinia ſeruat*
*Fugatura noctem*
*Flaua pruinoſo quæ vehit axe diem.*
*Iungens equos luciferos.*
*Vdis veniens capillis.*

AVSTER.

*Notus*
*Noti Aeolij*
*Lenis, aquaticus, pluuius, imbrifer, procelloſus, nubilus, frigidus, præfrigidus, tepidus, calidus, præceps, non æquus, fortis, aquas fundens, Hyadas hauriens*
*Inſanæ vires Auſtri*
*Nubibus aßiduus*
*Prælia gerens.*
TIB. *Hibernus.*
*Fundens aquas gelidas.*
PROP. *Sæuus,*
*Dubius.*
*Atra nube.*

AVTOLYCVS.

*Alipedis de ſtirpe Dei, propago verſuta*
*Furtum ingenioſus ad omne.*

AVTOMEDON.

*Curribus & lentis aptus habenis.*

## B.

BACCHAE.

*Mænades, Iſmariæ, Threiciæ*
*Auſoniæ. Latiæ*
*Cohors Baccho concita, Thyrſo concita*
*Referens triëterica Baccho.*
*Fuſis barbara turba comis*
*Quas pampinea tetigiſſe bicorniger haſta Creditur.*
*Bacchi furijs Eleleides actæ*
*Concita Baccha Deo.*
PROP. *Sæuæ.*

BACCHVS.

*Liber, vltor*
*Intonſus, indetonſus, puer, iuuenisq́;*
*Bonus, lenis, venerandus, tener, mitis, placatus, candidus, pulcherrimus.*
*Mite Deûm numen*
*Corymbifer, racemifer, corniger, bicorniger, inſignis cornu*
*Redimitus hedera capillos, Pampinea bicorniger haſta*
*Racemiferis frontem circundatus vuis*
*Bis genitus*
*Satus iterum*
*Bimater*
*Ignigena*
*Ortus in igne*
*Raptus ab igne*
*De pellice natus*
*Semeleïa proles*
*Progenies Iouis*
*Inſutus patrio femori*
*Bromius, Lyæus, Nyſæus, Thyoneus, Lenæus, Iacchus, Nyctelius, Eleieus, Euan, Euhyus, Aonius, Aemonius, Ogygius.*
*Inuenti præmia mellis habens*
*Genialis conſitor vuæ,*
*Vuæ commentor*
*Repertor vitis, Repertor vini*
*Alumnus Sileni*
*Releuans curas*
*Colla premens Lyncum*
*Lyncas dedit India Baccho*
*Bacchi tigres capiſtrati.*
TIB. *Conditor vuæ*
*Proles Semeles*
*Bacchus Maroneus.*
PROP. *Docta cuſpide Indica Nyſcis arma fugata choris.*

BATTVS.

*Diues opum*
*Lingua læſus ab ipſe ſua.*

BATTVS poëta.

*Clarus Iambis.*

BELI-

### Belides.

*Sorores ſæuæ, fortes, armatæ, Inachides.*
*Parare necem miſeris patruelibus auſæ*
*Parare ſuis lethum patruelibus auſæ*
*Exulis Aegypti, turba cruenta nurus*
*Preſſæ aſsidua aqua*
*Gerentes humeris aquas perituras.*

### Bellerophon.

*Chimeræ domitor*
*Exitio facies cui ſua pænè fuit*
*Qui ab equo præceps in campis Alæis decidit.*

### Beroe.

*Epidauria*
*Semeles nutrix.*

### Biblis.

*Miletis*
*Phœbeia.*
*Cyanes filia.*
*Correpta cupidine fratris*
*Soror Cauni*
*Laqueo fortiter vlta nefas.*

### Boeotia.

*Bœotica tellus*
*Aonia humus.*

### Bootes.

*Piger. Inter Triones flectit obliquo plauſtrum temone Bootes.*
PROP.. *Segnis verſare boues & plauſtra.*
Vide *Arctophylax.*

### Boreas.

*Boreæ opus.*
*Triſte furens*
*Præceps, trux, horrifer, gelidus, tepidus*
*Threicius*
*Inſonans alis*
*Bacchans ab arcto*
*Qui triſtia nubila pellit*
*Qui terras grandine pulſat*
*Cuius concurſibus inſonat aër*

*Solicitans manes, totumq́; tremoribus orbem.*

PROP. *Boreæ flabra*

*Crudelis*

*Raptor Orithyïæ.*

BRYSEIS.

*Facies Briſeidis*

*Abducta, rapta*

*Lyrneßis.*

PROP. *Formoſa.*

BRITANI.

*Aequorei*

*Virides.*

BROTEVS.

*Qui dedit incenſæ membra cremanda pyræ.*

BRVTVS.

*Doctus*

*Stulti ſapiens imitator.*

BVTES.

*Penthides*

*Proles Lycurgi.*

BVSYRIS.

*Sæuus, triſtis*

*Frater Antæi*

*Clauſos in ære viros vrens*

*Qui exemplis occidit ipſe ſuis*

*Quo ſanguine debuit, aras tinxit.*

BVTHROTVS, vrbs Epiri.

*Regnata vati Phrygio.*

C.

CACVS.

*Ferox, ferus.*

*Pater monſtri Mulciber huius erat*

*Horrendũ Tiberino gurgite monſtrum.*

*Auentinæ timor atq; infamia ſiluæ*

*Ipſe ſuo mactatus in antro*

*Proditus incluſæ Cacus ab ore bouis.*

CADMVS.

*Ageno-*

*Agenorides*
*Agenore natus*
*Sidonius hoſpes*
*Linquens mœnia Sidonia*
*Gener Draconum*
*Soceri cui Marsq́ue Venusq́ue*
*In Aonia qui ſtetit exul humo*
*Cui animus telo præſtantior omni*
*Qui poſuit Phœbeis ſortibus vrbem.*

CAEA, inſula.

*Antiqua, mari Aegeo cincta*
*Corycijs quondam celeberrimà Nymphis.*

CAENAEVS.

*Perrhœbus, Elatheius, Atracides*
*Factis inclytus*
*Othryon qui incoluit.*
*Natus fœmina. Modò vir, modò fœmina Cæneus.*

CAENIS.

*Proles Elateïa*
*Theſſalidum virgo pulcherrima*
*Popularis Achilli.*

CAEVS, gigas.

PRO. *Cœloq́ue minantem Cæum.*

CAIETA.

*Aonia nutrix*
*Nutricis habentia nomen Littora*
*Quam tumulauit alumnus.*

CALAIS.

*Iuuenis Aquilone creatus*
*Multa perpeſſus claro ſub Iaſone.*

CALAVREA, inſula.

*Calaurea Ladaidos arua*
*In volucrem verſi cum coniuge, conſcia regis.*

CALCHAS.

*Theſtorides*
*Veri prouidus augur.*

CALYSTO.

*Lycao-*

*Lycaonia, Lycaonis, Nonacrina, Tegeæa, Parrhaſia, Parrhaſis.*
*Grata Triuiæ.*
*Miles Phœbes.*
*Pars chori ſacri Dianæ.*
*Liquidis quæ caret Arctos aquis.*
*De ſanguine nata Lycaonis.*

CALLIMACHVS.

*Battiades, poëta Clarius*
*Cui Lyde dilecta*
*Non inimicus amori*
*Cui exiguo volucris deuota libello eſt.*
PROP. *Inflatus*
*Callimachi manes.*

CALLIOPE.

*Prima ſui Calliopea chori.*

CALLISTHENES.

*Qui incluſus cauea necē paſſus eſt.*

CALYDNE.

*Facunda melle.*

CALYDON, vrbs.

*Inuiſa Dianæ*
*Oenei agri.*

CAMBYSES.

*Qui Iouis Lybici templū violauit.*

CAMERINVS, poëta.

*Qui domito canit ab Hectore Troiam.*

CAMOENAE.

*Aoniæ.*

CAMPANIA.

PROP. *Pinguis.*

CANACE.

*Aeolia virgo, Aeolis*
*Soror Macarei*
*Nobilis amore fratris*
*Vxor fratris, nupta fratri*
*Nimium proiecta.*

CAPANEVS.

*Satus Hipponoo*

*Notus*

*Notus factus de fulminis ictu*
*Qui ferienda coruſcis Fulminibus Capaneus impauida ora dedit*
*Iouis telo necatus*
*Qui cecidit ſubito temerarius ictu.*

CAPHAREVS, mons.

*Durus, importunus*
*Euboicæ cautes.*

CAPITOLIVM.

*Capitolia aurea*
*Arx Iouis, Solium magni Iouis.*

CARTHAGO

*Alta, noua*
*Carthaginis arces*
*Annoſæ noua mœnia terræ*
*Mœnia latè patentia*
*Tyria vrbs*
*Punica humus*
*Finitimis inuidioſa locis.*

CASSANDRA.

*Phœbas*
*Antiſtita Phœbi, vates*
*Priamides*
*Verax vaticinata*
*Serua Mycenæo eſt Phœbas amata duci.*
PROP. *Verax, Iliaca.*

CASTOR, POLLVX.

*Leda nati*
*Fratres gemelli.*
*Fratres Helenæ*
*Amiclæi*
*Tyndaridæ gemini præſtantes cæſtibus alter Alter equo*
*Tyndaridæ fratres, hic eques, ille pugil*
*Fœcundæ ſidera Ledæ*
*Gemini cœleſtia ſidera fratres*
*Ledæi fratres, de gente Deorum*
*Ledæi concordia ſidera fratres.*

CATVLLVS, poëta.

*Doctus,*

*Doctus, laſciuus.*

CAVCASVS.

*Caucaſea rupes*
*Saxa prometheo cruore madentia.*

CAYCVS, fluuius.

*Myſus, Teuthranteus.*

CAYSTER, fluuius.

PROP. *Oloriger.*

CENCHRAE.

*Corinthiacæ.*

CENTAVRI.

*Semiuir*, pro centauro, quia parte media equino corpore.
*Nubigenæ, Ixione nati*
*Sæui, feri, ſemihomines, ſemiferi, bimembres*
*Populus biformis*
*Quadrupedes homines*
*Malè confiſum pedibus formaq́ bimembri Pulſum Theſſalicis agmen equeſtre iugis.*

CEPHALVS.

*Aeolides, clarus ſiluis*
*Cyllenia proles*
*Roſeæ præda Deæ.*

CERAVNIA, montes.

*Violenta ſaxis.*

CERBERVS.

*Echidneæ è dentib. ortus*
*Tria Cerberi ora*
*Forma triplex Cerberi*
*Canis vipereus, tergeminus*
*Meduſæus*
*In canes totidem trunco digeſtus ab vno, Implicitis angue micante comis.*

TIB. *Niger*
*Serpentum Cerberus ore*
*Canis anguinea redimitus terga caterua*
*Cui tres ſunt linguæ, tergeminumq́ caput.*

PROP.

PROP. *Improbus*
*Qui tribus infernum cuſtodit faucibus antrum*
*Colla latrantia canis.*

CERCYON.

*Corpora Cercyonis manu Theſea pereuntia*
*Cuius lethum vidit Cerealis Eleuſis*
*Corpora cuius vidit pereuntia Ceres vultu læto.*

CERES.

*Alma, pia, flaua, tædifera, ruricola, munifica*
*Iouis ſoror*
*Mater frugum*
*Frugum genitrix*
*Diua potens frugum*
*Flaua comas, frugum mater mitiſsima*
*Dea fertilis. Quæ cauſam præbet frugibus*
*Pacis alumna.*

CEYX.

*Trachynius, Oeteus*
*Lucifero genitus*
*Lucifero genitore ſatus*
*Illo genitore creatus, qui vocat auroram*
*Patrium nitorem ore ferens*
*Sidereus coniunx, tyrannus*
*Cui viſæ frater & vxor aues.*
*Halciones coniunx.*
*Frater Dedalionis.*

CHALCIOPE.

*Soror Medeæ.*

CHARAXVS.

*Sapphûs frater*
*Victus meretricis amore.*

CHARON.

*Auidus, ſquallidus, auarus.*
TIB. *Stygiæ nauita turpis aquæ.*
PROP. *Senex toruus*
*Nauita Pias hominũ qui traijcit vmbras*
*Portitor inferorum.*

CHARYBDIS.

*Dira,*

*Dira, auida, irrequieta*
*Ratibus inimica*
*Nauibus ſaturata*
*Zanclea, Panchæa.*
*Aduerſa Charybdi*
*Auſtro agitata*
*Vomens epotas aquas*
*Fundens et ore receptans*
*Effuſas aquas.*
TIB. *Violenta.*
PRO. *Vaſta.*

## CHAERILVS, poëta.

*Non profecturæ conditor hiſtoriæ.*
*Paſſus necem.*

## CHIOS.

*Chiæ telluris ora.*

## CHIRON.

*Senex iuſtus*
*Iuſtiſſimus*
*Geminus, Biformis*
*Semiuir, Semifer*
*Flaui corpore miſtus equi*
*Phyllirides*
*Phyllirius heros*
*Aeacidæ præceptor*
*Qui cithara perfecit Achillem.*
*Bis ſeptem ſtellis cinctus corpora.*

## CILICES.

*Feri, Tmolia terra.*
TIB. *Intonſi, Tauri accolæ.*

## CIRCAEVM.

*Circæa tellus*
*Littora Circes*
*Infamatæ tecta deæ*
*Colles herboſi.*
*Quod adhuc Circes nomina littus habet.*

## CIRCE.

*Dira, pauida, infamata.*
*Titania, Titanis, Sole ſata, Solis nitidi filia.*
*Telegoni parens*
*Vertendis nata figuris*
*Aeæa venefica*
*Prodigioſa Circes atria variarum plena ferarum.*

TIB. *Docta.*

CLEOPATRA.

*Aegyptia coniunx.*
PRO. *Regina Canopi.*
*Meretrix.*
*Auſa Tiberi ferre minas.*

CLYTEMNAESTRA.

*Helenæ ſoror.*
*Agamemnonis vxor.*
PROP. *Propter quam tota Mycenis Infamis ſtupro ſtat Pelopea domus.*

COLCHOS.

*Colcha littora, Manus Colcha*
*Terra Phaſiaca. Patria Phaſidis*
*Regna beata. Graijs Phaſi petita viris.*
*Ponti qua plaga læua iacet*
*Vltima ponti.*

CORALLI.

*Flaui.*

CORCYRA, inſula.

TIB. *Phæacia.*

CORINTHII.

*Gens orta Corintho.*

CORINTHVS.

*Ephyre, Pirenis*
*Bimaris. Aere nobilis*
*Mœnia inter portus inæquales.*
*Quà duo porrectus longè freta diſtinet Iſthmos.*

CORONIS.

*Lariſſæa.*

CORYBANTES.

*Idæi*
*Qui ſub Idæ tympana colle mouent.*

COS.

*Euripyli vrbs.*

CRANTOR.

*Altus*
*Armiger patris Achillis.*

CREMERA, fluuius.

*Rapax, turbidus.*

CREON.

*Magnus*
*Opes Siſyphiæ.*

CRETA.

*Mendax.*
*Cretea humus.*
*Dictæa rura, Minoïa, Lyctia.*
*Gnoßia caſtra, Gnoßiacæ rates, Gnoßiacum regnũ, Gnoßia humus*
*Phæſtia tellus.*
*Curetis terra*
*Creſſea regna*
*Iouis inſula*
*Iouis incunabula*
*Puero cognita terra Ioui*
*Tellus iuſto regnata Minoi*
*Quæ centum ſuſtinet vrbes*
*Centũ digeſta per vrbes.*

CREVSA Corinthia.

*Ephyrea*
*Nata Creontis.*
*Compreſſa corona Phaſiaca.*

CREVSA Troiana.

*Formoſi mater Iuli.*

CROESVS.

*Diues*
*Opulentia Crœſi*
*Qui vitam, captus ab hoſte, tulit.*
PROP. *Lydus.*

CROTON.

*Magnus*
*Herculeus hoſpes*
*Crotonis nec inhoſpita tecta.*

CVMAE.

*Euboica vrbs.*

CVPIDO.

*Aureus, volucer, volatilis, leuis, paruus, impiger, mollis, blandus, apertus, nudus, ambitioſus, ſæuus, laſciuus.*

*Phare-*

*Pharetratus puer, præpes*
*Filius Veneris. Natus dea, natus volucer*
*Toto qui volat orbe: vaſto perſugus orbe*
*Habens ſine ſordibus annos,*
*Habens nullas veſtes, habens faces. Multò ventoſior alis.*
*Incerta Cupidinis aura.*
*Res immoderata Cupido.*

CVRTIVS Romanus.

*Eques merſus in voragine medij cœni.*

CYANE.

*Filia Mæandri*
*Inter Sicelidas Cyane pulcherrima*
*Præſtanti corpore nympha.*

CYBELE.

*Cybeleia mater, Mater Phrygia*
*Idæa parens*
*Cæleſtis mater.*
*Dea priſca.*
*Dea magna: magna parens*
*Alma genitrix fœcunda Deorum*
*Turrigeram frontem Cybele redimita coronis.*
*Turrigera caput onerata corona*
*Phrygijs exululata medis.*
PROP. *Sacra, dea turrita.*

CYCLADES.

*Sparſæ Aegæo.*

CYCLOPS.

*Immitis, ferus, immanſuetus, terribilis, horrendus.*

CYGNVS.

*Stheneleïa proles*
*Contemptor ferri*
*Nullo forabilis ictu.*

CYGNVS, fluuius.

*Lucidus.*

TIB. *Cæruleus, lenis*
*Vndis tacidus*
*Placidis aquis.*

CYLLENE, mons.

*Vertex Cylleneus*
*Cupreßifera Cyllene.*

CYMETHO.

*Pterelæ filia*
*Capiti non fida parentis.*

CYMOLVS.

*Cretoſa rura Cymoli.*

CYNAPES, fluuius.

*Voluens ſaxa.*

CYRENE.

*Cœrula*
*Genitrix Ariſtæi.*

CYTHERA.

*Veneri ſacra.*
*Aqua Cytheriaca.*

CYZICOS, vrbs.

*Aemoniæ gentis opus.*

# D.

DAEDALION.

*Lucifero genitus*
*Pater Chiones*
*Conſors Cæycis*, pro fratre.
*Acer, bello ferox, ad vim paratus.*
*Qui gentes regesq́ ſubegit.*

DAEDALVS.

*Ingenioſus*
*Alis ceratis.*

DALMATIA.

*Montana.*

DANAVS.

*Magnus*
*Pelaſgus.*

DANAI FILIAE.

*Belides,* ab auo.
*Moliri lethum patruelibus auſæ*
*Quæ gerunt humeris perituras vndas*

*Aßiduè*

*Aſsiduè repetunt quas perdant Belides vndas*
*Belides aſsidua colla premuntur aqua*
*Sæuæ ſorores.*
*Nurus Aegypti.*
TIB. *Danai proles.*
*Veneris quæ numina læſit,*
*In caua Letheas dolia portat aquas.*

DANAE.

*Quam clauſam fœcundo impleuit Iuppiter auro*
*De Ioue facta parens.*
PROP. *Aerato Danaë circundata muro.*

DAPHNE.

*Phœbeia virgo*
*Nympha Peneis, Peneïa*
*Primus amor Phœbi.*

DARDANVS.

*Electra Atlantide natus.*

DAVLIS.

*Phocæa.*

DAVNVS.

*Iapyx*
*Appulus.*

DEIANIRA.

*Pauida, impia, nobilis.*
*Oeneis,* à patre.
*Aetolis, Calydonis,* à patria.
*Meleagri ſoror. Nurus Alcmenes. Nouerca Lami.*

DEIDAMIA.

*Scyrias puella*
*Victa Aemonio viro.*
PROP. *Scyria nec viduo Deidamia viro.*

DELOS, inſula.

*Candida, errans, erratica, leuis*
*Delia tellus.*
*Iouis inſula.*
Clario *amata deo. Vrbs Appollinea*
*Grata Latonæ, Latonia.*
*Quæ labitur in mari magno.*

Cognita in aquis Aegeis.
PROP. Languida deſertis Gnoſsia littorib.
Patria Phœbi
Ortygia.

### DELPHI.

Media orbis humus.
Oracula Phœbi tenentes.

### DEVCALION.

Promethides
Innocuus, amans æqui.
Pyrrhæ ſuccenſus amore.

### DIANA.

Sancta, verecunda, mitis, incincta, ſuccincta, agilis, fortis, triſtis, torua, ſæua, iaculatrix, pharetrata, armigera, gemellipara
Latois, Latonia, Latonigena, Phœbe.
Stirps Latonæ.
Soror Phœbi, Phœbi conſors.
Triuia, Delia, Cynthia, Titania, Dictynna, Scythica, Thoantea, Oreſtea.
Dea ſiluarum, arcu adunco, arcu præſignis, læta picta pharetra.
Feri animoſæ virginis arcus
Triplices vultus arcanaq; ſacra Dianæ.
Manu barbarica facta.
PRO. Diana Auentina
Qua nihil eſt violentius cùm ſua, quæ nolit, numina læſa videt
Lucina fauens
Affert luciferas manus.

### DIDO.

Eliſſa, Sidonis
Sichæi vxor
Miſera, miſerabilis, ſanguinolenta.
Phrygia fraude coacta mori.
Cui & cauſam mortis & enſem præbuit Aeneas
Tenens ſtrictum enſem.

DIN-

DINDYMA.

*Summa*
*Idæus collis.*

DIOGENES philoſophus.

*Sinopæus*
*Cynicus.*

DIOMEDES Aetolus.

*Profugus*
*Oenides*, ab auo.
*Tytides*, à patre.
*Aetolius heros*, à patria.
*Tytidæ Calydonia haſta*
*Sæuus in hoſte.*

DIOMEDES, Thrax.

*Threïcius rex*
*Crudus, impius, efferus*
*Threïcijs affixa penatibus ora.*
*Humano viſcere pauit equos*
*Humana qui dape pauit equos*
*Thracis equæ, humano ſanguine pingues.*
*Qui Threïcij præſepia regis Fecerunt dapibus ſanguinolenta ſuis.*

DIONYSIVS Siculus.

*Syracuſia in vrbe formidatus.*

DODONE.

*Terra Dodonis*
*Vocalis quercus.*

DOLON.

*Imbellis*
*Phrygia de gente*
*Phryx timidus.*

DORIS.

*Cœrula.*
PROP. *Formoſa.*

DREPANE.

*Qui locus curuæ nomina falcis habet.*

DRYADES.

*Semideæ*
*Duris in montibus ortæ*

*Montana numina.*

DVLICHIVM, inſula.

*Dulichij portus*
*Regnum fallacis Vlyßi.*

## E.

ECHO.

*Garrula, vocalis, reſonabilis*
*Alterna imago vocis*
*Reſonæ voces*
*Quæ nec reticere loquenti, Nec prius ipſa loqui didicit*
*Vox aduerſis collibus icta & rediens.*

ECHION.

*Clarus*
*Curru inuictus.*

EGERIA.

*Dianæ nympha*
*Numæ coniunx*
*Stagno operata*
*Dea grata camœnis*
*Errans nemori.*

ELECTRA.

*Atlantis*
*Pleias.*

ELEVSIS.

*Cerealis.*

ELPENOR.

*Miſer*
*Nimij vini*
*Vim vini non ferens.*
*Tecto delapſus.*
*Gradus nõ cautus adiens.*

EMPEDOCLES.

*Qui Trinacrij ſalijt ſuper ora gigantis.*

ENCELADVS.

*Iaculans mille lacertis.*

ENDYMION.

*Heros Latmius.*

ENIPHEVS, fluuius.

PROP. *Aemonius*
*Theſſalicus.*

ENNA.

ENNA.

*Fertilis.*

ENNIVS, poëta.

*Calabris in montibus ortus*
*Ore grauis, maximus ingenio*
*Arte carens, Arte rudis*
*Qui Lybicas arces, Romanaq́ue prælia dixit*
*Contiguus poni Scipio tibi meruit.*
PROP. *Hirſuta corona cinctus.*

EPIDAVRVS.

*Epidauria tellus*
*Epidauria littora.*

EPIRVS.

*Herbida*
*Chaonia.*

ERASINVS.

*Ingens. Argolicus.*

ERATO.

*Docta.*
*Nomen amoris habens.*

EREBVS.

*Noctis Deus.*

ERICHTHON.

*Furialis, Actorides.*

ERICHTHONIVS.

*Lemniaca ſtirps*
*De crimine natus.*

ERIGONE.

*Pia filia*
*Dolens nece patria.*
*Cuius vincula per laquei guttur ierunt.*

ERIMANTHVS, mons.

*Gelidus, cupreßifer.*
*Phocaicus.*

ERISICHTHON.

*Auidus, profanus, ſacrilegus*
*Triopeius, Theſſalus*
*Pater ſolitæ varias mutare figuras*
*Qui numina diuûm ſpreuit.*

*Qui nullus aris adoleret bonores*
*Inexpleta fame.*

ERINNYS.

*Atra, triſtis, fera, horrifera, inſana, ſanguinolenta.*

ERYPHILE.

*Talaonia.*

ERYX, mons.

*Erycis arces*
*Vmbroſus, celſus, altus*
*Zephyro ſemper apertus.*

ESAR, fluuius.

*Diuerſus.*
*Lapidoſæ Eſaris vndæ*
*Eſaris fluminis ora.*

ESQVILIAE.

*Excubias vbi rex Romanus agebat.*

EVADNE.

*Iphius.*
PROP. *Fida.*

EVANDER.

*Aduena*
*Arcas, exul ab Arcadia*
*Nonacrius heros*
*Pallantius heros*
*Latios Euander in agros Venerat.*

EVBIVS.

*Impuræ conditor hiſtoriæ.*

EVBOEA.

*Euboicus ſinus*
*Euboico corpora fixa ſi-* (*nu.*

EVENVS, fluuius.

*Rapidæ Eueni vndæ.*

EVENVS, rex.

*Torrenti flumine merſus*
*Nomina qui dat aquæ.*

EVMENIDES.

*Sorores nocte genitæ*
*Vipereæ ſorores*
*Erebeæ colubræ; Angues auidi*
*Pœnarum triplices Deæ*
*Sacro crinitæ angue ſorores*

*Nexa*

*Nexa colubris*
*Torto vittatis angue capillis*
*Carceris obſcuras ante fores ſedentes*
*Graue et implacabile numen.*

EVMOLPVS.

*Echionides, Cecropius*
*Generis clariſſimus auctor.*

EVPHORBVS.

*Panthoides.*

EVPHRATES.

*Babylonius*
*Præcinctus arundine frontem.*

EVPOLIS.

*Cui coniugij prima nox, nouiſſima vitæ.*

EVRIPIDES.

*Vates cothurnatus.*

EVROPA.

*Sidonis, Tyria*
*Agenore nata, Cadmi ſoror, Iuuenis pellex.*
*Eluſa imagine tauri*
*Vecta boue falſo*
*Simulato vecta iuuenco*
*Virginea tenuit cornua falſa manu*
*Pars cuius terræ tertia nomen habet.*

EVROTAS, fluuius.

*Frigidus*
*Tænarius.*

EVRVS.

*Præceps, proteruus, timidus, trux, indomitus*
*Aeolius, Nabathæus*
*Exercens ignem*
*Spirans valentior*
*Premens fretum*
*Truculentior Euris.*
*Capiens vires ab ortu*
*Receſſit ad auroram.*
PROP. *Sæuus.*

EVRYALVS, Troianus.

*Hyrtacidæ comes*
*Defixa cadauera trunco.*

EV-

EVRYALVS Theſſalus.

*Cuius artus auidis anguibus eſca.*

EVRYCLIA.

*Longæua*
*Nutrix Vlyßis.*

EVRIDAMAS.

*Qui ter circũ buſta Thraſilli Eſt Laryſſæis raptus ab hoſte rotis.*

EVRYDICE.

*Senis Oeagri Calliopesq́; nurus.*
*Venenato ab angue percuſſa.*

EVRYNOME.

*Gentis odoriferæ formoſißima.*

EVRYSTHENES.

*Famem paſſus*
*Legem pœnæ cui dedit ipſa parens.*

EVRYSTHEVS.

*Stheneleius*
*Arbiter iræ Iunonis iniquæ.*

EVRYTVS.

*Magnanimus heros*
*Dexamini gener.*

## F.

FABII.

*Gens Fabia*
*Gens Herculea*
*Domus meritis maxima dicta ſuis.*

FABIVS.

*Maximus*
*Sidus gentis.*

FARFARVS fluuius.

*Opacæ vndæ.*

FAVNI.

*Bicornes*
*Ruricolæ, Dij ruris*
*Numina ruris*
*Numina ruſtica, montoſa, ſiluarum.*

FAV-

FAVNVS.

*Bicornis, Corniceps, Semicaper, agreſtis.*
*Arcas, Lycæus, Mænalius*
*Quatiens cornua*
*Cornigerum Fauni caput*
*Capta verbis, dolis, inſidijs*
*Fixa telis*
*Decepta fraude, parum prudens*
*Exoranda non capienda*
*Digna Ioue viro, Digna cælo*
*Digna cultu diuite*
*Digna labore peti, petita, repetita*
*Rapta, adducta*
*Pacta merito, nupta futura viro*
*Iuncta viro, nuptura viro*
*Sibi quam non vendicat alter*
*Sedula, hilaris, agilis*
*Irata, offenſa*
*Aegra, inualida, feſſa*
*Incerta ſalutis, peritura*
*Iurata, teſtificata Deum*
*Perfida periura*
*Cognita conſpecta*
*Impar thoro*
*Melior ſpecie, melior moribus*
*Leuior ſpeculo*
*Concepta de rupe.*
PROP. *Antiqua, cana*
*Rara, externa*
*Leuis, lenta*
*Recta, periura*
*Tenera candore, non ſtulta.*

PVER.

*Aetate & amore calentes*
*Puer formoſus, facie ſpectabilis*
*Incautis nimium temerarius annis*
*Non vtilis armis*
*Infelix, rudis*
*Furto conceptus*
*Impuræ matris prolapſus ab aluo.*
TIB. *Puer tener*
*Turba tenera puerorum*
*Multa callidus arte.*
PRO. *Turba minuta*
*Laſciuus.*

PVERITIA.

*Aetas infirma*
*Aetas mollis et apta regi*
*Anni molles, teneri, primi, pueriles*
*Primum æuum.*

PVERPERA.

*Grauida*
*Laborans vtero*
*Noua miles*
*Rudis ad partus*
*Gemellipara*
*Prolem enixa gemellam.*

PVLLI.

*Tenera proles.*

PVLVIS.

*Corpora puluis*
*Pulueris hauſti cumulus*
*Puluis immundus, ſordidus, turpis, niger*
*Inanis, leuis, ſiccus.*

PVMEX.

*Multicauus, exeſus*
*Natiuus, viuus, fragilis.*

PVRPVRA.

*Fulgens*
*Tyrij colores*
*Tyrius ſuccus*
*Tyrij paratus*
*Tyrium quæ purpura ſenſit ahenum*
*Tyrio murice palla ſatura*
*Saturata murice veſtes*
*Vellera medicata Tyrio aheno*

*Tincta*

*Tincta mari Sarmatico.*

TIB. *Tincta Sidonio murice lana.*

PRO. *Oſtrini colores Purpura Pœna.*

## PYRA.

*Agger*
*Summa ſiluæ congeries*
*Extructa, accenſa, ſucceſa.*

## PYRETHRVM.

*Flauum.*

## PYROPVS.

*Flammas imitans.*

# Q.

## QVADRIIVGES.

*Sono, plauſu, fremitu calentes.*

## QVERCVS.

*Patula, glandifera, ingens*
*Dura, grauis, decidua, caua, annoſa*
*Iouis arbor*
*Chaonis arbor*
*Sacra Ioui quercus, de ſemine Dodonæo*
*Annoſo robore quercus.*

## QVERELA.

*Pia, iuſta, grata*
*Leuis, temeraria*
*Rara, multa, miſera*
*Expleta annis*
*Queſtus aniles.*

TIB. *Mœſta, ſupplex, blanda.*

PROP. *Vox querula, Iurgia querula.*
*Querela longa, ſæua.*

## QVIES.

*Requies grata, blanda, dulcis, placida, petita*
*Secura, exigua, muta*
*Quæ reparat artus*
*Quæ membra feſſa nouat*

PRO. *Mollis, iucunda, optata*
*Dura.*

# R.

RA-

RADII.

*Acuti,puri.*

RADIX.

*Medendi vtilis*
*Pigra, nigra, lenta*
*Recurua, torta, obliqua*
*Radix arborea.*

RAMVS.

*Spaciantia bracchia*
*Coma arborea, hirſuta, patula*
*Arboreæ frondes*
*Ramus patulus, opacus, altus, grauis, magnus, longus, frondoſus, plenus, bifurcus, laborans*
*Mutilatus, lapſus ab arbore*
*Adductus, curuatus ab arbore*
*Tener, recens, viridis, fulgens, paruus*
*Pandus autumni pondere*
*Curuatus pondere pomorum*
*Alumnus alienus,pro ramo inſitiuo.*

RANA.

*Viridis,mollis tergore.*
PROP. *Turgens.*

RAPINA.

*Inaudita, auida, inuidioſa.*
*Apta auido*
*Digna viro.*

RASTRI.

*Graues*
*Pecten rarum.*

RATIO.

*Rationis vſus.*

RECESSVS.

*Pulcher, marmoreus, tectus, longus.*

REGIA.

*Regia tecta, limen regis*
*Regia vaſta,celſa, diues, feſta.*

REGIO.

*Ora ignota*

*Ora,*

*Ora, tuta bello*
*Oræ, qua nulla beatior, felicior*
*Finibus immenſis vix obeunda*
*Terra barbara, diues*
*Abundans viris, equis*
*Regio dura, amara, longa, propinqua*
*Vltima mundi*
*Deuia à curſu*
*Fœta pomis & vuis.*

REGNVM.

*Pars regni*
*Sceptrum potens*
*Opes, Res, Rerum moderamen*
*Regnum magnum, ingens, longum, potens, latum, indeſertum*
*Iniuſtum, inamabile, ruſticum*
*Nobile, beatum, bonum*
*Vix ſatis aptum regi*
*Dotale, antiquum, proauitum, patruele*
*Minus aliis, minus viciis.*

PROP. *Vetus, dirutũ, dulce.*

RELIGIO.

*Priſca, antiqua.*

REMVS.

*Lignum ſulcans æquor*
*Remus pendens, demiſſus*
*Tardus, lentus, leuis, agilis*
*Remi ordinibus geminis.*

REPVLSA.

*Morte grauior.*

REQVIES.

Vide, *Quies.*

RES.

*Magna rerum molimina*
*Rerum inconſtantia*
*Res arcana, manifeſtæ*
*Priſca, noua, publica*
*Probata, cognita, obſeruata*
*Similis ficta, certa, anceps*
*Arbitrio dirimenda*
*Res malè iunctæ*

*One-*

*Oneroſa, ardua, aduerſa, miſera, dura, acerba, cogens, lapſa, læſa*
*Conſpicua, læta, conſule digna.*

RES GESTAE.

*Facta, labores, opera*
*Factis inclytus, maximus*
*Acta immania, ſegnia.*
TIB. *Temporis priſci facta*
*Humilis conditor actis.*

RETIA.

*Caßis laxata*
*Laxata foramina retis*
*Ducentia retia piſces*
*Rete fallens, nexum, cauum*
*Maculis diſtinctum.*

RETINACVLA.

*Torta, ſtupea.*

REVERENTIA.

*Decens, placido vultu.*

REVS.

*Reus ſqualidus, miſer, trepidus, confeſſus, infelix, mœſtus.*

REX.

*Rector*
*Sceptra tenens*
*Præſes rerum*
*Regium nomen.*

RHOMBVS, Piſcis.

*Adriaco mirãdus littore.*

RICTVS.

*Patuli hiatus*
*Rictus aperti, patuli, lati, modici*
*Fluidi ſanguine*
*Cerberei.*

RIMA.

*Tenuis.*
PRO. *Caua.*

RIPA.

*Margo deuexus*
*Riparum ſumma*
*Riparum iugum*
*Ripa, obliqua, fluuialis, limoſa, gelida, mollis, pendens*

*Tuta,*

*Tuta, ferox.*
*Educens ſalices.*

RISVS.

*Obſcœnus.*

RIVVS.

*Labens, lenis aquæ.*

RIXA.

PRO. *Diſsidium*
*Lites alternæ*
*Sobrius ad lites*
*Iurgia inſana, rixa turpis.*

ROBVR.

*Durum, validum, nodoſum*
*Fiſsile inutile, mollitum, labefactum*
*Innata rupibus altis robora*
*Fundatura naues.*

ROGVS.

*Flammæ rogi*
*Flammæ rogales*
*Rogus paratus, ſtructus, extructus, altus*
*Arſurus, accenſus, extinctus*
*Rapidus, auidus, tepidus*
*Suburbanus, plebeius*
*Ploratus, miſer, mœſtus*
*Rogi extremi.*
TIB. *Factus arſurus.*
PRO. *Ligna funeris.*

ROS.

*Aquæ roratæ, rorales*
*Ros cœleſtis, vitreus, viuus, ſtillans, recens.*

ROSA.

*Verna, rorata, albens*
*Pæſtana.*
TIB. *Odorata, tenera.*
PRO. *Munda ſine arte*
*Clandina, Elyſia.*

ROSARIA.

*Amœna, intacta.*
PRO. *Odorati Pæſti.*

ROSTRVM.

*Ora adunca, cornea, cornu indurata*
*Roſtra apta rapinæ*

*Roſtrum*

*Roſtrum durum, acutum, tenue*
*Aduncum, pandum.*

ROTA.

*Summæ curuatura rotæ*
*Orbis rotæ, orbes celeres*
*Perpetuum quæ circumuertitur axem*
*Fracta, diſiecta*
*Curua, celeris, feruens, rapida.*
TIB. *Celer.*
PRO. *Obliqua, effuſa.*

RVBIGO.

*Scabra, longa.*

RVBVS.

*Mordax, durus.*
PRO. *Puniceus, hirſutus.*

RVDENTES.

*Stridore ſonantes.*

RVGAE.

*Aniles, ſeruiles*
*Arans vultus.*

RVINA.

*Vetus, grauis, ingens, impendens, ventura.*

RVMOR.

*Lætus, iniquus, in ambiguo vagus*
*Velox agitatis peruolat alis.*

RVPES.

*Iuga rupis prima*
*Moles prærupta*
*Rupes alta, ardua.*

RVS.

*Silentia ruris*
*Rus ferax, bonum, geniale, paternum*
*Deuium, inambitioſum*
*Conſpiciendum, honoratum*
*Suburbanum.*

RVSTICVS.

*Ruſtica turba*
*Agreſtis, ruricola*
*Vis agreſtum. Agreſtes tardi*
*Pagus. Pagani foci.*
TIB. *Ruſtica pubes*

*Agre-*

*Agreſtis antiquus.*
PRO. *Agreſtum iuuentus.*

RVTA.

*Acuens lumina.*

# S.

SACERDOS.

*Caſtus, canus, lectus.*
TIB. *Sacerdos magna.*

SACRA.

*Dona, munera, honor*
*Officium ſacri*
*Pacales flammæ, dies ſacri, ritus ſacrifici*
*Sacra cœleſtia, pia, auguſta*
*Nefanda, fera, crudelia, temerata*
*Funebria, triſtia, iniqua, profana*
*Ficta, mentita, commenta, infecta*
*Antiqua, vetera, myſtica, arcana*
*Stata, non ſtata*
*Relicta, tradita, tuenda, peracta*
*Pontificalia, paterna, barbara*
*Marita, ſocialia*
*Iuſſa, patrij moris*
*Noua, moris noui.*

SAEVICIA.

*Grauis, ſæua; parum iuſta.*

SAGA.

TIB. *Verax, rapax.*
PRO. *Theſſala.*

SAGITTA.

*Arundo*
*Volucre ferrum*
*Volans, celeris, preſſa grauitate, tremens*
*Concita tento neruo*
*Certa, miſſa, feriens, iugulo adacta, fixa*
*Tincta, madens felle*
*Serpentis felle lita*
*Sagittæ Herculis*
*Getica, Sarmatica, Biſtonia.*
TIB. *Celeres.*

PROP. *Achæmenia, Medæ.*

SAL.

*Aequoreum, purum, amarum.*

SALES.

*Suffuſi felle.*

SALICTA.

*Cana, denſa.*

SATVS.

*Agreſtis, motus, aptus, lenis.*

SALTVS.

*Aſſueti, ſecreti, venantibus apti.*

SALVS.

*Stabilis, miſſa verbis, præpoſita*
*Dulcis, rata, conceſſa.*

SALIX.

*Frondes ſalignæ*
*Lentæ ſalicis virgæ*
*Salix curua, vmbroſa*
*Amnicola.*

SANGVIS.

*Cruor purpureus, puniceus, rutilus, niger, ater*
*Sanguineæ guttæ*
*Calidus, tepidus, largus, lethifer*
*Amiſſus, remiſſus, craſſus, concretus*
*Generoſus, ferox, fortis, votiuus*
*Infectus, ſceleratus, iniuſtus, immitis*
*Virgineus, humanus, equinus.*

SAPOR.

*Triſtis, dulcis.*

SARCINA.

*Magna, parua, grata, ſubeunda.*

SARGVS.

*Notis inſignis & alis.*

SARISSA.

*Macedonia.*

SATA.

*Teneris lactentia ſuccis.*

SAXATILIS.

*Paruo ore, viridis ſquamis.*

SAXVM.

*Saxea moles*
*Saxum viuum, durum, arens, aſperum, ſurdũ*
*Altum, ingens, vaſtum, graue*
*Acutum, præruptum, præceps*
*Triſte, ferum, ſæuum*
*Cauum, concauum, latebroſum, gelidum.*
PRO. *Deſertum, ſcabrum, frigidum*
*Saxa* Contaurica.

SCAMNVM.

*Longum, cauum.*

SCAPVLAE.

*Alta.*

SCARVS.

*Mitis. Expaſtas ſolus qui ruminat eſcas.*

SCELVS.

*Miniſterium ſceleris*
*Culpa in* Deos.
TIB. *Factum triſte, turpe, nefandum*
*Facinus malum.*
PRO. *Scelus magnum.*

SCENA.

*Magna, grandis, leuis.*

SCEPTRVM.

*Capulus regni, Sceptri grauitas*
*Summa ſceptri dati*
*Longè potens, regale, ſacrum, ſacratum*
*Gemmans, aureum, eburnum.*

SCOPVLVS.

*Scopulus raucis adeſus aquis*
*Altus, immanis, immobilis*
*Aequoreus, quem vaga pulſat aqua.*

TIB. *Inſanis cautes obnoxia ventis*
*Naufraga, quam vaſti tunderet vnda maris.*
PROP. *Scopuli acuti.*

SCORPIVS.

*Circuitu curuans ſua brachia longo.*

SCORPIVS piſcis.

*Durus*
*Nociturus ictu capitis.*

SCRIPTA.

*Regalia*
*Digna legi principe*
*Contraria legum*
*Canenda foro*
*Pernicioſa, Barbariora loco.*

SCVLPTILE.

*Simulatum corpus*
*Ora falſa.*

SCVLPTOR.

*Qui facit docta mollia ſaxa manu.*
PROP. *Quem vindicat arte lapis.*

SCYPHVS.

TIB. *Faginus.*

SECVRIS.

*Grauis, adducta*
*Amazonia, Ex adamante facta.*

SEDES.

*Sacra, alta, patria, votiua.*

SEDILE.

*Altum, ſublime*
*Factum de viuo ſaxo, Sella curulis, ſculptile dentis opus.*

SEDITIO.

*Turbida, recens*
*Ira publica.*

SEGES.

*Alimenta mitia*
*Cereris munus, Dona Cereris*
*Cereales herbæ*

*Ceres in ſpicis*
*Ceres aduſta gelu, læſa grandine ſeges*
*Arentes Cereris ariſtæ*
*Maturæ ariſtæ, canæ ariſtæ*
*Segetis canæ ſtãtes ariſtæ*
*Culmi vdi, Pabula cana*
*Humus reſecanda falce*
*Spes anni, ruris opes*
*Frugiferæ meſſes, Meſſes accenſæ*
*Seges ſcabræ rubiginis expers*
*Fertilis, alta, læta, vber, tenera, creſcens, valida, triticea*
*Pinguior æquo, diuitijs luxurioſa ſuis*
*Impulſa aquilonibus*
*Cinyphia.*

SEMEN.

*Cereale, rude*
*Iactum, obrutum, conceptum, nutritum ſolo, viciatum, toſtum, contrarium.*

SENATVS.

*Grauis, prudens, lectus, ſanctus*
*Turba ſenatus*
*Turba patrum*
*Patres verendi.*

SENECTVS.

*Anni ſeri*
*Canum caput*
*Ruga ſenilis*
*Infirma ætas, longa ætas*
*Sera & ſapientior ætas*
*Aetas magiſtra*
*Amara ſenectæ pondera*
*Alba, nuda, cana, occidua*
*Pigra, ægra, tarda, curua, ſpacioſa*
*Damnoſa, inops carioſa*
*Paſſu non faciens ſtrepitum*
*Adimens vires.*
TIB. *Caput canum*
*Aetas iners*
*Senecta rugoſa.*
PRO. *Ruga vitæ ſeueræ*
*Aetas grauis*

*Anni tremuli*
*Senecta longa, longæua*
*Tithoni, Neſtoris.*

SENEX.

*Inutilis annis*
*Longis conſumptus ab annis*
*Senex annoſus, diuturnus, grandæuus, antiquus, infirmus, inops*
*Sapiens, iuſtus, placidus.*

SAPIENTIA.

*Prudens animi ſententia*
*Exornata figuris*
*Excuſſo felix ſententia torno*
*Dubia, certa, fida, candida*
*Iniuſta, triſtis*
*Fracta, cadens more ruinæ.*

SENSVS.

*Amarus, attonitus.*

SENTES.

*Tantùmodo lædere natæ.*

SEPIA.

*Tarda fugæ.*

SEPES.

*Alta, longa.*

SEPTENTRIO.

*Axis gelidus*
*Septem triones*
*Gelidi triones.*

SEPVLCHRVM.

*Aedes marmorea*
*Marmor tumuli*
*Humus ingeſta*
*Vrna arcta*
*Buſtum cauum*
*Sepulchrum antiquum*
*Sculptum titulo breui*
*Dignum officijs*
*Socium, patrium, mæſtum, reſeratum.*
PROP. *Humus ſuggeſta.*
Vide, *Cenotaphium.*

SERA.

*Rigida, firma, oppoſita, dempta.*

SE-

## SERIES.

*Series laborum*
*Nota, æterna, immenſa.*

## SERMO.

*Togatæ munera militiæ*
*Grauitas forenſis*
*Ars operoſa, bella mitia*
*Credibilis, varius, antiquus, tardus, tectus, longus, ſocius*
*Sermo infauſto commiſſus omine*
*Graius.*

## SERPENS.

*Plenus venenis*
*Magnus, ater*
*Dentes venenati.*
TIB. *Caterua anguinea*
*Anguis fera, irata*
*Turba ſerpentum.*
PRO. *Serpens ieiunus.*

## SERTVM.

*Nouum, molle, floridum, odoratum, geniale*
*Raptum comis*
*Spiceum, laureum, myrteum.*
TIB. *Verno de flore corona*
*Serta florea, florida.*
Vide, *Corona.*

## SERVITIVM.

*Seruitij onus.*
TIB. *triſte.*
PROP. *Graue, ſuperbum, mite.*

## SERVVS.

*Fallax, diuerſus.*

## SETAE.

*Denſis ſimiles haſtilibus*
*Duræ, rigidæ, hirta.*

## SIBILA.

*Horrenda, rauca, paſtoria*
*Repetita, prænuncia.*

## SIDERA.

*Cœleſtia ſigna*
*Signa orta, ſub terras lapſa*

*Signa minora, vaga, ſumma, propinqua*
*Ignes ſiderei, diurni, nitidi, merſi*
*Aſtra alta, mota*
*Sidera cœleſtia*
*Radiantia, nitentia, aurea, clara, ſtillantia, ignea*
*Conuexa, continuata, ſociata, iuncta, cognata*
*Non obſeruata*
*Latitantia, labentia*
*Frigida, frigus habentia*
*Sidera noctis.*
TIB. *Lucida, fulua.*
PRO. *Nullis obſcura tenebris.*

## SIGNA, pro notis.

*Notæ apertæ, non ſatis occultæ*
*Fictæ, certæ, doctæ*
*Signa manifeſta, extantia, diſtantia*
*Secunda, proſpera, felicia, grata*
*Magna, parua*
*Rata, certa, incerta*
*Tegenda per nutum*
*Tecta ſupercilio.*

## SIGNA, pro imaginibus.

*Perennia, cœleſtia*
*Signa bellica, animoſa*
*Formata ſigna*
*In cunctis locis ſtantia*
*Romana, Barbara.*

## SILENTIA.

*Taciturna, muta, alta, longa.*

## SILEX.

*Rigidus, durus*
*Silicum venæ.*

## SILVA.

*Nudata cacumina ſiluæ*
*Silua vetus, antiqua, vetuſta*
*Per multos annos incædua*
*Ardua, alta, procera*
*Vmbroſa, denſa, viridis, fragroſa, ſecreta, ruſtica.*

*Opaca*

*Opaca multa coma, frequens trabibus, iugoſa, prærupta.*

SIMIA.

*Deforme animal*
*Diſsimiles homini ſimileſq́;*
*Rugis anilibus*
*Villo flauente*
*Rauco ſtridore.*

SIMPLICITAS.

*Digna fauore*
*Aeuo rariſsima noſtro*
*Nuda, rudis*
*Herculea.*

SIMVLACHRVM.

*Dij picti, Dea facta manu*
*Simulacra Deorum*
*Simulachra cerea, ſcirpea*
*Nuda, vana.*

SINGVLTVS.

*Concutiens.*

SINVS.

*Purpureus*
*Tepidus, gelidus, trepidus, cupidus.*
TIB. *Mollis, tener.*

SISTRVM.

*Sonabile, tinnulum*
*Siſtra Aegyptia.*

SITIS.

*Sicca, arens, arida*
*Immenſa, perpetua.*

SITVS.

*Turpis, immundus, piger, iners.*

SMARAGDVS.

*Viridis.*

SOCIVS.

*Fidelis.*

SODALIS.

*Iure ſodalitij iunctus*
*Fidus, non oneroſus*
*Chariſsimus, dilectus, iucundus*
*Memorandus, vetus*

*Saluus, proſtratus, lapſus*
*Memor, non dubius.*

S O L.

*Solis imago*
*Solis ortus, moræ*
*Principium Phœbi*
*Iubar nitidum*
*Fugiens, fulgens, ſerenus*
*Altior terris extans*
*Latens, propior recurrens*
*Aduerſus, grauis, inſuetus*
*Soles verni, hiberni*
*Sol preſſus nubibus.*
TIB. *Via ſolis*
*Celer, vagus, ſplendidus.*
PROP. *Currus ſolis*
*Qui æſtiuos ſpacioſus exigit ignes.*

Vide SOL, libro priore.

S O L A T I V M.

*Verba ſolantia, conſolantia*
*Solatia magna, frigida.*

S O L E A E piſces.

*Fulgentes candore.*

S O L I T V D O.

*Loca ſola.*

S O L I V M.

*Acernum, altum, regale, paternum.*

S O L V M.

*Incultum, durum, rude, vile*
*Tenerum, mite, cultum*
*Plenum harenæ*
*Dulce*
*Ducens dulcedine.*
TIB. *Solum marmoreum*
*Sarmaticum, Phrygium,*
TIB. *Cultum, pingue, plenum.*

S O M N I A.

*Simulachra, vultus*
*Quietis ſpecies*
*Imago ſomni nigra*
*Tacitæ noctis imago*
*Varias imitantia formas*
*Veros imitantia caſus*
*Formoſo candidiora die*

*Vana,*

*Vana, vera, læta, rata,*
TIB. *Viſus falſus*
*Somnus mendax*
*Imagines nocturnæ*
*Somnia temeraria, vana*
*Mala, crudelia, nigra*
*Inſomnia vera.*
PRO. *Vmbræ benignæ*
*Somnia dementiæ*
*Pijs venientia portis.*

SOMNVS.

*Munera ſomni*
*Inertia ſomni*
*Somnus pax animi*
*Placidiſsimus deorum*
*Mortis imago, quies rerũ*
*Somno grauis, languidus*
*Mollis, lenis, leuis, breuis, placidus, tener, bonus*
*Grauis, altus, immodicus*
*Ignauus, iners, pinguis*
*Adimens vires, mulcens pectora.*
*Obſtrepens, ſolutus, pulſus.*
TIB. *Somnus mollis, tacitus*
*Menti Deus vtilis ægræ*
*Fuluis circundatus alis.*
PROP. *Purpureus, recens ignauus, amarus, ingratus.*

SONVS.

*Index læticiæ*
*Tenuis, exiguus, raucus, blæſus, ſingultatus*
*Blandus, dulcis*
*Grauis, terribilis, horrendus, rigidus, impauidus, geminus, intempeſtiuus, attonitus*
*Falſus, fictus, dubius*
*Lyricus, Latinus.*

SOPOR.

*Vis ſoporis*
*Mirus grauitate ſopor*
*Grauitate ſoporis preſſus*
*Somno ſopitus*
*Sopor multus.*
PRO. *Soporis iter*
*Sopor iucundis alis.*

SOROR.

*Germana, pia, cara, bona, felix, pulchra*
*Acerba, ſæua, miſera, mœſta, proiecta*
*Conſortia corpora*
*Conſors gemellis.*

SOCRVS.

*Iniqua.*

SORS.

*Mortalis*
*Dura, mala, oneroſa, irrequieta, miſeranda, contempta*
*Sors difficilis, triſtis, ferrea, peßima rerum*
*Salutifera, bona*
*Sortes hominum oblectamina*
*Sortes ſacræ, fatidicæ, vetuſtæ*
*Phœbeæ.*
TIB. *Sacræ ſortes*

SPACIVM.

*Diſtans, patens, ingens, longum, longius anno*
*Proprius, breue, arctum.*

SPARVLVS.

*Super aurata ceruice ſulgens.*

SPECVLA.

*In latus omne patens turris*
*Turris ſumma.*

SPECVLVM.

*Mendax*
*Oppoſita ſpeculi imago*
*Imago repercuſſa*
*Simulachra fugacia.*

SPECVS.

*Exeſi ſtructura pumicis.*

SPELVNCA.

*Latebra ferarum*
*Nemorum ſecreta*
*Rupes cauata*
*Antrum ſilueſtre, decliue*
*Scabro pendens topho*
*Spelunca pumice pendẽs*
*Vix ipſis inuenienda feris*
*Longo receſſu.*

Spes

## SPES.

*Inanis, caduca, falſa, vacua, irrita dubia*
*Certa, rata, bona, non timida*
*Inconceſſa, interdicta, inuidioſa, euerſa*
*Socia, æqua*
*Magna, lenta, leuis, exigua*
*Animi timore minor*
*Mixta metu, victa timore.*
TIB. *Credula.*

## SPICA, de fruge.

*Flauens.*

## SPICA, de planta.

PRO. *Ciliſſa.*

## SPICVLVM.

*Vibratum manu miſſum*
*Curuum, acutum*
*Factum in exitium*
*Felle linitũ, felle tinctum*
*Tectum venenis.*

## SPIRITVS.

*Aetherei ignes*
*Morte carens*
*Extenuandus in auras*
*Altus, terribilis.*

## SPOLIA.

*Opima, regalia, adempta.*

## SPONSA.

*Noua nupta, noua coniunx.*

## SPVMA.

*Albida, nitens*
*Sonans, ſtridens, feruida, tumens.*

## STABVLVM.

*Stabulorum mœnia*
*Stabula alta, ſtructa ſolido ſaxo.*

## STAGNVM.

*Innabilis vnda*
*Stagnum nemorale, profundum, olens*
*Stagna Palici.*

STAMINA.

*Torta verſato fuſo*
*De vellere facta.*

STATIO.

*Clauſa, tuta.*

STATVA.

*Signum formatum*
*Simulachra diuerſa figuris*
*Inania, falſa.*

STATVS.

*Malus, flebilis.*

STELLA.

*Grauis, tangens æquor.*

STIPES.

*Annoſus.*
TIB. *Quernus.*

STOLA.

*Longa.*

STRATVM.

*Durum, altum*
*Funere dignum.*

STRITOR.

*Ferus.*

STRYX.

*Strigis infames alæ*
*Noctis aues*
*Volucres auidæ, noxæ.*

STRVCTVRA.

*Mirifica.*

STVDIVM.

*Ardens, vtile, ſacrum, commune*
*Virile, molle, paternum.*
PRO. *Studium linguæ*
*Studia ſeuera.*

STVPRVM.

*Furtum Veneris*
*Furti nota*
*Crimen recens*
*Mens furtiua*
*Opus arcanum*
*Spolium pudoris.*

SVBVLCVS.

*Immundæ cura fidelis haræ.*

SVC-

SVCCINVM.

*Ab arbore lapſæ Heliadum lachrimæ.*

SVCCVS.

*Amarus, acerbus, horrendus, niger*
*Dulcis, mitis, mixtus, ignotus.*

SVES.

*Grauidæ, ignauæ, ſetigeræ*
*Pecus ſetigerum.*

SVLCVS.

*Cerealis.*
TIB. *Flauus.*

SVLFVR.

*Alimenta pinguia flām̄æ*
*Sulfur viuax*
*Purum, calens, fumans, luridum*
*Obductum, inductum.*

SVMPTVS.

*Impenſa breuis.*

SVPERBIA.

*Damnoſa*
*Spiritus minax.*

SVPERCILIA.

*Dura, ſeuera, vibrantia.*

SVPPLEX.

*Incedens demiſsis ceruicibus*
*Genibus volutus.*

SVRAE.

*Teretes.*

SVS.

*Suis figura*
*Roſtro pando*
*Pecus ſetigerum.*

SVSPIRIA.

*Hauſti ſuſpiratus*
*Suſpiria alto ducta pectore*
*Præſaga luctus.*

SVTOR.

*Titio doctior.*

T. Tabel-

# T.

## TABELLA.

*Parua, properata*
*Picta, exacta e[illegible]re, ære.*
TIB. *Signata.*
PRO. *Docta, obſcœna.*

## TABES.

*Mortifera, æterna.*

## TABVS.

*Niger.*

## TAEDA.

*Flammiferæ pinus*
*Tæda pinea*
*Vncta, cærata, ſulfure inducta.*

## TACTVS.

*Mollis, leuis, virgineus.*

## TARTARVS.

*Tartarea vallis*
*Tartareæ vmbræ*
*Tartarei ſinus*
*Tartara nigra, tenebroſa, opaca, inania.*

## TAVRVS.

*Tauri cornua*
*Candidus, ſpacioſus, acer, furens, trux*
*Per cornua ſæuus*
*Patiens aratri, detrectans aratrum*
*Subtrahens colla iugo*
*Ductus armento*
*Tauri æripedes.*

## TAXVS.

*Funeſta.*

## TECTVM.

*Altum, ſublime, immenſum*
*Aurea tecta, digna Deo, candida*
*Vallata ſagittis*
*Nigro fumantia fumo*
*Regale, Agreſte.*

## TELA.

*Vltima pars telæ, tenui circundata limbo*
*Rarum opus*
*Tela pendula ſtans*
*Aſſidua, barbarica.*

TE-

## TELVM.

*Ferrum ſplendens, acutum, aduncum, nudū*
*Haſtile fixum*
*Iaculum acutum*
*Arundo hamata*
*Telum quod cuſpide fulget acuta*
*Obtuſum habens ſub arundine plumbum*
*Vulnificum, ſæuum, nocens, fatiferum, ferum, cruentum, noxium*
*Temerarium, non reuocabile*
*Lato vibrans ferro, iaculabile, miſsile, volatile, veniens, vulnera faciens*
*Ineuitatum, certum, non euitabile*
*Virile, forte, bellicum*
*Infeſtum, perfidum, aduerſum, protentum*
*Retuſum, obtuſum, pharetra clauſum*
*Squalens venenis, imbutum veneno, virus habens, luridum felle, atrum venenis*
*Sanguine tinctum, madens, rubens*
*Fixum, hærens, exitiabile*
*Intra muros venientia*
*Threicia, Cupidinea, Tritoniaca.*
TIB. *Aeratum.*
PROP. *Acutum, irritum.*

## TEMPERANTIA.

*Eſt virtus placidis abſtinuiſſe bonis.*

## TEMPESTAS.

*Fera*
*Maris ſæuicia, æſtus, ira*
*Hiems triſtis, inuida.*

## TEMPLVM.

*Aedes marmorea, marmore facta*
*Loca ſacra*
*Templum aureum, multo radians auro*

*Venerabile, ſacrum, antiquum, dicatum, frequens, publicum, ſacrum, conterminum, habitatum, inuium, anguſtum, operoſum, ſocium*
*Candidum, niueum*
*Innixum columnis*
*Gradibus longis ſublime*
*Templa iuncta theatro*
*Non adeunda pedibus*
*Quæ decent ſuos deos.*
TI. *Fana ſacris inſignia.*
PRO. *Templum claro marmore*
*Eburneum, ſacrum.*

## TEMPORA.

*Caua, prædura*
*Præſignia, flauentia, velata corona.*

## TEMPVS.

*Parui temporis mora*
*Noua temporis ætas*
*Priſci temporis anni*
*Dies vetus, longa*
*Aeuum futurum, dentes æui*
*Tempus edax rerum*
*Dilatum, immenſum, ſpacioſum*
*Longum, longo ſpacio diſtans*
*Paruum, breue, exiguum*
*Annuum, emeritum annis, digeſtum per annum, continuatum. abſumptum, defunctum, exactum*
*Signatum faſtis, felix & inexcuſabile*
*Temerarium, graue, durum*
*Conueniens, optabile, iucundum, ſecurum, tranquillum*
*Nouum, naſcens, maturum, primum, medium, ſupremum, nouiſsimum*
*Ceſſatum, iners, lentum*
*Matutinum, aptum precibus*
*Aptum tædis*
*Datum ſtudijs, iocis*

*Præ-*

*Præceps, præteritum, labens, futurum*
*Fœcundum, formoſum, geniale, feſtum*
*Molle, commune, interdictum, vltrò datum*
*Sollicitum, mærens, triſte, lachrimabile, nubilum*
*Nocturnum, diurnum, brumale, hibernum*
*Iuſtum, æquum, captatum, promiſſum.*
TIB. *Seculum ferreum*
*Tempus maturum*
PRO. *Durum.*

TENEBRAE.

*Obortæ.*
PRO. *Tenebræ immundæ, obductæ.*

TENOR.

*Incœptus, ſolitus.*

TERGVM.

*Tergum verſum, conuerſum, fugiens*
*Durum, cautum, ſeßile*
*Solitum, ſubiectum*
*Verbere ſectum.*

TERMINVS.

*Communis*
*Limes certus*
*Lapis de[illegible]ſſus in agro*
vide, *Terminus*, libro priore.

TERRA.

*Mundi moles operoſa*
*Fundamenta terræ*
*In orbem glomerata*
*Longus terrarum margo*
*Summus telluris margo*
*Pars terræ, latus terræ*
*Corpus, pondus, orbis, ſedes terræ*
*Sedes terræ ſolida, iners*
*Humus durata*
*Terra madida, vda, tenera, viridis, frigida*
*Terra pinguis, limoſa, harenoſa, ſterilis, ſicca, arida, tenuis, ſolida, ceſpite mollis*
*Culta, arata, plena, fœcunda, herboſa*

*Ora ſupera*
*Ferax Cerere, vuis*
*Ingenioſa colenti*
*Peregrina hoſpita, barbara, hoſtica, infeſta. cruenta*
*Deſolata, eruta, rapta, hauſta, domita, extenta, ſubdita, regnata*
*Scelerata, ſuperba*
*Circundata ponto*
*Tuta, fida, ſollicita, proſpera*
*Vilis, immunda, reſoluta*
*In media rerum regione locata*
*Hærens in margine imperij*
*Premens bello, gemitu carens, hoſte carens*
*Plena quietis*
*Pacis inops*
*Peruſta gelu, ferens niues, tecta niue*
*Niue carens*
*De fructu amœna*
*Calenti ſulfure fumans.*
TIB. *Benigna, diues.*
PROP. *Humus formoſa, ſterilis*
*Ferro & pietate potens*
*Lenta gelu, putris ab æſtu.*

TERRAE MOTVS.

*Magnus tremor terræ*
*Tremores orbis*
*Terrenus hiatus*
*Latus hiatus.*

TERROR.

*Magnus, gelidus.*

TESTA.

*Curua, lubrica, apta mero*
*Samia, Cumana*
*Ficta rota.*

TESTIMONIVM.

*Publica cæra.*

TESTIS.

*Profanus, falſus, conductus, ſine pondere*
*Pondus habens, incorruptus.*

Tha-

THALAMVS.

*Amicus, pudicus, cultus.*

THEATRVM.

*Circus capax*
*Summa theatri. Theatrum curuum*
*Feſtum, ornatum*
*Marmoreum, marmore tectum*
*Modis teneris non aptū.*

THERMAE.

*Calidi fontes*
*Quæ de calido ſulfure fumat aqua.*

THOLVS.

*Curuus.*

THORVS.

*Lectus iugalis, ſocius, ſocialis, iunctus*
*Thorus pollicitus, non exhibitus*
*Indignus, vetitus*
*Legitimus, ſacer, ſublimis, compoſitus*
*Purpureus, pictus, pullo velamine tectus*
*Vacuus, viduus, durus, mollis*
*Immundus, obſcœnus, deuotus*
*Plumeus, vnicolor*
*Fauſtus, mœſtus*
*Thorus virginis.*
TIB. *Purus, Tyrius.*
PROP. *Nouus, fidus, concors*
*Oſtrinus, Attalicus.*

THVS.

*Virga thurea, grana thurea*
*Acerra thuris, lachrima thuris*
*Sudata ligno thura*
*Merum, maſculum, flauum*
*Pium, ſacrum votiuum, debitum ſolenne*
*Irritū, impium, captiuum*
*Exorans diuos, dignum dijs*
*Faciens flammas.*

TIB. *Thus menſtruum*
*Thuris acerui, honores.*
PRO. *Blandi thuris honores*
*Thus vile, thura rara.*

THYASVS.

*Haſta Bacchi*
*Pampinea.*

THYMA.

*Grata, dulcia.*

THYRSVS.

*Haſta Iouis*
*Haſta folijs præſuta*
*Haſta frontibus velata, Frondes Pampinei*
*Thyrſi fronde virentes, frondentes*
*Thyrſus grauis, ſacer.*

TIBIA.

*Caua, longa*
*Auenæ ſtructæ, iunctæ arundines*
*Calami paluſtres*
*Multiferi tibia buxi*
*Tibia Berecynthia.*

TIB. *Phrygio tibia curua ſono*
*Mœſta, rauca, eburna.*

TIBICEN.

*Vagus*
*Turba conora.*

TIGRIS.

*Sæua, maculoſa, capiſtrata*
*Gangetica, Armenia.*

TILIA.

*Mollis.*

TIMOR.

*Magnus, ſollicitus, anxius, ſuſpenſus*
*Pauidus, conſternatus, cæcus, vanus*
*Solitus, æquus, nouus*
*Virgineus, maternus*
*Vetans officio fungi.*

TITVLVS.

*Meritis penſandus*
*Magnus, breuis, minor, facilis*
*Fructibus ingens*

*Tituli*

*Tituli innumeri.*

TOGA.

*Veſtis libera*
*Toga libera*
*Longa, extenta*
*Laxo conſpicienda ſinu*
*Filo tenuiſſima,*
PRO. *Picta.*

TONITRVA.

*Tumultus ætheris*
*Grauis fragor*
*Tonitru læuum, ſiniſtrum ingens*
*Humanas motura mentes.*

TONSOR.

*Solitus longos ferro reſecare capillos.*

TOPHVS.

*Leuis, ſcaber.*

TORMENTA.

*Crudelia*
*Tormenti vires*
*Inſtrumenta necis.*

TORQVES.

PROP. *Vnca.*

TORRENS.

*Vndis pluuialibus auctus*
*Tumidus, feruens, ſpumeus*
*Torrens, aqua breuis.*

TORRIS.

*Flagrans*
*Stipes ſemicremus.*

TRABS.

*Ingens, celſa, ſublimis, ſacra, denſa, ſuppoſita*
*Trabes innumeræ.*
TIB. *Auratæ.*

TRAGOEDIA.

*Violenta, animoſa*
*Tragici cothurni.*
PRO. *Cothurnus Aeſchyleus*
*Non humilis.*

TRAMES.

*Decliuis.*

TREMOR.

*Gelidus, ſubitus.*

TRIBVLVS.

*Aſper.*

TRIDENS.

*Cuſpis triplex, telum tricuſpe.*

TRIPODES.

*Tripodes ex ære*
*Pondere & arte pares.*

TRITICVM.

*Triticei fœtus.*

TRIVMPHVS.

*Pompa triumphi, præconia triumphi*
*Triumphi regnum*
*Triumphus partus cura, Marte*
*Magnus, magnificus, ſpectatus, ſerus*
*Clarus, præcipuus, ſacer*
*Scythicus, Cæſareus.*
TIB. *Præclarus, magnus.*
PRO. *Fœmineus.*

TROPHAEA.

*Parta, trunca*
*Trophæa belli*
*Trophæa ingenij.*
PRO. *Regia, Gigantea.*

TRVNCVS.

*Cœlebs*
*Sine palmite.*

TVBA.

*Aes canorum*
*Directi æris*
*Tuba longa, canora, fera, terribilis*
*Flebiliora tuba carmina.*
PRO. *Funeſta, querula.*

TVBICEN.

*Bellicus.*

TVMVLTVS.

*Magnus, repentinus.*

TVMVLVS.

*Tumuli ianua*
*Arduus, altus, marmoreus, auitus*

*Pro cor-*

*Pro corpore magnus.*

TVNICA.

*Texta precioſa, Illita veneno*
*Tunicæ labes*
*Tunica ſciſſa, recincta, laxa, fluens*
*Conueniens, & ſine labe*
*Grauis ab imbre.*
PRO. *Tunica demiſſa, oſtrina.*

TVNNI.

*Pauidi, magno ſugientes agmine.*

TVBRA.

*Pia, precans, fidelis, prouida*
*Impia, proterua, perfida, luxurioſa, ebria, bacchata*
*Liuida, inuidioſa, ambitioſa*
*Rudis, docta*
*Bellica, forenſis, barbara, hoſpita*
*Territa, captiua, vincta*
*Vaga, obuia, ſequens, denſa, celeberrima*
*Spolijs ditata, ſoſpes, tuta, lata.*
TIB. *Candida, inſignis*
*Arcta, iocoſa.*

TVRBO.

*Celer, rapidus.*

TVRRIS.

*Ardua, ſumma, alta, deſerta*
*In latus omne patens.*

TYMPANVM.

*Aera repulſa, tinnula concaua*
*Sonus, tinnitus æris acuti*
*Adunco tibia cornu*
*Rauca tergora*
*Tympanum cauum, raucum.*

TYRANNVS.

*Sæuus, fatalis.*

V.

VACCA.

*Bos inſana. Tarda, nitida, libera.*

VADIMONIVM.

*Garrulum.*

VADVM.

*Limoſum, gelidum, piſcoſum.*

VALLIS.

*Caua, curua, concaua, madida*
*Ima, Tartara iam tactura*
*Nemoroſa, vmbroſa, opaca*
*Denſa cupreſſu.*
TIB. *Alta.*

VALVAE.

*Apertæ, eburnæ.*

VATES.

*Conſultus, fatidicus, verax*
*Os fatidicum, Præſcia lingua.*
TIB. *Euentura videns.*
PROP. *Rerum dicens vias.*

VATICINIA.

*Monitus diuini*
*Monitus vatum*
*Res vatis cognita*
*Fatalia verba.*

VBERA.

*Lactentia*
*Ducenda palato*
*Grandia, plena, diſtenta, mama.*

VELAMEN.

*Molle, candidum, pleno villo.*

VELLVS.

*Spolium pecudis*
*Vellus lanigerum, hirſutum, aſperum, horrens ſetis*
*Exutum coſtis leonis*
*Humo ſerpens*
*Amycleis medicatum ahenis.*

VELVM.

*Carbaſa*
*Lintea procul venientia*

*Sinus*

*Sinus curuatus*
*Velum turgidum, concauum, ſinuoſum, fugax*
*Magnum, grande, ſublime, latum*
*Album, candidum*
*Sequens malos*
*Fluens malo*
*Rectum, iactatum*
*Inhoneſtum, ſecundum.*
TIB. *Vela carbaſea.*
PRO. *Linteum*
*Velorum pleni ſinus*
*Velum candidum, ſinuoſum, fluitans*
*Secundum, felix.*

VENA.

*Caua, ſaliens, plena*
*Viciata, parua, madida, deficiens, fugiens, pauper*
*Arida facta ſitu*
*Mero rediens.*

VENABVLA.

*Cornea, Lato ferro.*

VENATVS.

*Durus*
*Studium venandi.*
TIB. *Venandi cura.*

VENENVM.

*Aconita lurida, miſta triſtis cicutis*
*Oris Cerberei ſpuma*
*Tabes funeſta veneni*
*Cæca tabes*
*Lernæi tabes veneni*
*Succi atri*
*Succus veneni*
*Cantharidis ſuccus*
*Venenum nigrum, feriale, portentificum, ardens, validum, ſomniferum, impium, dirum*
*Dira commixtum manu, lethiferum*
*Colchicum, Theſſalicum, Neſſeum, Lernæum, Lerniferum.*
TIB. *Herba Theſſala*
*Succi mortiferi*
*Quicquid habet Circe, quicquid Medea veneni.*
PRO. *Toxica Theſſala*
*Pocula nigra.*

*Vene-*

*Venena trita, tetra.*

VENTER.

*Plenus, tumidus, grauidus iuſto pondere*
*Viciatus, malè moratus*
*Vorax, planus, caſtigatus*
*Carens rugarũ crimine.*

VENTVS.

*Flamina obuia, ingentia*
*Flamina maioris venti*
*Ventoſa potentia*
*Ventorum prælia*
*Venti leuitas*
*Pennæ Euri*
*Turmo cæcus, flatus magnus*
*Rapidus, celer, validus, fortis, ferox, ſæuus, animoſus, furens, rapax, ferens. crudelis æquoreus, proteruus*
*Amicus, tenuis, leuis, mobilis, ſerenus*
*Dexter, ſecundus, aptus nautis*
*Nimboſus, mixtus grandine, ſonans*
*Diſcors, iniquus, odioſus, nimium paratus*
*Coortus, ſubitus, durans*
*Agitans æquora, fremens murmure, æquoreus*
*Intermiſſus, ſubſidens, ſilens*
*Verſus, vim deponens*
*Conſtans contra vela*
*Cœlo pelagoq; fauens*
*Retinens, prohibens, vetans, morans vota.*
TIB. *Flamen incertum*
*Ventus immitis, inſanus, diſcors*
*Venti Aeolij.*
PROP. *Stridor procellæ*
*Procella rapida.*

VER.

*Noua temporis ætas*
*Tepidi tempora veris*
*Nouum, primum, tenerum, lactens, tepens*
*Cinctum corona florente*
*Pueri æuo ſimilimum.*
TIB. *Purpureum.*

VER-

## VERBERA.

Sæua, torta, crebra.
PRO. Setoſa.

## VERBVM.

Vibrata fulmine lingua
Neſtorei mellis gratia
Dicta cum fide relata
Verba ſermonis publici
Bona, ſacra, modeſta, munda, libera, ſalubria, legitima, conſtantia
Placida, amica, mollia, læta, lenia, dulcia, blanda, amantia
Obſcœna, improba, execrantia, aſpera, mala proterua, profāa petulantia, ſuperba, perfida
Supplicia, rogantia, precantia, iurantia
Digna rubore, digna loco
Ad certos canenda modos
Iocoſa, apta ioco, garrula
Recepta, nota, publica
Plena, grauia, potentia, fortia, valitura, profectura
Conſuetiſſima, diſſueta, debita
Moleſta, aure repulſa, faſtidita
Leuia, non circumſpecta, irrita, vana, non proficientia, orba, viribus caduca, imperfecta, elapſa
Leuiora folijs
Iuuantia aures
Splendida, ſolido fulgore micantia, alta
Lugubria, triſtia, rupta ſingultu
Curſu fluentia, diſerta, liquida
Pauca, parca, confuſa, geminata
Nuncia animi, minora animis
Salutem portantia
Dicta murmure exiguo
Inſidioſa doctis notis
Diſſimulata notis

Simi-

*Similima veris.*

TIB. *Blanda, iucunda, pudenda, ſeria, horrida.*

PRO. *Iucunda, benigna, diſerta, inania.*

## VERSVS.

*Numerus, modus*
*Numeri leuiores, impares*
*Aonia lyra*
*Verſus bonus, caſtus*
*Longus, herous, breuis*
*Tener, teres, ſtructus*
*Mollis, obſcœnus*
*Aliquantū noctis habens.*

PRO. *Pius, mollis, durus.*

## VERTEX.

*Ingens, ſummus, rectus, ſuppoſitus, conuexus.*

## VERV.

*Salignum.*

## VERVM.

*Non dubitabile.*

## VESPERTILIO.

*Quæ tenet ſero à veſpere nomen.*

## VESTIGIA.

*Signa pedum*
*Taciturna, certa, falſa.*

## VESTIS.

*Amictus niueus, croceus, laxus, de humeris demptus*
*Habitus regalis, fluidus, mœſtus*
*Cultus dignus corpore*
*Sinus regales*
*Veſtis ſaturata murice*
*Veſtis intexto auro, inaurata, candida, alba, nigra, pulla, decolor*
*Veſtis purpurea, picta, viridis, niuea, maritalis*
*Cincta, recincta, ſumpta, poſita, depoſita, ſuperiniecta*
*Tenuis, vilis, vetus, bona, precioſa*

*Vetita*

*Vetita, abſciſſa, longa, apta, lethifera*
*Veſtes Coæ, Tyriæ, Sidoniæ, Phrygiæ.*
TIB. *Palla lutea*
*Veſtis tenuis, villoſa*
*Contexta auro & argento*
*Fulgens Tyrio ſubtegmi-(ne*
PRO. *Amictus plebeius*
*Cyclas aurata*
*Palla Sidonia*
*Veſtis honores*
*Veſtis niuea, mœſta*
*Arabio lucens bombyce*
*Attalica.*

VETVSTAS.

*Tarda, ſpacioſa, longa, Edax, inuidioſa*
*Rudis, correcta.*

VIA.

*Propoſitum viæ*
*Indicium viæ*
*Plana, prona, facilis, iucunda, bona, tuta, idonea, felix*
*Publica, ſolita, conſueta, aſſueta, trita, frequens, ſocia*
*Via dubia, ſallax, ambigua.*
*Longa, læta, immenſa*
*Ardua, difficilis, dura, ſollicita, clauſa, ſubita*
*Occulta, tecta, cæca, furtiua, ignota*
*Vicina, diuerſa, cœpta, præpoſita, finita*
*Aetherea, æquorea, cœrulea*
*Via per iactas candida facta niues*
*Facta labore*
*Preſſa multa rota*
PRO. *Semita noua*
*Semita ſolo muſcoſo*
*Via lata, anguſta*
*Structa labore, non operoſa*
*Saxoſa, lubrica, tuta, obſcura.*

VIATOR.

*Cautus, properans, laſſus*
*Siccus, ſitiens*

*Præ-*

*Præcinctus enſe, portans*
*Siccus, ſitiens*
*Præcinctus enſe, portans opem.*

VICES.

*Incerta, diuerſa.*

VICIVM.

*Commune, humanum.*

VIA LACTEA.

*Via ſublimis, cœlo manifeſta ſereno.*

VICTIMA.

*Bos mactatus*
*Victima labe carens*
*Victima præſtantiſsima forma*
*Sanguine pulſans humũ*
*Plangens humum ſanguineam*
*Icta, cæſa, ſecuri percuſſa*
*Grata, plena, blanda, candida.*
TIB. *Hoſtia parua.*

VICTOR.

*Multa cæde cruentus.*

VICTORIA.

*Magna in puluere ſama*
*Palma, Trophæa*
*Victoria parta*
*Dubijs victoria pennis*
*Potens, ardua, digna triumpho.*
TIB. *Lauri victrices*
*Super feſſas volitans victoria puppes.*
PRO. *Palmæ victrices.*

VIDVVS.

*Deſerto thoro iacens.*
PRO. *Abrepta deſertus coniuge.*

VIGIL.

*Neſcius ſomno ſuccumbere.*

VIGOR.

*Antiquus, gratus, niueus*
*Non minor nobilitate*
*Iudicium nobilitatis.*

VIMEN.

*Vernum, fruticoſum, rarum, quernum.*

VIN-

VINCVLVM.

*Graue, ſerum, ſæuum, durum*
*Firmum, arctum, tenax*
*Vincula iuncea, curua, apta*
*Propiora, affinia*
*Barbara, irreſoluta, illabefacta*
*Coniecta collo, addita collis.*
TIB. *Ferrea.*
PRO. *Manicæ regales*
*Nodi arati*
*Vincula turpia.*

VINDEX.

*Non humilis.*

VINEA.

*Operoſi vitibus agri*
*Bacchi nemus*
*Vinea generoſa fertilis vuæ.*
TIB. *Vinea culta.*

VINVM.

*Generoſi munera Bacchi*
*Odorati Bacchi pocula*
*Bacchi hauſtus*
*Bacchus liquidus*
*Poſitus Lyæus*
*Lyæus immodicus.*
*Liber, Racemi, Pocula,* pro vino
*Merum exiguum, fuſcũ, poſitum*
*Vis vini*
*Vinum largum, validum, purum*
*Debitum, ſumptum, incluſum*
*Calidum, ſtridens, rubens*
*Operosè conditum, fumoſo conditum cado*
*Seruans formam teſtæ*
*Vinum ſtans gelu*
*Non longæ ſenectæ.*
TIB. *Liquor preſſus*
*Falernum ſumoſum*
*Cadus Chius*
*Vinum bonum.*
PROP. *Lyæus mentem vinciens*
*Cadi Mygdonij*
*Vina prælis eliſa Falernis*

*Vina pallida.*

## VIPERA.

*Breuis, parua, latens, ſerpens.*

## VIRI.

*Animæ fortes*
*Genus haud immite virorum*
*Vir ingens, magnus, felix, fortunatus, princeps*
*Ingratus, ignarus, infidus, timidus, fallax, ſtultus, non ſapiens, trepidus, turbatus, faſtiditus*
*Agilis, ſolers, ſtrenuus, inuictus*
*Iniuſtus, durus, rigidus*
*Charus, humanus, mitis*
*Audax, celſus honore, laudatus, honoratus, cœleſtis*
*Ademptus, victus, extinctus, deploratus*
*Inſignis ab arte*
*Fortis ad arma*
*Maximus bello*
*Aequandus ſuperis*
*Acceptus ſuperis*
*Maior virtutibus orbe*
*Dignus ſerie, chartis*
*Fuſus tellure cruenta*
*Iactans pectora ſanguinolenta*
*Homo ſine pectore*
*Vir leuior fœmina.*

## VIRGA.

*Leuis, longa, aurea, fraxina.*

## VIRGO.

*Virginei artus, vultus*
*Virginea manus, virgineum caput*
*Virgo natura mitis & annis*
*Innupta, impatiens viri, expers viri*
*Regia, nubilis, pia, ſapiens, formoſa, pulcherrima, fortis, felix*
*Impia, corrupta*
*Plus quàm fœmina virgo*
*Virgo inſigne pudoris*

*Virgi-*

*Virginei flos intemeratus pudoris.*

## VIRGINITAS.

*Virgineum nomen*
*Virginitas ſeuera, perpetua, ſalua*
*Libata, poſita, rapta*
*Mille petita procis*
*Facta peregrini præda latronis.*

## VIRES.

*Magnæ, nimiæ, geminæ, non leues, vindices*
*Non firmæ, inanes, inualidæ, exiguæ, abſumptæ, aptæ*
*Subitæ, iuueniles, veſanæ, ſæuæ, feræ*
*Herculeæ, Hercule dignæ.*
TIB. *Infirmæ.*
PROP. *Magnæ.*

## VIRVS.

*Nocens, edax, peſtiferum*
*Tinctum, tinctile*
*Datum ab angue.*

## VITIS.

*Alba, purpurea, grauida*
*Pampinea*
*Plena vuis.*
TIB. *Tenera myſtica.*

## VITA.

*Inoffenſa, inculpata, verecunda, ſeuera, mollis, vrbana, breuis, longa, cœlebs, coacta*
*Lumen vitabile*
*Vitales auræ*
*Lux gemina, æterna, ſine caritura*
*Anni iuſti, creſcentes*
*Aeuum longum, repetitum*
*Incerti ſpacium æui, breuis vitæ ſpacium*
*Tempora vitæ longa*
*Vitæ liberioris iter*
*Pignora vitæ*
*Tædia vitæ longæ*
*Atra ſeries vitæ*
*Aeuum pudicè actum*
*Tenor vitæ ſine labe*
*Extremus dies fati*

*Nouiſſima vitæ*
*Labes vitæ*
*Vita nullos agitata per vſus*
*Sine crimine, ſine labe peracta, labe carens, vicio carens*
*Lugenda, amara, miſera, pudenda, tranſilienda, inuiſa*
*Peragenda ſub axe*
*Mortis habenda genus*
*Sine fœnore data, mutua*
*Vacua laboribus, per ocia ducta.*
TIB. *Anni fatales*
*Secula vitæ*
*Vita felix.*

VIRTVS.

*Virtutis imago*
*Gratia virtutis*
*Virtus ſpectata, clara, laudata, eximia, creſcens, magna, antiqua, numeroſa, rara, inuicta*
*Diſſimulata, dubitabilis, obruta, mutata, amiſſa, flenda, damnoſa, temeraria*
*Carmine viuax, expers ſepulchri*
*In ardua tendens*
*Mercede carens*
*Externis incomitata bonis*
*Noticiam poſteritatis habens*
*Inuia cui nulla eſt via*
*Monitis contraria.*

VITRA.

*Splendida.*

VISCERA.

*Viua, peritura*
*Impoſitura rogis.*

VILLI.

*Soluti, longi, albentes.*

VITTA.

*Niuea, albens, alba, crinalis, tenuis, barbara.*

VITVLVS.

*Lactens*

*Minaci*

*Minaci cornua fronte gerens*
*Nondum minax metuenda fronte.*

VLMVS.

*Fulmine tacta, exeſa*
*Onerata vitibus*
*Appoſitis vincta vitibus*
*Amicta vitibus*
*Socia cum vite iuncta*
*Specioſa vuis.*

VLNAE.

*Teneræ, cupidæ.*

VLTOR.

*Multis flebilis.*

VLVLATVS.

*Longi, queruli.*

VLVAE.

*Leues, ſteriles, virides, flumineæ*
*Gratæ paludibus.*

VMBRA.

*Manifeſta, vera, inanis, vacua, gracilis*
*Læta, longa*
*Horrens, turpis, flebilis, parentalis*
*Nemoralis, pampinea*
*Nocte volans.*

V[N]DA.

*Impetus vndæ*
*Placidiſſima, mollis, tenuis, anguſta, dulcis, ſalubris*
*Marina, paluſtris, fluuialis, fluminea, putealis*
*Glomerata, verberans, ablata, pulſa, rupta, fracta*
*Mera, vitrea, pura, cærulea*
*Tepida, calida, gelida*
*Liquefacta, currens, ſaliens, labens, liquens, cadens, exultans, alta, vaſta*
*Rapax, rapida, ſubita, ventoſa, tumida, ſpumoſa*
*Aduerſa, victa, dura, lapidoſa*

*Labens cum murmure*
*Feſſa erroribus, cauans ſcopulos*
*Obruens caput*
*Concreta frigore, vincta gelu*
*Lethalis, Stygia.*

VNGVENTA.

*Dona, ros Arabum.*
TIB. *Nardus Tyrius*
*Ros Tyrius.*

VNGVIS.

*Rigidus, rigens, ſcaber, niger*
*Tenuis, auidus.*

VNGVLA.

*Caua*
*Perpetuo cornu leuis vngula*
*Aere pedes ſolidi.*

VOLATVS.

*Lenis.*

VOLVCRIS.

*Proles volucrum*
*Volucres vagæ, ſubitæ, motu tutæ, auidæ, dubiæ.*

VOLVMINA.

*Orba parente*
*De funere rapta.*

VOLVNTAS.

*Ius & arbitrium ſalutis*
*Voluntas ſatis exacta*
*Honeſta, laudanda, officioſa, animoſa, nec iners pauperq́;*
*Diuerſa, temerata.*

VOLVPTAS.

*Magna, plena, ſperata*
*Blanda, grata, imitata*
*Breuis, confuſa: vera, non vera*
*Damnoſa, inuidioſa, erepta*
*Prima, noua, ſola, proxima.*

VOMER.

*Dens aratri, Dens curuus*
*Vomer curuus, aduncus*
*Sulcans humum*
*Tenuatus ab vſu*

*Inſoli-*

*Inſolitus, ſterilis, preſſus.*

## VORTEX.

*Limoſus.*

## VOTVM.

*Optatum*, pro voto.
*Vota pia, ſacra, bona, modeſta, magna, plena, puerilia, mitia, grata*
*Irrita, vana, caduca, rapta noto*
*Suſcepta, deplorata*
*Secura repulſæ, rata, inſuſcepta, reddita*
*Execrantia, triſtia, ſiniſtra, varia, potentia*
*Immixta pudori.*
*Laurea.*
TIB. *Votiuæ voces*
*Vota timida, ſollicita.* Temeraria, *vix numeranda.*
PROP. *Vota debita, publica*
*Votum impetrabile.*

## VOX.

*Vocalia ora*
*Concentus vocis, pignus vocis* (*ma*
*Vox prima, ſuprema, ſum*
*Acuta, tremens, canora*
*Tenuata, parua, ſummiſſa, tenuis, parilis, fœminea*
*Magna, ingens, grauis, boans*
*Sollicita, timida: ficta, falſa, mentita*
*Compoſita, quieſcens, muta*
*Fera, ferina, inſana*
*Docta, amœna, facunda, celeris, mutandis ingenioſa ſonis*
*Tuta, memor, conſtans, infragilis*
*Feſſa loquendo. In nodum coacta*
*Sine pectore*
*Orpheia.*
TIB. *Tremula.*

## VPVPA.

*Volucris cui ſtant in vertice criſtæ*

*Cui prominet immodicum roſtrum.*

## Vrbs.

*Oppida regni diuitiora*
*Vrbs domita bello, obſeſſa*
*Coctilibus muris cincta*
*Magna, clara, alta, pulchra, magnifica, beata*
*Amiſſa, capta, defenſa, interdicta*
*Recens, noua, vetus, poſita, æterna*
*Plena viris*
*Aequa nubibus*
*Vrbes diuerſæ, innumeræ.*

## Vrna.

*Capax, plena*
*Parua, pauper, arcta*
*Fictilis, obliqua.*

## Vrsa.

*Fortis, ſquallida, Mœnalia, Lycaonia.*

## Vrsvs.

*Turpis, auidus, indignans*
*Armatus vnguibus*
*Ab antris Lucanis.*

## Vrtica.

*Mordax.*

## Vsvs.

*Dulcis, gratus, diues, felix*
*Longus, aßiduus, denſus*
*Paruus, exiguus, modicus.*

## Vva.

*Racemifera, pampinea*
*Picta, matura, dulcis*
*Purpurea, auro ſimilis, nitens*
*Generoſa, genialis*
*Calcata, preſſa pede*
*Tumida, tumens: naſcens, pendens, tenera, bene culta*
*Plena purpureo mero*
*De purpureis collecta vitibus.*
TIB. *Expreſſa incultis pedibus.*
PRO. *Succus vuæ*

*Vua*

*Vuæ nouæ, meracæ*
*Veſtitæ frondibus.*

### VVLGVS.

*Minimus de plebe*
*Mobile, inane, leue*
*Rude, indoctum, artis expers*
*Inerme, attonitum.*

### VVLNVS.

*Nouum, vetus, vetuſtum, antiquum*
*Immedicabile, ſanabile, non expectatum*
*Inhoneſtum, fœdum*
*Inanè, leue, eluſum, cæcum*
*Non corpore dignum*
*Sæuum, acerbum, crudele, ferum, immite, mortiferum, triſte*
*Geminatum, nouatum: graue, ingens, aduerſum*
*Pulchrum ipſo loco*
*Factum telis, factum cuſpide*
*Vulnera mutua, coëuntia*
*Coitura mora, ſpacio*
*Vulnus clauſum pectore.*

### VVLTVS.

*Iuuenilis, virgineus, lætus, ſerenus, nitidus, formoſus, hilaris*
*Placatus, placidus, amicus, mollis, modeſtus, ſeuerus, plenus grauitate*
*Agreſtis, terribilis, trux, rigidus, acris, toruus, ferus, ferinus, fallax*
*Turpis, acerbus, iratus, durus. Immotus, intrepidus, verſus, confuſus, aſſuetus, verſus* pro tempore
*Albus & ſine ſanguine*
*Superbus, ſublatus*
*Profitens dolorem, lugubris, triſtis, pauidus, iacens*
*Aratus rugis*
*Immemor ſui*
*Dulcior melle*
*Pudens ſine ruſticitate*

*Conueniens formæ,*
TIB. *Blandus, placidus.*
PRO. *Subductus*
*Grauis vultu.*

### VVLTVR.

*Edax, tardus*
*Volucris peregrina.*

### VXOR.

*Conſors thori, thalami*
*Socia thori*
*Sociata fœdere lecti*
*Amans, fidelis, bona, pia, proba, chara, ambitioſa, laudabilis, credula*
*Longè pulcherrima, vtilis, fœcunda*
*Vxor imbellis, ſine viribus, timida, timore turbata*
*Habens Veneris famam*
*Rudis ad Veneris furtum*
*Felix ſine crimine*
*Cuius vitæ tenor eſt ſine labe*
*Iuncta in non exhibitis thoris*
*Inhærens pectoribus*
*Dilecta multos per annos, chara*
*Habens mores Iunonis*
*Similis probitate marito*
*Digna puero, thoro*
*Firma in thoro.*

## X.

### XIPHIAS.

*Durus*
*Ictu non mitior enſis.*

## Z.

### ZONA.

*Caſta, Recincta manu fallaci*
*Mæonia.*

GEOR-

# GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS, DE VIRTVTIBVS ET VIcijs carminis Elegiaci

# Liber Sextus.

## GEORGIVS FABRICIVS CHEMNICENSIS, ANDREAE VVINCLERO, LVDI Vratiſlauienſis rectori, S. D.

DE ſtudijs puerilibus cum quo loquar potius, quàm tecum Andrea? qui & conſenuiſti in ijs, eamq; vitam non exiſtimas vitalem, quæ caret officio, de ætate tenera optimè merendi: in quo propoſito tua laudanda grauitas & conſtantia eſt: & tuum quoque nunc mihi conſulendum iudicium contra eos, qui antiquitatem obſcuram & inſuauem in ſcribendo venantur, quorum equidem probare non poſſum ſtudium inane, leuemq; ſententiam. Facilitate aperta & erudita nihil iudico eſſe elegantius, ea videlicet, quæ modum vſitatum, &, vt nummus probus, formam publicam habet. Augusti Cæſaris politiſsimi temporibus, ſi quis priſca lingua Aborigenum, aut inuſitata Oſcorum, pro ſermone Latino Campanoúe

panoúe Romæ vſus aut Neapoli fuiſſet, eum explodiſſet curia, non intellexiſſet vulgus. In axamentis illis Saliaribus, & in carmine Seculari, in quo, quid à dijs homines peterent, ipſi non perceperunt, obſcuritas habita religio eſt: ſed eam nemo ſecutus in vulgo. Inepti igitur ſunt, qui ſtudio quærunt, vt ſint obſcuri & horridi. Nec mentis ſanæ putandi, quicunque pugnant cum conſuetudine & temporibus, idque nulla cum ratione aut vtilitate: quod quidem rectius faciunt ij, qui tempora volunt eſſe meliora, non qui repetunt ab vltima vetuſtate, quod eſt obſoletum, nec amplius decorum. Irriſus in iudicio Siſenna eſt, qui fuit emendator ſermonis vſitati, vt ait Cicero: quòd vnum tantùm verbum protuliſſet, populi auribus ignotum. Exagitatur item à Martiale, neſcio qui Chreſtillus, quòd attonitus legeret apud Lucilium,

*terrai: frugiferai,*

quodque idem Accij & Pacuuij quaſi vomitus hauriret: id quod Græciæ ſcriptoribus Galaton pictor ridiculè obiecit, qui finxit vomentem Homerum, & poëtas τὰ ἐμημεσμένα ἀρυομένους, vt illas ſtolidas prauè imitantium ineptias exprimeret. Antiquitas nobis loco auctoritatis ſit, non aucupij: debetque oſtentari vt gemma, non obtrudi, vt

veluti

veluti lutum conculcetur : inſeri ſcriptis modicè, non inſui cum tædio atq; moleſtia. Aliter enim qui faciunt, & odiſſe præſentes videntur, & arrogantes rectè dici poſſunt, quòd vſitata contemnant, & inuentis frugibus paſtum ſiluarum expectant, & ſe ſapere ſolos haberi velint. Sermo quidem ornatur & augetur literis, & cum hominum ætatibus perpolitur, & vſu ſapientum fit nitidior: nec vnquam fuiſſe ſanior aut caſtigatior perhibetur, quàm ſummo Auguſti imperio: nam talis non manſit ſecutis paulò pòſt temporibus. Gradus autem vt in rebus cæteris omnibus, ita etiam in ſermone indicantur, à quibus veluti aſcenſio facta ad perfectiora fuit. Prima enim ætas Liuij Andronici & Catonis Cenſorij rudis planè & auſtera: media cœpit eſſe cultior & elaboratior, Lucilij, Accij, Plauti, item oratorum Galbæ, Craſsi, Antonij. Poſtrema abſolutæ doctrinæ & elegantiæ eſt, Terentij, Ciceronis, Virgilij, Tibulli, Naſonis, qui ſinguli ſunt, vt Velleius iudicat, in forma operis ſui perfectiſsimi. Vix depoſitus in Mauſoleo erat Auguſtus, cùm accitis in publicum orbis conſeſſum nationibus barbaris, perijt vis natiua, & venuſtas linguæ Romanæ propria, eſtq; mox vetuſtas & inſolentia reuocata. Vnde Hadrianus Imperator

rator Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium prætulit, magis delectatus effœtis Carmentæ vberibus, quàm lacte puro & copioſo nutricis alicuius vegetæ & adoleſcentis. Sed quia omnes aucupes vetuſtatis, inepti, peruerſi, & arrogantes ſunt, adoleſcentes ſtudioſi recto iudicio admoniti vtantur, ne pro laude dedecus, pro labore ignominiam reportent. Ferunt diuum Hieronymum, cùm Perſium in manus ſumpſiſſet, quòd minus eſſet intelligentiæ expoſitus, in ignem conieciſſe, ne operam legendo luderet. Itaq; inuſitata, quiuis prudens fugiat, ne cum imperitis deſipere, cumq; moroſis errare potius, quàm more communi viuere, & veſtigijs tritis, viaq; regia ingredi voluiſſe videatur: id fiet, ſi ſecundum Varronem, antiquis delectabitur, ſed tamen conſuetis tantùm vtetur. Vale, è ludi illuſtri Miſena.

## DE VIRTVTIBVS ET VICIIS CARMINIS ELEGIACI.

CArminis Elegiaci virtus & elegantia, cùm in pedum vſitata compoſitione poſita eſt, tum in literarum ac ſyllabarum ſuaui & modulata coniunctione. Proximè in inciſis, ad quæ & colliſiones & eliſiones adiungimus: quæ numerum efficiunt aut meliorem plenioremq́, aut eundem planè corrumpunt. Ad hæc delectus verborum optimorum, & compoſitio apta adhibenda eſt: nec minimum ornamenti afferunt epitheta, ſi quis in loco & cum iudicio ijs vtatur. Ad quæ ſi accedat verborum facultas copioſa, & ſententiarum conſideretur qualitas, & iuſta amplificatio, nihil deërit ad orationis numeroſæ perfectionem: vtendum tamen ſemper in his omnibus ſapientum iudicio. Has boni & artificioſi carminis partes decem, vt rectius intelligant, & vtilius imitentur adoleſcentes, exemplis breuiter declarabimus, quantum ad hoc negotium ſatis eſt, nam tractatio plenior, ad aliam artem maiorem videtur pertinere.

### I. DE PEDIBVS.

I.

Apta

Apta pedum connexio & varietas, præcipuum eſt carminis Elegiaci ornamentum. Verſus enim longi, qui è ſolis ſpondeis fiunt, tardè nimis incedunt: qui è ſolis conſtant dactylis, nimis feruntur celeriter. Iucunda eſt igitur eorum pedum viciſsitudo, & quaſi temperamentum. Vt,

*Non eſt certa fides, quam non iniuria verſat.*
*Turpe, reos empta miſeros defendere lingua.*

I I.

Si oſtendenda erit tarditas aut difficultas, vel ſi grauitas aut dignitas exprimenda, ſpondei locum proprium habent.

Ouid.

*Nituntur longo veſtigia ponere cliuo.* Proper.
*Quid me ſcribendi tam vaſtum mittis in æquor?*

Apud Heroicos illuſtriora ſunt exempla.

Virg.

*Illi inter ſeſe multa vi brachia iactant.* Idem:
*Tun' ille Aeneas, quem Dardanio Anchiſæ*
*Alma Venus peperit?*

I I I.

In rebus contrarijs eſt dactylis vtendum, vt in re læta & alacri. Tibul.

*Quiſquis amore tenetur, eat tutusq;, ſacerq;.*

Idem.

*Namq; agor, vt per plana citus ſola verbere turbo.*

Item,

Item, quando celeritate & impetu opus eſt. Ouid.

*Imminet huic, ſequiturq́; parem, ſimiliſq; tenenti,*
*Non tenet.* Virgil.

*Inde vbi clara dedit ſonitum tuba, finibus omnes*
*Haud mora, proſiluêre ſuis: ferit æthera clamor.*

## IIII.

Omnes cùm improprij, tum peregrini pedes fugiendi.

I. Improprij fiunt

1. Aut reſolutione, vt proceleuſmaticus dactyli, qui tribus locis hexametri, primo, ſecundo, quinto inuenitur.

2. Aut inuerſione, vt anapæſtus dactylo contrarius: qui plerunque locum primum occupat. Horat.

*Vehemens & liquidus, puroq́; ſimillimus amni.*

3. Aut permutatione, in locis inſolitis, vt dactylus in fine pro ſpondeo.

Lucil. ſat. 26.

*Nunc ignobilitas his mirum ac monſtrificabile.*

Virg. 2. Georg.

*Inſeritur verò ex fœtu nucis arbutus horrida.*

Anapæſtus in fine pro eodem.

Prudent. in Pſych.

*Perſiciant lux plena viros, ſiue algida Borea*
*Aetas.*

u II. Pere-

II. Peregrini pedes, quibus aut luxatur aut extenditur numerus.

1. In quibus luxatur minuiturúe, ſunt pedes tres:

Iambus ◡ –. Virg. loco quarto:

*Congredior, fer ſacra pater, & concipe fœdus.*

Trochæus – ◡. Idem, loco eodem:

*Rumpe moras omnes, turbataq́ arripe caſtra.*

Tribrachys ◡ ◡ ◡. Ouid. loco ſecundo & tertio:

*Quæ periit aliquis, potes hanc contingere dextrā:*
*Vt puer & vacuūs, & inobſeruatus in herbis.*

2. In quibus numerus extenditur, augeturq́, ſed maximè apud antiquiſsimos, inueniuntur pedes nouem.

Creticus – ◡ –. In Epitaphio antiquo Fuſci,

*Factionis Venetæ Fuſco ſacrauimus aram.*

Amphibrachys ◡ – ◡. Virg.

*Te Corydon ô Alexi, trahit ſua quemq́ voluptas.*

Baccheus ◡ – –. In Probinæ epitaphio.

*Diebus poſt paucis eſt comitata ſuos.*

Choriambus – ◡ ◡ –. Virg.

*Cauloniſq́ arces, & naufragum Scylaceum.*

Ionicus minor ◡ ◡ – –. Lucil. 1.

*Infamem, inhoneſtam, turpemq́ odiſſe culinam.*

Pæon primus – ◡ ◡ ◡. Ennius.

Sic

*Sic mulier erubuit, ceu lac & purpura miſta.*

Pæon ſecundus ∪–∪∪. Propert.

*Eoſdem habuit ſecum, quibus eſt elata capillos.*

Pæon quartus ∪∪∪–. Ennius.

*Capitibus nutantes pinus, rectosq́; cupreſſos.*

Epitritus quartus –––∪. Virg. 2. Aen.

*Eueniunt, nec te comitem hinc aſportare Creuſam.*

Hæc cognoſcenda propter vſum antiquitatis: ſed quid imitandum ſit, facilè iudicabunt prudentes & exercitati. Poſſunt tamen iſta excuſari, tanquam figuratè poſita, & quaſi ſpecies τῆς ἐπισυναλοιφῆς, vt in Partitionibus Grammaticis eſt annotatum.

V.

In exprimendo motu aliquo animi, aut ſignificanda re noua atq; non opinata, contra carminis legem, quinta verſus longi ſede, ponitur ſpondeus, præcedente tamen plerunq; dactylo. Catul.

*Aequorea monſtrum Nereides admirantes.*

Virg.

*Conſtitit, atq; oculis Phrygia agmina circumſpexit.*

Nam inuſitatius eſt illud, quod apud eundem legitur,

*Aut leues ocreas lento ducunt argento.*

Quo tractu fabrorum oſtendit faſtidium, quibus opus à ſua arte alienum imponitur.

V I.

Optimi verſus à Diomede habentur, qui quaſi vinculo pedum inter ſe connexi, ſerie continua ad exitum deducuntur, verboq́ in extremis collocato, abſolutam complectuntur ſententiam. Virg.

*Oceanum interea ſurgens aurora reliquit.*

Tibul.

*Intonſi crines longa ceruice fluebant.*

Nulla in his verſibus dictio pedem abſoluit, ſed inter ſe omnes quaſi cathenula cohærent. Laudari hoc & in vtraq́ pentametri parte poteſt. Ouid.

*Vulgus amicicias vtilitate probat.*
*Si qua venit ſerò, magna ruina venit.*

V I I.

Huic venuſtati vitium contrarium, cùm ſingulos pedes ſingulæ voces abſoluunt, omni cura ſtudioq́ eſt vitandum. Horat.

*Præter cætera Romæ, méne poëmata cenſes*
*Scribere?*

Hîc & oratio impedita, & numerus diſſolutus eſt.

## I I. DE LITERIS ET SYLLABIS.

V I I I.

Vitan-

Vitanda tam in initio quàm in medio eſt literæ eiuſdem aut ſyllabæ repetitio.

Ouid. in Met.

*Corpora Cecropidum pennis pendêre putares,*
*Pendebant pennis.* Idem in Hero.
*Cùm tibi ne victus tecto morerere recuruo.*

In priori luſerunt integris libellis Hugoldus, Porcius, Mameranus, Piërius, maiore oſtentatione quàm fructu. Talia tamen ex Ennio παρόμοια citantur à veteribus Grammaticis.

## I X.

Quod aurium ſenſus tanquam ingratum reſpuit, id ſuo loco iucundum ac venuſtum eſt. Ouid. in Faſt.

*Menſe malum Maio nubere, vulgus ait.* Virg.
*Vidi, atro cùm membra fluentia tabo*
*Manderet, & trepidi tremerent ſub dentib. artus.*

In Thyeſte Accij idem obſeruatum eſt in trochaico:

*Impius hortatur me frater, vt meos malis miſer*
*Manderem natos.*

Ludunt hac ratione interdum Comici. Poſſunt etiam tales verſus caſui tribui, aut libertati ingeniorum. Ouid.

*Nam quanquam ſoli poſſunt prodeſſe potentes,*
*Non proſunt, potius plurimùm obeſſe ſolent.*

## X.

Fugienda itidem ſimilis in fine terminatio: nam præterquam quòd de ornatu detrahit, etiam obſcuritatem parit. Virg.

*maculis quem Thracius albis*
*Portat equus, criſtaq́ tegit galeá aurea rubra.*

Propert.

*Et galea hirſuta compta lupina iuba.* Ouid.
*Flamma recens parua ſparſa reſedit aqua.*

## X I.

Ineptum neſcio quid habent ij verſus, qui in inciſo & extremo, æquali ſono finiuntur. Quales multi ſine affectatione etiam antiquis exciderunt. vt Ouidio:

*Nec niſi finita per plurima vulnera vita.*
*Si Troiæ fatis aliquid reſtare putatis.*
*Quot cœlum ſtellas, tot habet tua Romá puellas.*
*Ipſe ego librorum video delicta meorum.*

In Pentametris:

*Quærebant flauos per nemus omne fauos.*
*Si mihi quod prodeſt, hoc tibi lector obeſt.*

## X I I.

Extat luſus antiquus, qui dicitur cuidam Raimundo vſitatus fuiſſe, vt ſuis verſibus adderet ſemper aliquem ex poëta antiquo, & ita rithmum conficeret.

*Vt mens ſe videat, poſita caligine fumi,*
*Quis vetat appoſito lumen de lumine ſumi?*

Quòd

*Quòd ſi perfectè nequeo res edere cunctas,*
*Vt deſint vires tamen eſt laudanda voluntas.*

## XIII.

Verſus longus malè deſinit in dictionem vnius ſyllabæ, aut quatuor ſyllabarum.

Lucretius lib. 2.

*Augeſcunt aliæ gentes, aliæ minuuntur.*

In duas ſyllabas ſuauiter, in tres viriliter terminatur. Hæc obſeruatio, ſicut omnes, neceſsitatem non habent, ſi decorum aliud exigat. Monoſyllabæ in fine rectè ponuntur.

1. Vel alia vnius ſyllabæ dictione præcedente. Horat. in Epiſt.

*Principibus placuiſſe viris non vltima laus eſt.*

2. Vel accentu ipſo adiuuante. Martial.

*Scæuola tu cœnas apud omnes, nullus apud te.*

Ouid. 1. de Ponto,

*Quid referam veteres Romanæ gentis apud quos.*

3. Vel ſententia ipſa exigente, vt apud Virgilium,

*Ruit Oceano nox.* Et,

*Procumbit humi bos.*

Quadriſyllabæ verò, aut cùm enclitica particula adiungitur. Vt Horatius,

*Quid enim differt, barathróne*
*Dones, quidquid habes, an nunquā vtare paratis?*

Aut cùm nomen proprium ſpeciesúe certæ materiæ in fine collocatur. Vt Ouid.

*Arſit & Oenides in Mænalia Atalanta.*

Idem Virgil.

*Incluſum buxo, aut Orycia terebintho.*

XIIII.

Deformitatem in hexametro parit, cùm tribus dictionibus deſinit diſſyllabis.

Tibul.

*Semper vt inducat blandos offers mihi vultus.*

XV.

Verſus longo ſubiectus in vnam ſyllabam bene finitur, altera antecedente. Ouid.

*Præmia ſi ſtudio conſequar iſta, ſat eſt.*

Rectiſsimè in duas: rarius quidem in quatuor vel plures, ſed non vitioſè,

*Forma nihil magicis vtitur auxilijs.*

*Lis eſt cum forma magna pudicitiæ.*

Duriſsimè deſinit in tres. Idem.

*Spectarem qualis purpura te tegeret.*

Præter hunc verſum, idem in alijs quinq; apud eundem Poëtam inuenitur.

XVI.

Alij Poëtæ cùm hoc euitare poſſent, ſtudio & ratione videntur captaſſe. Vt Tibul.

*Bellica cùm dubijs roſtra dedit ratibus.* Idem.

*Abdita*

*Abdita quæ ſenis fata canit pedibus.*

Dicere enim verbis tranſpoſitis potuiſſet,

*Cùm dubijs ratibus bellica roſtra dedit.* Et,

*Quæ pedibus ſenis abdita fata canit.*

Interdum propter ſententiam elegans eſt. vt Claudianus,

*Magna repentè ruunt, ſumma cadunt ſubitò.*

## XVII.

Inuenuſtus videtur verſus pentameter, ſi metri vltimi dactylus à particula monoſyllaba incipiat, & trium ſyllabarum vox cum enclitica inſequatur. Tibul.

*Ne capiti ſoles, ne noceantúe niues.* Idem,

*Meſſalam terra dum ſequiturq́; mari.*

Mollius hoc fit in repetita præpoſitione. Idem,

*Perq́; tuos oculos, per geniumq́; rogo.*

## XVIII.

Monoſyllabæ dictiones, ſi plures vno in loco cumulentur, deformant verſum, Vt,

*Non ex his eſt, qui ſe ſanos viuere curent.*

## XIX.

Eadem deformitas in dictionibus plurium ſyllabarum. Vt in illo Horatij,

*Quiſquis luxuria, triſtiúe ſuperſtitione.*

Scitum eſt viri nobiliſsimi Bouſlai Haſ-

ſenſtenij diſtichon, quo ludens cum viris doctis, eos communi ſenſu vicit,

*Conturbabantur Conſtantinopolitani,*
*Innumerabilibus ſollicitudinibus.*

X X.

In verſu longo relinquitur interdum ſyllaba, quæ ab initio ſequentis abſorbetur: qui verſus hypermetri & hypercatalecti dicuntur. Virg. in Aeneid.

*Et magnos membrorũ artus, magna oſſa, lacertoſq;*
*Exuit.* Idem in Georg.
*Aut dulcis muſti Vulcano decoquit humorem,*
*Aut folijs vndam.*

X X I.

Verſus longi aliquando mirabiliter recurrunt, quales illi ſunt Virgiliani,

*Muſa mihi cauſas memora, quo numine læſo,*
*Ille rapit calidum fruſtra de vulnere telum.*

Verùm non quæſiti induſtria, ſed oblati caſu putandi ſunt.

## III. DE INCISIS.

X X I I.

Incifa illa, quæ ab alijs inciſiones, vulgò cæſuræ & manſiones dicuntur, planè ſunt obſeruanda: faciunt enim plenum & æquabilem numerum. Vt,

Quàm

*Quàm citò purpureos deperdit terra colores.*
*Omnia poſt obitum fingit maiora vetuſtas.*

Inciſo neglecto verſus quaſi titubant.

Horat.

*Non quiuis videt immodulata poëmata iudex.*

Ouid. 13. Met.

*Ergo alijs latraſſe Dymantida flebile viſum eſt.*

Cui duo ſimiles in eodem libro reperiri, mirum eſt, cùm præter hos, plures quàm duo, in omnibus eius operibus non legantur.

XXIII.

Interdum hoc ipſo modo ſententiæ vis excitatur. Virg. 5. Aen.

*Ecce volat, calcemq; terit iam calce Diörnes.*

Propert. 4.

*Vt noſtris tumefacta ſuperbiat Vmbria libris.*

Ouid. 3. Faſt.

*Aſpicit hos, vt fortè pependerat æthere mater.*

XXIIII.

Eſt vbi accentus inciſi aſperitatem leniat.

Propert.

*Ah pereat, quicunq; meracas repperit vuas.*

XXV.

Plura inciſa carminis grauitatem diſſolutione quadam attenuant. Tibul.

*Semper vt inducar blandos offers mihi vultus.*

Et hoc

Et hoc minus rigidum eſt, ſi in initium verſus incidat. Idem,

*Caſta placent ſuperis, pura cum veſte venite.*

In hoc tria continuantur inciſa, cum ſuauitate.

XXVI.

Propter inciſum fit, vt ſyllabæ breues, interdum ponantur longæ. Tibul.

*Te canit agricola, magna cùm venerit vrbe.*

Idem,

*Hoc quoq; ſi credis, ad te via prona videtur.*

Virgil.

*Olli ſerua datur, operum haud ignara Mineruæ.*

XXVII.

In inciſo pentametri, vt & in eiuſdem extremo, duriuſculè collocantur voces monoſyllabæ. Catul.

*O' dij reddite mî pro pietate mea.* Et,

*Aut facere, hæc à te dictaq; factaq; ſunt.*

Vtrunq; mitigatur, dictione monoſyllaba antecedente. Alterius exemplum hoc ſit. *Magna tamen ſpes eſt in bonitate Dei.*

Alterius ſuprà annotatum eſt, vbi de ſyllabis agebatur.

XXVIII.

Eſt & antiquum quoddam genus, in quo tria inciſa, tribus abſoluuntur commatis.

Ennius

Ennius 7. Annal.

*Poſte recumbite, veſtraq́ pectora pellite tonſis.*

Ex quo recentiores verſus fecerunt dactylicos commaticos nominatos, vt Hildebertus Lauerdinus, Bernardus Cluniacenſis, Vuichardus Lugdunenſis: de quibus in commentarijs poëtarum Chriſtianorum attigimus: nec aliud facilè occurrit exemplum præter Ennianum.

## IIII. DE ELISIONE ET COLLISIONE.

### XXIX.

Synalœpha & ecthlipſi, quando aut vocale ſequente vocalis antecedens eliditur: aut cum vocale, litera muta colliditur, non crebrò eſt vtendum. In loco vſurpatæ hæ figuræ, magnam afferunt gratiam.

Virgil.

*Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.* Idem,

*Arua aliena iugo premere, atq́ auertere prædas.*

Colliſio cùm in longam ſyllabam ferè incidat, carminis adiuuat grauitatem.

### XXX.

Colliſio nulli loco minus conuenit, quàm verſus initio. Horat.

*tam*

*tam cernis acutùm*
*Quàm aut aquila, aut ſerpens.* Idem,
*Dum ex paruo nobis tantundem haurire relinquas.*
Idem,
*Nam vt fœrula cædas, meritum maiora ſubire.*

Apud poëtas nitidiores hoc non inuenias, nec in odis apud eundem.

XXXI.

In medio itidem, cùm in cæſuram incidit colliſio, eſt horridior. Idem,
*Impetrat & pacem, et locupletem frugib. annum.*

XXXII.

In fine denique non valde probatur, etſi magis ſit tolerabilis. Horat.
*O' ciues, ciues, quærenda pecunia primùm eſt.*

XXXIII.

In quinto loco verſus longi, niſi certa cauſa ſit, vt eleganter ac commodè fiat, nihil collidendum aut elidendum. Horat.
*Loripedem rectus derideat Aethiopem albus.*
Tibul.
*Blanditiáſne meas alij tu vendere es auſus?*

XXXIIII.

Si conſiderentur vocales, quæ aſperè non concurrunt, hoc fit paulò ſuauius. Catul.
*Difficile*

*Difficilè eſt longum ſubitò deponere amorem.*

Ouid.

*Quid mihi fortunæ tantum, quid regna ſine vſu?*

Eliſio quòd interdum iudicio fiat, hæc Poëtæ exempla teſtantur:

*Iuturnamq; parat fratris dimittere ab armis.*

*Sic genus amborum ſcindit ſe ſanguine ab vno.*

niſi enim hoc maluiſſet, ita potuiſſet dicere,

*Dimittere fratris ab armis.*

*Se ſanguine ſcindit ab vno.*

## XXXV.

Nihil item ſimile committendum in pede vltimo verſus pentametri, niſi id ſingulari iudicio fiat, vt apud Ouidium Propertij imitatione.

*Quadrijugos cernes ſæpe reſiſtere equos.*

## XXXVI.

Eliſio in cæſura pentametri vitanda, propter inſolentiam & antiquitatem.

Propert. 3.

*Herculis, Antæiq; Heſperidumq; choros.*

## XXXVII.

Breuiter, à multis duriſq; eliſionibus colliſionibuſq; omnino abſtinendum, tum facilitatis tum pulchritudinis gratia. Quid poteſt eſſe horridius illo Catulliano?

Quàm

*Quàm modò qui me vnum atq; vnicum amicum habuit.* & hoc altero,

*Troia (nefas) commune ſepulcrum Europæ Aſiaq́;,*
*Troia virûm & virtutum omnium acerba cinis.*

Item illo, quod in epigrammate antiquo Neapolitano legitur,

*Te vmbra petam, ergo vnquam ne metue, abs te abeam.*

In hoc pentametro decem ſunt dictiones, ſyllabæ octodecim, contractiones quinque, initium vitioſum, aſper exitus, tortuoſum medium. Terent. in Hec.

*Non omnino abhorrere animum huic video à nuptijs.*

in pedibus omnibus, excepto vltimo, eliditur aliquid aut colliditur. Hoc in comicis minus ſentitur, indignius reprehenditur, quia eorum oratio vulgari ſimilis, & numerus minus manifeſtus.

## XXXVIII.

Eliſio vel potius ſubtractio conſonantium, in vſu amplius non eſt, & obſeruationis planè vetuſtæ: vt S & D literarum, in nomine *Lælius*, & in pronomine *Illud*, apud Lucilium, in eo verſu qui citatur à Cicerone de finibus:

*Lælius præclarè & rectè ſophos, illudq́; verè.*

Has literas tenuitate ſua quaſi amitti, pluribus

ribus exemplis, in explicatione caſtigationum in Terentium, probaui. Rei verò nec vſitatæ, nec ſequendæ, breuitatis inſtitutæ gratia, plura exempla non ſunt cumulanda.

## V. DE DELECTIONE ET COMPOSITIONE Verborum.

### DE VERBIS SIMPLICIBVS.

### XXXIX.

Improprijs planè non vtendum, niſi ſi quæ auctoritatem habent. Vt *ſpes* pro *metu*. Ouid.

*Spes quoq; lenta fuit, tardè quæ credita lædunt*
*Credimus.*

*Promittere*, pro minari. Virg.

*Promiſi vltorem, & verbis odia aſpera moui.*

id eſt, minatus ſum me vlturum. Idem.

*O' ſocij, neq; enim ignari ſumus antè malorum.*

hoc eſt, priſtinorum malorum ſumus non immemores. *Ignarus* enim eſt, *qui neſcit*: *immemor*, qui obliuiſcitur. Ouidius *precium* ponit pro pœna, Pindarus ποινὴν pro precio.

### XL.

Barbara niſi conſuetudine ſint facta Ro-

mana, locum in oratione nullum habeant. Barbaris ſeu peregrinis quibuſdam vtimur. Vt *Sariſſa*, quod Macedonicum eſt, pro haſta, apud Ouidium: *Corytus*, quod Etruſcum, pro pharetra, apud Virgilium: & nunc *Bombarda* eſt fictum, ſed vſitatum rei nouæ vocabulum. *Irpus* Samniticum, pro lupo, vt eſt apud Strabonem & Sex. Pompeium: vndè *Irpini* Italiæ populi. *Italus* antiqua Aborigenum lingua vitulus, auctoribus Feſto & Seruio: vndè ab vbertate paſcuorum, dicta exiſtimatur *Italia*.

## X L I.

Verba quæ eſſe deſierunt, vt antiquata: & obſoleta, ſeu (vt Seneca nominat) calcata: & in vulgi conſuetudine non ſunt, vt inuſitata: niſi de antiquis rebus ſermo ſit, non ſunt vſurpanda. *Turbo*, trochus eſt quo ludunt pueri, qui *turben* dicitur à Tibullo: ſed id ſtultè dictum ait Chariſius. *Teſtu*, pro teſta apud Ouidium in Faſtis, quod Nonius apud obſcuræ auctoritatis, ſed ſummos ſcriptores legi annotauit. Item *moriri* pro mori, & *abſtit* pro abſtitit, apud eundem, quæ à Priſciano obſeruata ſunt. Quanquam autem in noſtris nunc editionibus nihil tale inuenitur: ego tamen, qui non indiligens inquiſitor fui, eadem omnia in codicibus manu-

manuſcriptis, vt ſunt tradita à Grammaticis, reperi. Antiqua interdum auctoritate valent. Ouid.

*Eſtur, vt occulta viciata teredine nauis.*

*Eſtur*, pro conſumitur.

Talia ſunt apud Virgil. ex ſeutentia Fabij, *Olli, Quianam, Mi*, quibus dignitatem, vt ipſe inquit, dat antiquitas.

## XLII.

Sordida & humilia, aut circumſcribenda ſunt, aut epitheto corrigenda. *Bubulcum & ſubulcum,* noluit dicere Ouidius, ſed ſignis notauit,

*Hoc faciunt cuſtosq́ boum, longæuaq́ nutrix,*
*Tertius immundæ cura fidelis haræ.*

*Aquas* dicere pro mari, nimis abiectum, vt & *guttas* pro lacrimis. Illud igitur Ouidius tali adiectione ſubleuauit:

*Per immenſas puppe feruntur aquas.*

hoc Virgilius, cum inquit:

*guttis humectat grandibus ora.*

*Clauam* idem de Hercule fugit dicere, ideo circumloquitur, modò per ſynecdochen:

*Ramis vaſtisq́ molaribus inſtat.*

modò per periphraſin. Vt,

*Nodisq́ grauatum*
*Robur.* 8. Aeneid.

Dicit tamen de Herculis comitibus in 10.

*Sternentes agmina claua*
*Deiecit letho: nihil illos Herculis arma,*
*Nil validæ iuuêre manus.*

## XLIII.

Animantium etiam nomina quædam, quaſi humilia, non verbo exprimuntur, ſed notis aut ſignis deſcribuntur. Vt *gruem* Ouidius, *Et quæ Pygmæo ſanguine gaudet auis.* Virgilius *ciconiam*, de qua canit.

*Candida vênit auis longis inuiſa colubris.*

## XLIIII.

Inflata & tumida verba non admittenda ſunt. cuius generis eſt illud Statij:

*Magnanimum Aeaciden, formidatamq́; Tonanti*
*Progeniem.* Item illud Silij:
*Ordior arma, quibus cœlo ſe gloria tollit.*

Talia poſſent multa annotari, ſed non è noſtris poëtis, quorum teſtimonio ferè vtimur.

## XLV.

Verba affectata planè reijcienda, & multò magis verſus affectati, vt eiuſdem Silij,

*Stat ſonipes, & frena ferox humentia vexat.*

Talia ſunt apud Comicos paraſitorum, ſeruorum, militum.

Verba

## XLVI.

Verba eadem vno loco non repetenda, ſed copia aliqua varianda ſunt. Virg.7.Aen.

*Magno veluti cùm flamma ſonore*
*Virgea, ſuggeritur coſtis vndantis aheni,*
*Exultantq́ æſtu latices, furit intus aquæ vis,*
*Fumidus atq; altè ſpumis exuberat omnis,*
*Nec iam ſe capit vnda, volat vapor ater ad auras.*

Aquam noluit dicere, ſed vndans ſeu bulliens ahenum: deinde magis magisq́ efferueſcentem, nominauit primùm latices, inde aquæ vim, poſtea amnem, donec vocabulum non inueniret maius, niſi mare dixiſſet, quod erat nimis tumidum, ideo concludit,

*Nec iam ſe capit vnda.*

In narratione duelli Herculis & Caci, 9. Aeneid. domicilium Caci generali nomine ſæpius ſpeluncam, deindè variè appellat vaſtum receſſum, ſaxum opacum, vaſtùm antrum, ingentem regiam, vmbroſam cauernam, cauum ſaxum, domum caliginoſam, vel (vt ipſe)

*domum caligine cæcam.*

ingentem ſpecum, domum atram. Sed de copia verborum mox dicentur plura.

## XLVII.

Obſcœna omni ſtudio ita fugienda ſunt, vt turpis etiam verbi exemplum ponere in hoc loco pudeat.

## XLVIII.

Græca Latinis non miſcenda. ideo enim Lucilius Vectium repræhendit, qui Etruſca Latinis: Lucilium ipſum Horatius, qui Græca Romanis miſcuit: quod etiam ineptè captauit Auſonius. Fieri hoc aut ioci aut irriſionis gratia interdum poteſt: & nugatores circumferuntur, qui Italica & Gallica Latinis miſcuerunt, Merlinus Cocalius, & Antonius Harena.

## XLIX.

Participium caſus nominatiui in extremo verſus raro eſt ponendum. Virg.

*Corripit in nodum complexus, & angit inhærens.*

Propert.

*Semper amet, fructu ſemper amoris egens.*

Obſeruauit hoc etiam Seruius.

## L.

Raro in fine ponendum in DO gerundium. Ouid.

*Occidit Eurytion ſtultè data vina bibendo.*

## LI.

Vna

Vna particula poſtpoſita, neſcio quid illepidi & obſcuri habet.

Horat. ad Quintium,

*Sum bonus & frugi, renuit negat atq; Sabellus.*

cùm apertum & rectum ſit, Sabellus renuit atque negat.

## DE VERBIS COMPOSITIS.

### LII.

Quod dictum eſt de ſimplicibus & proprijs verbis, idem etiam de coniunctis & mutuatis intelligendum eſt. Abſurdæ & humiles metaphoræ ſunt illæ Licienſis:

*Quem ſtudio morum naturæ pinxerat vnguis,*
*Incauſto tinxit mors inimica ſuo.*
*Nullius vicij glacies hiemauit in iſto.*

Nec abſimile illud:

*Paulus in orbe docet, fideiq; ligonibus omnes*
*Excolit, & fidei cogit flaueſcere meſſem,*
*Errorum fugiente gelu.*

Item illud,

*Arridet germen quod linguæ pingitur oſtro:*
*Ver habet in bruma qui flores carmine gignit,*
*Per glaciem Zephyros exhalant verba tepentes.*

Talia multa ſunt Aratoris, Fulgentij, Sidonij, Euodij, Fortunati, poëtarum Chriſtianorum. Itaq; videant adoleſcentes, ne

in hac parte, ſibi praua aliqua imitatione nimis placeant, & arripiant deteriora.

## LIII.

Solœciſmus omnis tam in conſecutione, quàm in compoſitione verborum eſt vitandus. Obſeruandi præterea Græciſmi, quibus contra Latinorum conſuetudinem poëtæ vtuntur, de quibus in libro de Syntaxi Græca alibi actum eſt: de verborum compoſitione, in libro Elegantiarum exempla poëtarum proponuntur. Quidquid autem veterum aut exemplo, aut imitatione, aut aliqua modificatione non eſt dictum, id omne eſſe ſolœciſmum iudico.

## LIIII.

Sententiæ proprijs & perſpicuis verbis, & in conſuetudine poſitis, ſunt efferendæ: ita tamen, vt ne ſolutæ orationi planè ſimiles appareant. Hoc in quibuſdam Ciceronis ſententijs conſiderabimus. In Paradox.

*Magnum vectigal parſimonia.* Lucret.

*Diuitiæ grandes homini ſunt, viuere parcè.*

Idem ad C. Trebonium, *Ferreus eſſem, ſi te non amarem.*

Helena ad Paridem, apud Ouidium,

*Ferrea ſim, ſi non hoc ego pectus amem.*

Idem ad Q. Fratrem,

*Poëma*

*Poëma animum vacuum ab omni cura deſiderat.*

Ouid.

*Carmina proueniunt animo deducta ſereno.*

Ad eundem, *Omnis amor anxius eſt & ſollicitus.* Ouid.

*Res eſt ſolliciti plena timoris amor.*

Idem 1. de Legibus, *Cùm natura cæteras animantes abieciſſet ad paſtum, ſolum hominem erexit, & ad cœli quaſi cognationis domiciliiq́ue priſtini conſpectum excitauit.* Ouid.

*Pronaq́ue cum ſpectent animalia cætera terram,*
*Os homini ſublime dedit, cœlumq́ue videre*
*Iuſsit, & erectos ad ſidera tollere vultus.*

Idem, *Magna pars ingenij dolor.*

Ouid. 2. Met.

*Ingenium mala ſæpe mouent.*

Idem pro Milone, *Magna eſt vis conſcientiæ, vt neque timeant qui nihil commiſerint: & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccarint.*

Ouid.

*Conſcia mens vt cuique ſua eſt, ita concipit intra*
*Pectora, pro facto ſpemq́ue metumq́ue ſuo.*

Idem, *Eorum qui futuri ſunt, erit melius iudicium.* Ouid.

*Iudicium melius poſteritatis erit.*

Idem ad Papyrium Pætum, *Vt aurum igne, ſic beneuolentia fidelis periculo aliquo perſpici ſolet.*

Ouid.

*Scilicet vt fuluum ſpectatur in ignibus aurum,*

*Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.*

Idem in Bruto,

*Craſſo & Antonio L. Philippus proximus accedebat, ſed longo interuallo, tamen proximus.*

Virg. 5. Aen.

*Proximus huic, longo ſed proximus interuallo.*

Portius Latro apud Senecam, *Non vides vt immota fax torpeſcat, & ignis exagitata reſtituat?*

Ouid.

*Vidi ego iactatas mota face creſcere flammas,*
*Et rurſus nullo concutiente mori.*

Rurſus Cicero 1. Tuſc. *Habes ſomnum imaginem mortis, eamq́; cotidie induis.*

Ouid. 2. Elegiarum.

*Stulte, quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago?*

Idem, *Veniet tempus, & quidem celeriter: ſiue retardabis, ſiue properabis.* Propert.

*Tardius aut propius mors ſua quenq; manet.*

Cic. ad Att. 8.

*Pro patria & in patria mori, præclarum eſt.*

Ita Briſeis ad Achillem, de tribus ait fratrib. *Qui bene pro patria, cum patriaq́; iacent.*

Seneca ad Lucilium, *Si vis amari, ama.*

Martialis, *Marce, vt ameris, ama.*

Ouid. *Vt ameris, amabilis eſto.*

## LV.

Eadem ſententia iiſdem verbis non repetenda: nam varietas orationem commendat,

dat, idq́ paucis exemplis non tam explicandum modò eſt, quàm ſignificandum.

Ouid. 1. de arte,

*Culta Palæſtino ſeptima feſta viro.*

Ibidem, *Cultaq́ Iudæo ſeptima ſacra viro.*

Ita 4. Triſt.

*O' quater, & quoties non eſt numerare, beatum.*

Et rurſus 2. de arte.

*O' quater, et quoties numero comprendere nō eſt,*
*Felicem.* Ita 2. de Ponto.

*Non ita pars fati candida nulla mei eſt.*

Et rurſus 5. Triſt.

*Non ita ſunt fati ſtamina nigra mei.*

Ita 3. de Ponto.

*Triſtia deformes pariunt abſynthia campi,*
*Terraq́ de fructu quàm ſit amara docet.*

Ibidem.

*Triſtia per vacuos horrent abſynthia campos,*
*Conueniensq́ ſuo meſſis amara loco eſt.*

## L V I.

Duobus verſibus aut pars ſententiæ, aut tota ſententia eſt abſoluenda: nec verbum reſeruandum in tertium vſq́ verſum eſt.

Ouid.

*Inſtiteram, quare primi Megaleſia ludi,*
*Vrbe forent noſtra: cùm dea (ſenſit enim)*
*Illa deos, inquit, peperit.*

Idem.

*Quid*

*Quid tibi Piſandrū, Polybumq́ꝫ, Medontaq́ꝫ dirū,*
*Antimachiq́ꝫ auidas, Antinoïq́ꝫ manus,*
*Atqꝫ alios referam?*

LVII.

Verſus euidentes ſunt, in quibus propoſitioni additur ſtatim ratio. Id ſi fit

1. Rectâ, dialecticum eſt. Horat.
*Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.*
2. Modo inuerſo, eſt poëticum. Virg.
*Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.*

LVIII.

Sententiæ ſimpliciter prolatæ, illuſtrantur exemplis: vt quod ſimpliciter dictum à Tibullo,

*Non opibus mentes homini curaq́ꝫ leuantur:*
id auxit duplici exemplo Varro Atacinus, vt citatur à Non. Marcello,
*Non demunt animis curas aut relligionem*
*Perſarum montes, nec diuitis atria Crœſi.*
Verum de ſententijs & earum ornamentis dicere, nunc non eſt propoſitum.

LIX.

Euidens etiam eſt, exemplo ſingulari aliquid vniuerſum declarare. Vt cum dicendum eſſet, omnibus moriendum eſſe, id aliqua perſona inſigni demonſtrare. Vt Hora.

*Occidit*

*Occidit & Pelopis genitor, conuiua deorum.*
& Ouidius,
*Occidit & Theſeus.*

## L X.

In exemplis modum obſeruarunt veteres, quod factum à poſterioribus non eſt: quòd ſi enumerationem habent finitam, partes non debent omitti, quod docent Dialecticorum præcepta.

Horat. 1. Carm. Oda 16.
*Non Dindymene, non adytis quatit*
*Mentem ſacerdotum incola Pythius,*
*Non liber æquè, non acuta*
*Sic geminant Corybantes æra.*

Omnis enim furor aut eſt amentium, aut fatidicorum, aut vatum, aut ſacrificantium.

## L X I.

Traiectionibus confuſis & perplexis, vel in verbis, vel in ſententijs, ad vitandam obſcuritatem non eſt vtendum. Vtriuſq; exemplum eſt locus Virgilij:

*iuuenes fortiſſima fruſtra*
*Pectora, ſi vobis, audentem extrema, cupido*
*Certa ſequi: quæ ſit rebus fortuna videtis.*
*Exceſſere omnes, adytis ariſq; relictis,*
*Dij, quibus imperium hoc ſteterat: ſuccurritis vrbi*
*Incenſæ: moriamur, & in media arma ruamus.*

Ordo

Ordo enim eſt: Iuuenes fortiſsima pectora, fortuna quæ ſit videtis, ſuccurritis vrbi incenſæ fruſtrà: omnes dij quibus ſteterat hoc imperium, adytis ariſq; relictis exceſsêre. Si vobis cupido certa ſequi audentem extrema, moriamur, & ruamus in media arma. Reprehendit vicium traiectionis in Lucilio auctor ad Herennium.

## L X I I.

Eadem obſcuritas interdum eſt, non in verborum confuſione, aut perplexitate ſententiæ: ſed in ſermonis varietate, vt in Dialogiſmis fieri ſolet, qualis ille Horatij ad Mecœnatem, qui Poëtæ hoſpitis Calabri, & amici quî cum loquitur, perſona diſtinguendus eſt: tum enim tota ſententia lucem accipit, & eſt facilis atq; iucunda. Locus eſt lib. 1. epiſt. 7.

P. *Non quo more piris veſci Calaber iubet hoſpes.*
*Tu me feciſti locupletem.* C. *veſcere ſodes.*
*A. Iam ſatis eſt.* C. *at tu, quantum vis, tolle. A. benignè.*
C. *Non inuiſa feres pueris munuſcula paruis.*
*A. Tam teneor dono, quàm ſi dimittar onuſtus.*
C. *Vt libet: hæc porcis hodie comedenda relinques.*
P. *Prodigus & ſtultus donat, quæ ſpernit & odit.*
*Hæc ſeges ingratos tulit, & feret omnibus annis.*

Talia apud eundem Poëtam multa. Omnis

mnis autem obſcuritas, quantum fieri poteſt, fugienda eſt.

## LXIII.

Obſcuri verſus fiunt, qui nimis ſunt figurati. Poſſumus in vno Vergilij hemiſtichio duodecim numerare figuras: quod eſt in 1. Aen. *Spumas ſalis ære ruebant.*

In genere eſt περίφρασις, pro nauigabant: item ἐνέργεια, quia euidenter rem nauticam exprimit. In ſpecie poſuit *ſpumas ſalis*, pro mari ſpumante, κατὰ ταπείνωσιν, ἀντιμέρειαν, συνωνυμίαν. *Aere*, pro æratis roſtris, κατὰ μετωνυμίαν, quia materia ponitur pro re confecta, κατ' ἐναλλαγὴν numeri, quia ſingularis pro plurali: κατὰ συνεκδοχὴν, quia roſtrum pro naui, pars pro toto: κατ' ἔλλειψιν, quia roſtrum non nominatur, ſed intelligitur: κατ' ἐναλλαγὴν qualitatis, quia ſubſtantiuum pro adiectiuo ponitur, æs pro inſtrumento æreo. *Ruebant*, κατ' ἐναλλαγὴν generis, neutrum pro actiuo: item κατ' ἐναλλαγὴν figuræ, quia ſimplex pro compoſito, *ruebant*, pro eruebant.

## LXIIII.

Deniq; in tota collocatione verborum, & ſententiæ tractatione, cura diligentiaq; adhibenda, aureſq; cùm bonorum Poëtarum lectione aſsidua, tum accurata imitatione

tione & exercitatione aſſuefaciendæ ſunt: vt ſi quid improprium, inuſitatumq́ue, aut ſi quid aſperum, confuſum, languidumq́ue incidat, id ſtatim iudicare ſciant, & repudiare diſcant. Poſſunt enim eadem eſſe verba, ſimiles numeri, pares ſententiæ: tamen ſi quid immutetur, diuerſus & planè diſpar vt efficiatur ſonus. Virg.

*Et vitta comtos voluit prætendere ramos.*

Hoc omnem gratiam amiſerit, ſi dicas:

*Et ramos voluit comtos prætendere vitta.* Ouid.

*Regia, crede mihi, res eſt ſuccurrere lapſis.*

Quod ſi proferas hoc modo:

*Crede mihi, lapſis ſuccurrere, regia res eſt.*

minus numeroſum, minus elegans carmen eſt. Hæc cùm in emendando præceptoribus occurrant quotidie, ipſorum induſtriæ, ne longiores exemplis ſimus, relinquendum eſt.

## L X V.

In numeris exprimendis propria quadam vtuntur poëtæ ratione, vt Ouidius annos decem ſignificat per obſidionem Troiæ.

*Videor patria procul eſſe, tot annis*
*Dardana quot Graio Troia ſub hoſte fuit.*

Item tres annos nominibus Parcarum,

*Tot reſtant de menſe dies, quot nomina Parcis.*

In hoc genere ingenioſè multa ſcripſit Ioſe-

Ioſephus Pineus : quæ ego meliora iudico, quàm aut Venantij Fortunati, aut Rabani Mauri.

## VI. DE EPITHETIS.

### LXVI.

Epitheta non ſolùm ornant atque explicant vulgaria & obſcura, verùm etiam diſtinguunt ambigua, & augent minus valentia. In ijs idem eſt quod in verbis obſeruandum, vt & rebus & temporibus, & argumentis rectè atq; decorè adhibeantur. Nec qui Elegias ſcribit, aut ludit Epigrammata, è poëta Epico aut Dithyrambico venetur epithetá: quorum copiam qui ſtudet colligere, ei hæc capita in promptu habenda ſunt: quæ ſi quis cogitatione percurret, nunquam eorum laborabit inopia.

I. Pars rei : Vt, *Tergeminus Geryon, mare Carpathium, ventus Boreas. Dextera Achillis, pro Achille. Stertinij acumen, pro Stertinio. Virtus Scipiadæ, & mitis ſapientia Lælij.*

II. Quantitas, *Celſus Eryx, profundum æquor, ampla domus. Latè furentes Barcæi. Exigui numero, ſed bello viuida virtus.*

III. Qualitas, quæ multiplex eſt.

1. Animi, *vt Poëta ingenioſus, Diomedes fortis,*

Y *cultum*

*cultum ingenium, pectus crudele.*

2. Corporis, *vt formoſa Helena, Circe aurea, pedes argentea Thetis, crinitus Iopas. Vigor iuuenilis, celeres pedes, validi lacerti.*

3. Senſuum, *vt flaua Ceres, raucum murmur, ſæua Mephitis, amaris intyba fibris, mollis lana.*

4. Affectionum, *vt feruida adoleſcentia, præceps ira, cæca auaricia, mors pallida.*

5. Formarum, *vt cœlum rotundum, bimaris Corinthus.*

*Eſt ſinus adductos modicè falcatus in arcus.*
*Serpens centum porrectus in vlnas.*

IIII. Reſpectus rei alterius, *vt Achilles* ab auo, *Aeacides:* à patre, *Pelides:* à patria, *modò Phthius, modò Laryſſæus*: à regione, *Theſſalus*: à matre, *Iouis nepos*, item *Nereïus heros*: à magiſtro, *Phillyridæ diſcipulus*: à populo, *dux Myrmidonum*: à victorijs, *Hectoris occiſor, Cygni victor, Troiæ populator*: à celeritate & fortitudine,

*decus & tutela Pelaſgi Nominis*
*Caput inſuperabile bello,*

dici poteſt. Item, *hoſpes Lycomedis, amicus Patrocli, amator Briſeidis, ſponſus Polyxenæ, æmulus Agamemnonis, medicus Telephi*: & quæ his ſunt ſimilia.

V. Actio, *Vt, Troiani belli ſcriptor, Homerus: hortator ſcelerum, Aeolides, Vlyſſes: domitor monſtrorum,*

*ſtrorum, Hercules.* Huc pertinent, *calida æſtas, ſons perennis, iratum mare, letifer arcus.*

V I. Paſsio, *vt, Laborioſus Vlyſſes, ærumnoſus Hercules.*

*Troiæ & patriæ communis Erinnys.*
*ingenium capax, felix memoria, præclara ſcientia.*

V I I. Loci aut notatio, *Vt, aëriæ volucres, ſiluicolæ Fauni.*

*Montium cuſtos nemorumq́ꝫ virgo.*
*Itur in antiquam ſiluam, ſtabula alta ferarum.*

aut poſitus loci: *vt, Marſus aper, marmor Parium, ſpica Ciliſſa, Ityræus arcus, Rhodopeius Orpheus.* Propert.

*Blandinaq́ꝫ fluant per mea colla roſæ.*

V I I I. Tempus, *Vt, roſa verna, corna autumnalia, priſca fides, dies ſerenus, nox accommoda fraudi, Trïeterica Bacchi Orgya.*

I X. Habitus, *Vt, ſquamigerum pecus, ſetigeri ſues, inerme vulgus, nuda veritas. Incomptis Curius capillis. Tectus tunica Mars adamantina. Ocreatus miles.*

*triplici circundata muro Mœnia.*

## L X V I I.

Vna vox exercitationis gratia per ſingula capita ducenda, & poſtea iudicandum, quæ epitheta inſtituto præſenti magis conueniant. Exempli gratia: *Aurum.*

Pars rei : *Auri metallum , aurea lamina.*

Quantitas : *Solidum, graue pondus auri.*

Qualitas : *Fuluum , ſplendidum,*

*Flexilis obtorti per collum circulus auri.*

*fuſile , lentum.*

*Sunt auri pondera facti. Infectiq́ mihi.*

Reſpectus rei alterius : *Purum , obryzum, precioſum, venale, Daricum, Philippeum.*

Actio : *Potens, fallax, perfidum.*

Paſsio : *Subæratum , Toloſanum , Barbaricum, πειϑόμενον βασάνῳ.*

*Auri cæca fames.*

Locus : *Stygijs vmbris reconditum. In Albi aut Muldæ apud nos inuentum , aut in Tarni fluuio Galliæ, de quo Auſonius : aut Corduba Hiſpaniæ , de quo Silius.*

Tempus : *Vetus.*

Habitus : *Auricomus ramus , intextum veſtibus aurum.*

*Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum:*
*Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.*

In epigrammate aut in carmine exiguo locum non habet hoc præceptum , ſed in iuſto aliquo opere , ne quis deſtituatur facultate aut copia.

## L X V I I I.

Epithetorum, quod ad vſum attinet, varia vis atq; natura eſt : aut enim ſunt

1. Ne-

1. Neceſſaria, quæ diſcretionis cauſa adhibentur. Ouid.

*Quid Pandoniæ iam ſunt, niſi nomina, Thebæ?*

intelligit Bæoticas, ideo poſuit regis nomen ad differentiam illarum, de quibus Tragicus in Troade:

*Cecidêre Thebæ, vidit Eëtion capi*
*Sua regna victus.*

Loquitur de Thebis in Cilicia, quas Ouid. Eëtionias.

Eodem modo Tibul.

*nos ad mala noſtra*
*Vertimus, in ſæuas quod dedit ille feras.*

Sæuas inquit feras, ad diſtinguendum à domeſticis & manſuetis.

2. Perpetua, quæ propria naturæ ſunt, & ponuntur indifferenter. Vt, *humida nox, placida ouis, dirum bellum, teneræ puellæ, cana ſenectus, miſeri mortales, vagus Oceanus.*

3. Temporaria, quæ aut pro negociorum qualitate, aut ornatus gratia, ſcribentis arbitrio accerſuntur. Ouid.

*Attenuant vigiles corpus miſerabile curæ.*

Virgil.

*Perdidit horrendo Troiam Venus improba bello.*

Tibull.

*Præda feras acies cinxit diſcordibus armis.*

4. Argumenti vim habentia, quæ ad fidem aut incrementum orationis faciunt.

Virg. *nec littora longè*
*Fida reor fraterna Erycis.*
ideo enim fida, quia fraterna. Tibul.
*Quem labor aſsiduus vicino terreat hoſte.*
quid enim maiorem terrorē incutit, quàm cura aſsidua, & vicinus hoſtis?

Horat. *Mutauit mentem populus leuis.*
ideo enim leuis, quia mutabilis.

## LXIX.

Eſt & alia epithetorum diuiſio, quæ ex ambiguitate eorum oritur, alia enim

1. Communia ſunt, quæ & in genere poſſunt intelligi, & ad certū caſum referri.

Virg. 11. Aen.
*graditur bellum ad crudele Camilla.*
*Crudele*, ſi vniuerſale eſt, ad totam belli calamitatem: ſin ſingulare, ad huius belli exitum, qui Camillæ exitioſus fuit, refertur.

2. Certarum rerum fiunt propria, non ſua natura, ſed caſu: propter perſonas aut res, quibus adiunguntur. Idem 2.

*Arma diu ſenior deſueta, trementibus æuo*
*Circundat nequicquam humeris, & inutile ferrū*
*Cingitur.*

*Ferrum* per ſe inutile dici non poteſt, ſed inutile ſeni erat, qui eo cingebatur.

Ouid. in Ariadna,
*Crudeles ſomni, quid me tenuiſtis inertem?*

Somno

Somno tribuit quod ei minimè conuenit, ſed reſpexit ad grauem fortunam ſuam, qua dormiens deſerta eſt.

3. Dubia, quæ ad varia ſubſtantiua referuntur, propter incertitudinem caſuum.

Virg. 6. Aen.

*aliæ penduntur inanes*
*Suſpenſæ ad ventos.*

Aliæ, vel animæ inanes: vel ad ventos inanes. Horat. 1. Carm.

*Nec curſus duplicis per mare Vlyſſei.*

Vtrum, *curſus duplicis*, an *Vlyſſei duplicis?* nam & veteres Grammatici dubitant.

## L X X.

Detrahuntur perſonis epitheta, & attribuuntur rebus, iucunda quadam tranſpoſitione. Virg.

*Heu fuge crudeles terras, fuge littus auarum.*

id eſt, crudelis atq; auari regis ditionem & hoſpitium. Ouid.

*poſtquàm crudelibus aris*
*Admota eſt, ſenſitq; ſibi fera ſacra parari.*

id eſt, aris & ſacris tam deorum quàm hominum crudelium.

Tale eſt apud eundem:

*Verberibus iuſſas præbuit ipſe manus.*

Item apud Virg.

*Hæc ait, & ſocij ceſſarunt æquore iuſſo.*

Grammatici nonnulli ὑπαλλαγὴν nominarunt hanc tranſpoſitionem, alij μεταγωγὴν.

## L X X I.

Permutantur etiam epitheta, vt ea quæ ſint perſonarum, tribuantur perſonarum affectibus. Virg. 1. Aen.

*Conueniunt quibus aut odium crudele tyranni*
*Aut metus acer erat.*

id eſt, odium tyranni crudelis. Aut accommodentur locis atq; temporibus. Idem 6.

*Ibant obſcuri ſola ſub nocte per vmbras.*

id eſt, ſoli ibant ſub obſcura nocte. Et 7.

*vdæ*
*Vocis iter, tenuemq́; incluſit ſanguine vitam.*

cùm dicendum eſſet, vdum iter vocis.

## L X X I I.

Venuſta collocatio eſt, ſi à ſubſtantiuis epitheta, per orationis aliquam partem interiectam, ſeparantur. Ouid.

*Nudaq́; marmoreis percuſſit pectora palmis.*

Iſta collocatio cùm Grammatica eſt, friget oratio. Lucanus,

*Amiſſæ leges pereunt diſcrimine nullo.* Horat.
*Ieiunus ſtomachus rarò vulgaria temnit.*

Ideoq; aliqua varietate ſemper vtendum, qualis eſt in his exemplis:

*Paſſibus ambiguis fortuna volubilis errat.*

*Somnia*

*Somnia fallaci ludunt temeraria nocte.*
*Fingit equum tenera docilis ceruice magiſter.*

## LXXIII.

Poſitus epitheti magnam interdum ſententiæ vim vel amplificatione vel affectu addit.

1. Amplificatione, vel cùm diſcernuntur res diuerſæ. Virg. 4. Aen.

*illi ſtellatus iaſpide fulua*
*Enſis erat.*

hîc color gemmæ auget precium. Vel cùm aliqua adijcitur res accidens. Tibul. 1.

*Et teneat culti iugera magna ſoli.*

hoc loco quantitas modum diuitiarum exaggerat.

2. Affectu, cùm excitatur expectatio, aut diſtinctione rerum diuerſarum. Idem,

*Diuitias alius fuluo ſibi congerat auro.*

Suſpendit animum lectoris epitheton, nam etiam fuluo ære dici potuit. Aut adiectione alicuius qualitatis. Virg. 9.

*Transadigit coſtas, & pectora candida rumpit.*

quòd addit *candida*, ad mouendum πάθος pertinet, quia iuuenilia. Multùm igitur refert quo modo adhibeatur, & vtrum præponatur an poſtponatur epithetum.

## LXXIIII.

Duo vni ſubſtantiuo non ſunt apponenda ſine coniunctione epitheta. quòd cùm in decem verſibus Virgilium feciſſe Seruius annotauit, eos hoc loco ſubijciam.

In Bucol.

*Lenta quibus torno, facilis ſuperaddita vitis.*

4. Georg.

*Adſint, & tenuis fugiens per gramina riuus.*

1. Aen. *Primaq́ libato ſummo tenus attigit ore.*

2. *Sigæa igni freta lata relucent.*

3. *dum trepidi crudelia limina linquunt,*
*Immemores ſocij.*

5. *nec littora longè*
*Fida reor fraterna Erycis.*

Ibid. *cùm lubricus anguis*
*Septem ingens gyros, ſeptena volumina verſat.*

Ibidem.

*Hîc iuuenis, iam victor, ouans veſtigia preſſo*
*Haud tenuit titubata ſolo.*

6. *lucent genialibus altis*
*Aurea fulcra toris.*

7. *pars arduus altis*
*Puluerulentus equis furit.*

12. *inſelix humero cùm apparuit ingens*
*Baltheus.*

Fecerunt hoc licentius vetuſtiſsimi, vt plura etiam vni adiungerent epitheta. Tale illud Tragici, quod à Cicerone 1. Tuſculana citatur:

*Per*

*Per ſpeluncas ſaxi ſtructas aſperis, pendentibus,*
*Maximis, vbi rigida conſtat craſſa caligo inferûm.*

## LXXV.

Tria ſunt ſecundum Ariſtotelem epithetorum vitia, quæ ſermonem incultum faciunt. Prolixa: Vt, *incuruiceruicum pecus.* Inepta, quæ ſunt abſurda aut tumida: Vt, *ſenex Reſpublica, Panomphæus tonans.* Nimia, cùm ita denſantur, vt faſtidium pariant: vel cùm duo, vt modò dixi: vel, vt apud Græcos, plura vni adiunguntur nomini ſubſtantiuo.

## LXXVI.

Non ſæpe accidit, ſed accidit tamen, cum incremento ſententiæ, vt nomen proprium à ſuo cognomine vel epitheto auellatur.

Virg. 3. Aen.

*nec talia paſſus Vlyſſes,*
*Oblitusúe ſui eſt Ithacus.*

Aſtutiam viro illi fuiſſe naturalem, nomine proprio innuit: auctam eam ciuium conſuetudine, ſignificat patriæ appellatione, quòd Ithacum vocat. Idem,

*Non hæc tibi littora ſuaſit*
*Delius, aut Cretæ conſidere iuſſit Apollo.*

in non ſatis intellecto oraculo inſulæ Deli, & dei ipſis nomen nominat.

Bina

## LXXVII.

Bina interdum epitheta, vel à rebus accidentibus, vel ab ipſo genere ſumpta, vnius vicem nominis implent, vt Mineruæ apud Virgilium 2. Aeneidos:

*Iam ſummas arces Tritonia (reſpice) Pallas*
*Inſedit.*

*Tritonia*, à loco: *Pallas*, ab effectu τοῦ πάλλειν τὸ δόρυ. Vt Bacchi apud Horatium 1. Carm.

*nec Semeleius*
*Cum Marte confundet Thyoneus prælia.*

illud ſumptum à matre Semele, hoc ab auia (vt ait Helenius) Thyone.

## LXXVIII.

Epithetis vtimur aut gratia

1. Laudandi: Vt, *ingenioſus poëta, fortis Achilles.*

*optimus armis Aeneas.*
*Conſilijs nec inutilis auctor Creditus.*

2. Vituperandi: *Toruus Procruſtes, crudelis Buſiris.*

*Scelere ante alios immanior omnes,*
*Quos inter medios venit furor.* de Pygmalione.

3. Amplificandi. *Vigilásne Deûm gens?*
*Auguſtus Cæſar, Diui genus.*

4. Extenuandi:
*Eheu quàm pingui macer eſt mihi taurus in aruo.*

5. De-

5. Demonſtrandi: *Mycenæus Agamemnon, Trinacria Aetna.*

6. Ornandi: *Aurea Venus.*

*oſtroq; inſignis & auro Stat ſonipes.*

Epitheti nomine complectimur non modò id, quod reuerà appellatur epitheton: verumetiam quod quocunq; modo adijcitur nomini ſubſtantiuo, ſeu per

1. Agnominationem: Vt, *Amphitryoniades, pro Hercule.*

2. Circumlocutionem: Vt, *Tirynthius heros*, pro eodem.

3. Appoſitionem: Vt,

*Effodiuntur opes irritamenta malorum.*

4. Imaginem: Vt,

*quo non præſtantior alter*
*Aere ciêre viros, Martemq; accendere cantu.*

## LXXIX.

In imitandis mutandiſúe epithetis, acri opus eſt iudicio. Virg.

*Stat ſonipes, ac frena ferox ſpumantia mandit.*

Hoc non aſſecutus eſt Silius:

*Stat ſonipes, vexatq; ferox humentia frena.*

Virg.

*tauri ſpirantes naribus ignem.*

Pænè inſolentius dixit Ouidius,

*tauri vulcanum naribus efflant.*

Eadem ſententia Tibulli,

Quid

*Quid fraudare iuuat vitem creſcentibus vuis,*
*Et modò nata, mala vellere poma manu?*

Eadem Ouidij.

*Quid plenam fraudas vitem creſcentibus vuis,*
*Pomaq́ crudeli vellis acerba manu?*

E' collatione facilè intelligit quod melius ſit, qui iudicium affert ad ſcriptorum lectionem.

LXXX.

Vſum epithetorum monſtrauit, rectè habitus poëtarum doctiſsimus Virgilius, in narratione de Hercule, vbi eius & Caci latronis Itali duellum deſcribit, nam & patrem, & auum, & patriam Herculis narrando per epitheta oſtendit: quem primùm Amphitryoniadem, mox Alciden, inde Tirynthium nominat. neque enim caſu oblata, ſed iudicio ſelecta hoc modo poſuit, ad fidem enim facit non neſcire familiam & patriam. In reliqua narratione Alcidæ nomen retinet, quia Alcæus ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, dictus: nec erat vllum ad pugnam & ad victoriam magis idoneum. Alluſit præterea tectè ad alia virtutis eius cognomenta:

*ſæuis hoſpes Troiane periclis*
*Seruati facimus.*

Hercules σωτὴρ cultus fuit à Thaſijs: ἀλεξίκακος ab Epheſijs. Item:

*nam*

*nam maximus vltor*
*Tergemini nece Geryonis.*

Hercules Vltor cultus à Romanis, παραστάτης ab Olympijs.

Idem etymologiam nominis veram τῆς τισιφόνης expreſsit epitheto : 6. Aen.

*Vltrix accincta flagello Tiſiphone.*

& ad non veram alluſit verbo :

*vocat agmina ſæua ſororum.*

nonnulli enim Furiarum φωνὴν dici volunt Tiſiphonem.

Idem in notandis perſonis variat epitheta: Troianos in laude Troiugenas & Dardanidas nominat, in infamia Laomedontiades aut Phryges: quod & à Seruio annotatum eſt. Ita cùm canit 3. Aen.

*qui deinde ſecutus Ledeam Hermionem.*

tacitè ſignificat illam puellam & matris Helenæ,& auiæ Ledæ imitatam turpitudinem. Similiter propter matris probrum Vlyſſes in vituperio Aeolides à Virgilio, Siſyphides ab Ouidio appellatur. In vero igitur epithetorum vſu aut hiſtoriam ſpectamus, fidei cauſa : aut ſignificationem vocabulorum exprimimus,docendi gratia : aut conſulimus officio, ne contra bonos mores, alijs exagitandis, facere videamur.

## LXXXI.

Epithe-

Epitheta locorum, intellectu ſumuntu vario: ideoq́ vel natura, vel aliqua alia proprietate diſterminantur. Vt, *Ignis Aetneus*, qui ardet natura ſua, altus aquis bituminoſis. *Iliaci ignes*, quibus arſit Troia, incenſa ab hoſtibus. *Ignis Noricus*, quo ferrum à metallicis excoquitur, vt de ferro optimo dicatur,

*quod Noricus excoquit ignis.*

## LXXXII.

Ea epitheta quæ tempus ſignificant,

1. Aut ponuntur abſolutè pro ipſo tempore. Tibul.

*Sic venias hodierne, tibi dum thuris honores,*
*Liba & Moſopio dulcia melle feram.*

2. Aut accommodantur perſonis. Virg.

*Nec minus Aeneas ſe matutinus agebat.*

3. Aut applicantur rebus: quod cæteris magis eſt poëticum. Ouid.

*Hanc matutinos pectens ancilla capillos*
*Incitet.*

## LXXXIII.

Epitheton interdum indifferens eſt, & attribui vel antecedenti vel conſequenti poteſt. Virg. in Buc.

*Quamuis multa meis exiret victima ſeptis,*
*Pinguis & ingratæ premeretur caſeus vrbi.*

poteſt dici victima pinguis, & pinguis caſeus. Idem,

*Quàm diues pecoris niuei quàm lactis abundans.*

eodem modo, hîc, pecoris niuei, & niuei lactis. Ambiguitàs omnis, niſi apertam habeat intelligentiam, aut certè vtrinq; ſententiam non incommodam, hic in oratione eſt, vt ſcopulus in mari vitandus.

## LXXXIIII.

In epithetis fugienda humilitas, Martialis diem ſudum ſeu ſerenum nominat, *ſine fece*: quem iucundius Propertius, *ſine nube.*

## LXXXV.

Vtendum epithetis eſt, ex Ariſtotelis ſententia, non vt cibo, ſed quaſi condimentis: nonnulli putant hoc Ouidij 2. Met. eſſe nimis quaſi lautum & condîtum,

*Aureus axis erat, temo aureus, aurea ſummæ*
*Curuatura rotæ, radiorum argenteus ordo.*

Reprehendit hoc nomine Corinna Pindarum, Ariſtoteles Alcidamantem, quod in epithetis vſi nimis exquiſita ſint elegantia.

# VII. DE VERBORVM COPIA.

## LXXXVI.

Requiruntur in verbis duo, latinitas & elegantia, vt nominat auctor ad Herennium: ſeu, vt loquuntur Grammatici, ſyntaxis & phraſis. Syntaxis, vt ſint rectè compoſita, ſecundũ præceptiones artis: Phraſis, vt ſint exemplis formata, ſecundum conſuetudinem optimè loquentium. Ad vtrunque in oratione adhibenda varietas & facultas ea, qua vna eademq́ ſententia verbis diuerſis, modisq́ varijs effertur. Ea fit, cùm aut verba commutantur, aut cùm diuerſa eſt verborum conſtructio, aut cùm orationis mutatur habitus. Prima pars ſine omni affectu eſt, & delectationem habet: altera priori ſimilis, vltima verò affectuoſa, quæ addit orationi vehementiam. Hæc quia adoleſcentulorum ſtudijs ſunt vtilia, paucis explicabo: qui plura cupit, conſulat Eraſmi libros de copia, aut adhibeat Vuillichij, Riuij, Loſsij libellos, quibus eadem præcepta repetuntur & explicantur: inprimis conferat exempla, quæ libris præcedentibus, ſecundo & tertio, ſunt congeſta.

## DE VERBORVM COMMVTATIONE.

### LXXXVII.

Cùm

Cùm vna ſententia effertur verbis commutatis aut diuerſis, id vel vno fieri verbo, vel pluribus ſolet. Si vno tantummodo verbo fit, reſpectus habetur, aut ſignificationis, quæ habet intelligentiam & communis eſt. Aut qualitatis, cùm aliena ſumuntur, & minus expoſita, aut vſitata.

VNIVS.

I. Verbi vnius ſi fit mutatio, & ſi ſpectes ſignificationem, poni poteſt loco proprij.

1. Idem ſignificans, συνώνυμον. Vt, *Sors, fortuna, caſus.* Cicero pro Milone.

*Varia eſt vitæ commutabiliſq́ ratio: vaga volubiliſq́ fortuna.* Virg. in Buco.

*Sors omnia verſat.*

Nulla autem συνώνυμα tantùm per ſe cognata, aut æqualia ſunt, quæ non aliquid habeant differentiæ.

2. Simile, μεταφορικὸν. Idem pro Sylla.

*O' volucrem fortunam, quàm citò omnia ex lætitia & voluptate, ad luctum & lacrymas recidunt?*

Fortuna volucris pro mutabili.

Publius.

*Fortuna vitrea eſt, quæ cùm ſplendet, frangitur.*

Vitrea, pro fragili. Curtius.

*Fortunam tuam preſſis manibus tene, lubrica eſt.*

Lubrica, pro inſtabili.

3. Sumptum à cauſa, μεταληπτικόν. Plaut. in Ciſtel.

*Immundas fortunas æquum eſt ſquallorem ſequi.*

Immunda fortuna, pro ſordida: Sordida, pro humili & aduerſa.

4. A' ſigno, μετωνυμικόν, vt cùm Paccuuius *fortunam cæcam & brutam* dicit perhiberi â philoſophis: cæcam ob eam rem eſſe, quia nihil cernat, quò ſe applicet: brutam, quia dignum atque indignum nequeat internoſcere.

5. A' partibus, συνεκδοχικόν. Iuuen. ſat. 7.

*Seruis regna dabunt, captiuis fata triumphos.*

Fatum nunc tanquam partem ad cauſam fortunæ, de qua locutus erat, ponit.

6. A' contrario, ἰσοδυναμοῦν. Vt Ouidius de fortuna ait,

*Quòd manet in nullo certa tenaxq́ loco.*

id eſt, quòd eſt mutabilis & inconſtans.

II. Si ſpectes verborum qualitatem, ſumi poteſt loco proprij.

1. ab alieno formatum, ἐναλλαγμένον.

Cic. pro Marcello,

*Fortuna eſt rerum omnium domina.*

Salluſt. in Catilinam.

*Fortuna in omni re dominatur.*

In priore ſententia nomen eſt, in altera verbum. Auctor ad Heron.

*Fortu-*

*Fortuna magnam nimis in nos habet dominationem.* hîc ponitur alia deriuatio, in eadem orationis parte.

2. Alienum, ἐξωτικὸν, vt ſi *fortunam Adraſteam* nomines, item *Troianam.* Alienis vtimur vel in inopia, vel cùm de alienis loquimur, vt *Medus Acinaces*, pro gladio: *Perſica Paraſanga*, pro miliari.

3. Extraneum, ἀντωνομαστικὸν. vt pro *fortuna* cùm dicimus *Rhamnuſia*, *Antias*, *Preneſtina*, quia Rhamnunte, Antio, Preneſte vrbibus, templa nobiliſsima habuit.

4. Improprium, καταχρηστικὸν. Boëthius: *Aequo animo toleres oportet, quidquid intra fortunæ aream geritur, cum ſemel iugo eius colla ſubmiſeris.* Area fortunæ, non ſatis vſitatè dicitur. Eodem modo Portius Latro, *Fortunæ blandientis ſpecioſus cum periculo nitor, & ſine cauſſa ſæpe fluit, & ſine ratione deſtituit.* Nitor fortunæ, & fortunam fluere: illud humiliter, hoc non propriè dicitur, & eſt nitoris ad fluxum nulla ſimilitudo, & metaphoræ mutatio.

5. Nouum, ὀνοματοποιητικὸν, cùm rei nouæ aut fictæ, nouum factumq́ imponitur vocabulum, vt *bombarda, typographia, compaſtum.* Vtimur non eodem vt in ſuperioribus exemplo, quia noua non vbiq́ extant: nec temere aliquid nouandum eſt, quomodo

tamen nouitate, aut quando vtendum ſit, id oſtenſum volumus.

6. Minus, μειωτικόν. Publius,

*Bona nemini hora, vt non alicubi ſit mala.*

Bonam horam malamúe, pro fortuna proſpera & aduerſa dicit.

7. Maius, αὐξητικόν, vt *cùm fortunæ fulmina & naufragia* dicit Cicero in Tuſculanis, [& fortunam aduerſantem vocat Boëthius, quæ *Aeſtuantis more fertur Euripi.*

8. Incredibile, ὑπερβολικόν, quomodo Cicero *hominem felicem fortunæ* dicit *eſſe fortunatiorem*: aut ſi dicas, *Bonam ipſam fortunam non fortunare poſſe hominem calamitoſum.*

PLVRIVM.

Si pluribus verbis fit commutatio, tum ponitur loco ſimplicis aut proprij

I. Circumſcriptum, περιφραστικόν, vt *Fortunæ inconſtantia*, pro fortuna: *caſuum varietas*, pro eadem: *ſortis mutabilitas*, rurſus pro eadem. Omne autem verbum circumſcriptum, vel fit:

1. Nominis interpretatione, more Grammaticorum, eſt ἐτυμολογικόν. Vt, *Fortuna*, quia temere fertur. Terent. in Phor.

*Quod fors feret, feramus æquo animo.*

Lucan. 2. Pharſ.

*ſors*

*ſors incerta vagatur*
*Fertq́ꝫ refertq́ꝫ vices: & habent mortalia caſum.*

2. Rei qualicunq; expoſitione, quæ fit ſecundum Dialecticos, eſt ὁριστικόν. Cic. 2. de Diuinat.

*Quid eſt aliud fors? quid fortuna? quid caſus? quid euentus? niſi cùm ſic aliquid cecidit, ſic euenit, vt vel non cadere atq; euenire, vel aliter cadere atq; euenire potuerit.*

Horat. 3. Carm. Od. 29.

*Fortuna ſæuo læta negotio, &*
*Ludum inſolentem ludere pertinax,*
*Tranſmutat incertos honores,*
*Nunc mihi, nunc alij benigna.*

3. Deſcriptione aliqua, more Rhetorum, eſtq; συμβολικόν. Cic. 3. de Orat.

*O' fallacem hominum ſpem, fragilemq́ꝫ fortunam, & inanes noſtras contentiones: quæ in medio ſpacio ſæpe franguntur & corruunt, & antè in ipſo portu obruuntur, quàm portum conſpicere potuerunt.*

Ouid. 3. Triſt.

*Cùm cœpit quaſſata domus ſuccumbere, partes*
*In proclinatas omne recumbit onus,*
*Cunctaq́ꝫ, fortuna rimam faciente, dehiſcunt,*
*Ipſa ſuo & quondam pondere tracta ruunt.*

II. Permutatum, ἀλληγορικόν; cùm aliud dicitur, aliud ſignificatur.

1. Vel hiſtoricè, cùm alluditur ad rem

 geſtam.

geſtam. Vt, *Vbi Helena, ibi Troia.* pro, Vbi libido, ibi aduerſa fortuna.

2. Vel demonſtratiuè, cùm aliud nomen ſumitur coniunctum, vndè proprium ſignificatur: hoc quia præſenti exemplo declarare non poſſumus, illud Neuij poëtæ antiquiſsimi ſumamus. *Coquus edit Cererem, Neptunum, Venerem*, pro, panem, piſces, & holera. Nam Ceres ſignificat fruges, Neptunus piſces, Venus holera, quia hortis præeſſe putabatur.

## DE COMMVTATIONE CONSTRVCTIONIS.

### LXXXVIII.

Diuerſitas conſtructionis eſt, cùm vni nomini aut verbo caſus diuerſi adijciuntur, vel more communi, vt fit in Syntaxi: vel ratione aliqua figurata, vt in Syntheſi.

I. Communi more fit, quod eſt conſuetudine vſitatum, & præceptis vulgaribus conueniens. Huius ſunt tres ſpecies.

1. Mutatio partium aut accidentium,
*Pœnitet me facti, pœnitet me feciſſe.*
*Dignus vita*, vel *dignus vitæ*, vt plerunq; Ouid.
*Dignus qui viuat*, & more Græco, *dignus viuere.*
Generum, *Multa pecunia, multum pecuniæ.*

Caſuum

Caſuum, *Egens opis & ope.* *Alienus loco* vel *à loco, & loci alienus*, vt 1. Faſt.

*Et quicunq; loci non alienus erat.*

*Meminit huius rei, hanc rem, & de hac re. Studet alicuius rei, alicui rei, aliquam rem. Euaſit doctus, euaſit in virum doctum.* Similiter, *Præſtantiſsimus ciuis, præſtantiſsimus ciuium, inter ciues, è ciuibus. Præſtantiſsimus ciuitatis, in ciuitate.*

Qualitatis, Terent. in Eun.

*Monſtrũ hominis non dicturus.* pro, homo monſtroſe, non es dicture. Confuſio generis, caſus, perſonæ, ſpeciei.

2. Reſolutio graduum,

Poſitiui, Vt, *Oratorum princeps, princeps ex oratoribus, inter oratores princeps,* & græca conſuetudine, *princeps in oratoribus.*

Comparatiui, Terent. in Eun.

*Hoc nemo fuit minus ineptus, nec magis ſeuerus quiſquam.* Idem etiam fit in ſyncategoremate,

Ouid. 1. de Ponto,

*nulli datus omnibus æuis,*
*Tam procul à patria eſt, horridiorúe locus.*

*Procul locus*, pro locus remotior.

Superlatiui. Virg. 3. Aen.

O' *felix vno ante alias.* pro feliciſsima.

Terent. in And.

*Erat forma præter cæteras honeſta*, pro honeſtiſsima. Ita dicimus, *Præ alijs beatus,* pro beatiſsimus:

tiſsimus : *ſuper alios excellens*, pro, excellentiſsimus.

3. Alteratio verborum, vt in modo imperatiuo, permutatur

Tempus. *Vale, valeto.*

Modus. *Vale, valeas, fac valeas.*

Vtrunq́ꝫ. *Vale, valebis.*

In primo gerundio, Ouid. in Heroid.

*Neúe reuertendi liber, abeſſe velis.* pro liber vt reuertaris, vel liber ad reuertendum.

Idem 1. de Ponto,

*nec ademit poſſe reuerti.*. pro, non ademit reuertendi poteſtatem.

In primo ſupino,

*Thraſo venit ereptum virginem.*

*Ad eripiendum virginem.*

*cauſa eripiendæ virginis.*

*vt virginem eripiat.*

*virginem erepturus.*

*eripere virginem,* poëticè.

II. Figuratè, cùm quid committitur contra conſuetudinem aut modum præſcriptum, quodq́ꝫ non ratione aut præcepto conſtat, ſed exemplo potius & imitatione, cuius ſpecies ſunt:

1. Græciſmus. Virg. *tempus deſiſtere pugnæ.* vbi latinè dicimus, à pugna deſiſtendi tempus.

2. Ar-

2. Archaiſmus. Vt, *Potitus hoſtium*, apud Plautum. *Potitur gaudia*, apud Terentium. Vſitatius Ouidius.

*Mars videt hanc, viſamq́ cupit, potiturq́ cupita.*

3. Contractio per participium.

Virg. 2. Aen.

*ſtetit ille tremens, vteroq́ recuſſo*
*Inſonuit.* pro ſtetit, & tremuit, & inſonuit.

4. Protractio præſentis, vt ſunt illa, *Oratum volo, vaſtum do, commotum reddo*, pro, oro, vaſto, commoueo, quæ ſunt poëtica. Cic. *Domitas habere libidines*, pro, domare.

5. Protractio per tempus futurum.

Ouid. 3. Triſt.

*Spes igitur ſupereſt facturum, vt molliat ipſe*
*Mutati pœnam conditione loci.*

Facturum vt molliat, pro molliturum.

## DE ORATIONIS HABITV COMMVTATO.

## LXXXIX.

Orationis habitus modis variari multis poteſt, & vna ſententia diuerſis quaſi coloribus repræſentari: eorum modorum ſunt aliqui à Quintiliano & à Chariſio obiter annotati, ſed plures oſtendunt auctorum copioſè ſcribentium exempla, vt in hac ſententia, RARA FIDES. In qua mutanda

tanda, habitus ratio eſt triplex : vna ſine affectu, tantùm docendi cauſa : altera reprehenſionis, quæ fit cum affectu & vehementia : tertia fidei & certitudinis, quæ circumſtantijs munitur : vndè & quid varium, & quid argumentoſum, quid euidens in oratione, quid ſimplex, quid amplificatum, quid firmum ſit, poteſt intelllgi, & etiam rudioribus demonſtrari.

## I. SINE AFFECTV.

Sine affectu modis vndecim variatur oratio.

1. Affirmatione. Ouid. *nomen inane fides.*
2. Negatione. Virg. 4. Aen.
   *Nuſquam tuta fides.*
3. Dubitatione. Plaut. in Bacchid.
   *Satin' quem tu habeas fidelem tibi aut cui credas, neſcias.*
4. Contrario. Accius apud Cic.
   *Fidem neq; dedi, neq; do infideli cuiquam.*
5. Licentia, Cic. ad Q. Fr.
   *Nullum eſt meum peccatum, niſi quod ijs credidi, à quibus nefas putaram eſſe, me decipi.*
6. Hortatione. Silius lib. 11.
   *ne rumpite fœdera pacis,*
   *Neu regnis poſtferte fidem.*

7. Ad-

7. Admonitione. Plaut. in Capt.
*Fac fidelis ſis fideli, caue fidem fluxam geras.*
8. Diſsimulatione. Terent. in And.
*Tandem inuenta eſt cauſa, ſoluiſti fidem.*
9. Experientia. Saluſt. in Iugurtha.
*Expertus ſum parum fidei miſeris eſſe.*
10. Confeſsione. Plaut. in Aulular.
*Nemini credo ego, qui large blandus eſt diues pauperi.*
11. Aſſeueratione. Manilius lib. 2.
*Cùm fortuna fidem quærat, vix inuenit vſquã.*

## II. CVM AFFECTV.

Cum affectu modis ſeptendecim.

1. Interrogatione. Terent. in And.
*Vbinam eſt fides?*
2. Duplicatione. Portius Latro,
*Vbi Athenarum fides? vbi hoſpitales inuicem dextræ?*
3. Subiectione. Terent.
*Attamen vbi fides ſi roges, nihil pudet.*
4. Exclamatione. Catull. ad Alphenum.
*Eheu quid faciant (dij) homines, cuiúe habeant fidem?*
5. Conqueſtione. Ter. in Adel.
*Me miſeram, quid credas iam, aut cui credas.*
6. Dolore. Cic. ad Att.
*Quàm omnia eſſent ex ſententia, ſi nobis fides eorum*

*eorum, quibus credidimus, non defuiſſet?*

7. Querela. Lucanus 1. Pharſ.

*Nulla fides regni ſocijs, omniſq; poteſtas,*
*Impatiens conſortis.*

8. Repræhenſione. Cic. ad Lent.

*Si eſſet fides in ijs, in quibus ſumma eſſe debebat, non laboraremus.*

9. Accuſatione. Ouid. in Heroid.

*Heus vbi pacta fides, vbi connubialia iura.*

10. Expoſtulatione. Theſeus apud Senec. in Hippol.

*Redde nunc pactam fidem genitor, Moraris?*

11. Admiratione. Catullus ad Alphenum.

*Iam me prodere, iam non dubitas fallere, perfide?*

12. Irriſione. Virg. 4. Aen.

*En dextra fideſq;?*

13. Adhortatione. Cic. ad Qu. Frat.

*Si quem es nactus, qui in tuam familiaritatem penitus intrarit, qui antea fuerit ignotus: huic quantum credendum ſit, vide.*

14. Indignatione. Tibul. 1.

*Tu mihi iurabas nullo te diuitis auri*
*Pondere, non gemmis vendere velle fidem.*

15. Auerſione. Ouid in Heroid.

*Iura, fides vbi nunc, cōmiſſaq; dextera dextra,*
*Quiq; erat in falſo plurimus ore Deus?*

16. Execratione. Virg. 4. Aen.

Nec

*Nec te noſtra fides, nec te data dextera quondã,*
*Nec moritura tenet crudeli vulnere Dido?*

17. Deteſtatione. Seneca in Herc. Oet.

*Licet omne tua vulgus in aula*
*Centum pariter lumina pulſet,*
*Mille & populis ſtipatus eas:*
*In tot populis nulla fides.*

## III. CVM CIRCVMSTANTIIS.

Cum circumſtantijs confirmatur octodecim modis.

1. Rei. Ennius apud Cic.
*Nulla ſancta ſocietas, nec fides regni eſt.*
2. Perſonæ. Minutius Felix.
*Ob paſtorum & caſæ regnum, gemini inter ſe certarunt.*
3. Rei & perſonæ. Terent. in And.
*Nullàne in re eſſe homini cuiquam fidem?*
4. Sexus. Sen. in Medea.
*Coniugis nulla fides.*
5. Aetatis primæ. Idem in Octauia,
*Teneris in annis haud ſatis clara eſt fides.*
6. Aetatis corroboratæ. Lucan. 8.
*Ardua quippe fides robuſtos exigit annos.*
7. Nationis. Terent. in And.
*Eſt verò huic credendũ Chreme?* Huic, quaſi dicas, hoſpiti & Rhamnuſio.
8. Patriæ. Liuius 21. belli Punici,

*Reli-*

*Religione Punica ſeruata eſt fides ab Hannibale.*

9. Loci. Sen. in Agam.

*Non intrat vnquam regium limen fides.*

10. Temporis. Minutius Felix?

*Quando vnquam regni ſocietas, aut cum fide cœpit, aut ſine cruore desijt?*

11. Conditionis. Lucanus,

*Nulla fides pietasq; viris, qui caſtra ſequuntur.*

12. Quæſtus. Terent. in Adel.

*Leno ego ſum, at ita, vt vſquam fuit fide quiſquam optima.*

13. Voluntatis. Lucan.

*Nulla fides vnquam miſeros elegit amicos.*

14. Affectionis. Catul.

*Nulla viro poſthac iuranti fœmina credat.*

15. Perturbationis. Cic. pro Fonteio,

*Hominibus quibuſdam, neq; propter iracundiam fidem, neq; propter infidelitatem, habere honorem debemus.*

16. Fortunæ. Ouid. 2. de Ponto,

*Et cum fortuna ſtatq; caditq; fides.*

17. Cognationis. Sen. in Thebaide,

*Poſt iſta fratrum exempla, ne matri quidem fides habenda eſt.*

18. Dignitatis. Cic. in Lælio,

*In tyrannorum vita nulla fides, nulla caritas, nulla ſtabilis beneuolentia poteſt eſſe fiducia, nullus locus amicitiæ.*

## VIII. DE SENTENTIARVM QVALITATE.

### X C.

De ſententijs, ſuprà diximus, quantum res de verbis compoſitis ferebat: nempe quòd ſint perſpicuè, diſtinctè, prudenterq́ue enunciandæ: nunc de qualitate earum dicemus, vndè etiam vſus poterit animaduerti.

Sententiæ omnes

I. Aut ſunt præcepta quædam communia, ad doctrinam comparata, quæ ſimpliciter γνῶμαι, aut ſi perſonam nomine expreſſam habent, χρεῖαι dicuntur, hanc Priſcianus vertit vſum. exemplum huius ſit. Socrates dixit, vt Horatius auctor eſt,

*Scribendi, rectè ſapere, eſt & principium et ſons.*

Illius hæc admonitio Horatij ad M. Licinium Craſſum,

*Auream quiſquis mediocritatem*
*Diligit, tutus careat obſoleti*
*Sordibus tecti, caret inuidenda*
*Sobrius aula.*

Hac ſententia concludit ſimilitudinem à nauigantibus ſumtam, qui in periculum ſe conijciunt dupliciter, & in altum audacius euecti, & in littore hærentes timidius: vndè medium eſſe tenendum docet.

II. Aut ſunt dicta acria, quæ feriunt aduerſarium, quæ appellantur νοήματα. Idem in eadem Oda,

*Sperat infeſtis, metuit ſecundis,*
*Alteram ſortem bene præparatum*
*Pectus.*

Concludit ſimilitudines tres: quod venti ſternant altas arbores, & edita ædificia, & quod fulmina tangant loca excelſa, igitur animus in omni fortuna eſt æquus adhibendus.

III. Aut ſunt acclamationes, grauitatis cauſa adhibitæ, ἐπιφωνήματα.

Ibidem.

*Non ſi malè nunc, & olim*
*Sic erat.*

Concludit ſimilitudinem de Ioue, qui modò nubes inducit, modò fugat: & alteram copulat de Apolline, qui interdum citharam, interdum tela aduocat. Igitur non idem ſemper hominum ſtatus: ſed idem debet eſſe animus.

IIII. Aut ſunt virorum ſapientum acuta iudicia, quæ à Rhetoribus κρίσεις, verbo Stoicorum vocantur ἀξιώματα, qualis illa ad finem odæ eiuſdem,

*Rebus anguſtis animoſus atq;*
*Fortis appare: ſapienter idem*

*Contra-*

*Contrahes vento nimium ſecundo*
*Turgida vela.*

qua adhortatione omnes ſex ſimilitudines ſuperiores finit, & quaſi normam conſtituit, quid ſit in vtraq; fortuna perpetuò faciendum.

## XCI.

Eſt ſententiarum in enunciando multiplex diſcrimen. Diſtinguuntur enim inter ſe

I. Poteſtate, cùm aut quid fieri ſoleat, oſtendimus, hoc genus Rufinianus ὑποφώνημα vocat. Terent. in And.

*Obſequium amicos, veritas odium parit.*

Aut quid fieri debeat. Idem in Heau.

*Scitum eſt, periculum ex alijs facere, tibi quod ex vſu ſiet.*

II. Modo, quædam enim ſententiæ probationem additam habent. Publius,

*Fortuna vitrea eſt, quæ cùm ſplendet, frangitur.*

Quædam caret probatione, vt plærumq;. Idem, *Abſentem lædit, cum ebrio qui litigat.*

III. Arbitrio, quædam adducitur integra. Ennius 8. Annalium,

*Duro multa dies in bello conficit vnus.*

Quædam mutila, & ex parte mutata. vt illud Terentij,

*Qui templa cœli ſumma ſonitu concutit.*
interpres annotauit eſſe παρῳδίαν de Ennio, quia eam non transſcripſit, ſed imitando ad ſuum vſum retulit.

IIII. Senſu, quædam proferuntur intelligenter. Vt, 2. Aen. *Fuimus Troës.* quædam obſcurè. Ouid. 5. Triſt.

*Nos quoq; floruimus, ſed flos fuit ille caducus,*
*Flammaq́; de ſtipula noſtra, breuisq́; fuit.*

V. Loco, quædam ponuntur locis omnibus, vt genus primum & vltimum: quædam in fine tantùm, rariſsimè in medio, niſi per epembolem fiat aut parentheſin, vt genus ſecundum & tertium.

## XCII.

Sententia vulgariter eſt, qua animi ſenſus explicantur, & nomine ſimplici dicitur oratio: cuius figuras nouem & triginta enumerat interpres Hermogenis, quas ita vti expoſuit & exemplis Virgilij expoſuit, vir doctiſsimus Camerarius, ſubijciemus.

1. Quis ille qui loquitur. 1. Aen.
*Ad quem tum Iuno ſupplex his vocibus vſa eſt.*
2. Quicum aliquis loquitur. Ibid.
*Parce metu Cytherea manent immota tuorum*
*Fata tibi.*
3. Percontatio. 9.

*Sed*

*Sed vos qui tandem, quibus aut veniſtis ab oris,*
*Quoue tenetis iter?*

4. Reſponſio. 1.
*Nulla tuarum audita mihi, neq; viſa ſororum.*

5. Ablegatio. 4.
*Vade age nate, voca Zephyros et labere pennis.*

6. Mandatum. 2.
*Vos famuli, quæ dicam, animis aduertite veſtris.*

7. Nuncius. 12.
*Turne in te ſuprema ſalus, miſerere tuorum,*
*Fulminat Aeneas armis.*

8. Narratio. 1.
*Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuêre coloni,*
*Carthago.*

9. Concio. 11.
*Antè equidem ſumma de re ſtatuiſſe Latini*
*Et vellem, & fuerat melius.*

10. Generis enarratio. 8.
*Dardanus Iliacæ primus pater vrbis & auctor*
*Electra, vt Graij perhibent, Atlantide cretus.*

11. Loci indicatio. 2.
*Eſt vrbe egreſſus tumulus, templumq́; vetuſtũ*
*Deſertæ Cereris.*

12. Actio. 10.
*Hæret pede pes, denſusq́; viro vir.*

13. Laudatio. 7.
*Filius huic iuxta Lauſus, quo pulchrior alter*
*Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.*

14. Vituperatio. Ibid.

*Primus init bellum, Tyrrhenis aſper ab oris,*
*Contemtor diuûm Mezentius.*

15. Tempus. 1.

*Tertia dum Latio regnantem viderit æſtas.*

16. Epiphonema, quæ eſt ſententioſa concluſio. Ibid.

*Tantæ molis erat Romanam condere gentem.*

17. Indicatio. 6.

*Hic vir hic eſt, tibi quem promitti ſæpius audis.*

18. Vocatio. Ecl. 7.

*Huc ades ô Melibæe.*

19. Accuſatio. 4.

*Tu lacrimis euicta meis, tu prima furentem*
*His germana malis oneras, atq; obijcis hoſti.*

20. Recuſatio. Ecl. 3.

*De grege non auſim quicquã deponere tecum.*

21. Appellatio ſeu compellatio. 1.

*Heus inquit iuuenes monſtrate mearum,*
*Vidiſtis ſi quam hîc errantem fortè ſororum.*

22. Negatio. 2.

*Abnegat, inceptoq; & ſedibus hæret in ijſdem.*

23. Aſſenſio. 11.

*Rem nulli obſcuram. noſtræ nec vocis egentem*
*Conſulis, ô bone Rex.*

24. Admonitio. 6.

*Ne, pueri, ne tanta animis aſſueſcite bella,*
*Neu patriæ validas in viſcera vertite vires.*

25. Votum. 8.

*O' mihi præteritos referat ſi Iuppiter annos.*

26. De-

26. Deprecatio. 2.

*Quod dij prius omen in ipſum Conuertant.*

27. Preces. 10.

*Per patrios manes, per ſpes ſurgentis Iüli,*
*Te precor, hanc animam ſerues, natoq́ patriq́.*

28. Inſultatio. Ibid.

*Iſtic nunc metuende iace.*

29. Commiſeratio, qui eſt affectus vehementior. 4.

*Quid primùm deſerta queror? comitémne ſororem,*
*Spreuiſti moriens?*

30. Deploratio. 3.

*Heu genitorem, omnis curæ caſusq́ leuamen,*
*Amitto Anchiſen.*

31. Interminatio. 8.

*Quas pœnas mihi Turne dabis, quàm multa ſub vndas*
*Scuta virûm, galeasq́ & fortia corpora volues*
*Tibri pater?*

32. Denunciatio. 1.

*Dicite Dardanidæ (neq; enim neſcimus et vrbẽ*
*Et genus, auditiq́ aduertitis æquore curſum)*
*Quid petitis?*

33. Sententia generalis. 10.

*Stat ſua cuiq; dies, breue et irreparabile tempus*
*Omnibus eſt vitæ, ſed famam extendere factis*
*Hoc virtutis opus.*

34. Imperium. 11.

*Tu Voluſe armari Volſcorum edice maniplis,*
*Duc, ait, et Rutulos equites Meſſapus in armis.*

35. Conuicium. 9.
*O vera Phrygiæ, neq; enim Phryges.*

36. Exprobratio. Ecl. 3.
*Hic alienus oues cuſtos bis mulget in hora.*

37. Iuſiurandum. 9.
*Per caput h[illegible] iuro, per quod pater antè ſolebat.*

38. Prædictio. 1.
*Bellum ingens geret Italia, populosq; feroces Contundet.*

39. Interdictio. 7.
*Te ſuper æthereas errare licentius oras,*
*Haud pater ipſe velit ſummi regnator Olympi.*

## IX. DE RERVM COPIA.

### XCIII.

Abſoluta ſententiarum qualitate, cognoſcendum eſt de earum incremento: quod εὐπορίαν nominant Græci, noſtri copiam rerum, quæ eſt facultas, qua breuis ſententia augetur & quaſi locupletatur: ad quam pertinent figuræ amplificationis, quæ ſumuntur ex inſtitutionibus Dialecticorum. Differt autem vtraq; verborum & rerum copia modis ſeptem.

1. CAVSA EFFICIENTE. Copia verborum naſcitur è Grammaticorum præceptis, quia in ea mutantur partes, vel partium

tium accidentia: rerum naſcitur è locis Dialecticis, & tractatur doctrina Rhetorum.

2. MATERIA. Prima pertinet ad orationem, altera ad ſententias.

3. FORMA. Vno genere variatur oratio, manente eadem ſententia: altero illuſtratur, & quaſi extenditur argumentum.

4. FINE. Copia verborum iucunditatis eſt, quia delectat: copia rerum efficaciæ, quia mouet.

5. QVALITATE. Altera facit ad ornatum, altera ad fidem pertinet.

6. PARTIBVS. In copia verborum figuræ ſunt Grammaticæ, quæ propriè ſunt varietatis: in rerum copia figuræ Rhetoricæ, quæ ſunt amplificationis.

7. VSV. Priore copia vtimur cùm cupimus eſſe ſuaues, & non moleſti: altera cùm impellere, & cum auctoritate quadam loqui volumus. Ad copiam igitur rerum pertinent, quæ ſequuntur.

## XCIIII.

DEFINITIO. Prima ratio ſententiæ amplificandæ dici poteſt definitio, cùm videlicet circumſcribitur nominis qualitas, & nde colligitur, de quo fiat ſermo. cuius rei

exemplum eſt Pythagoræ philoſophi deſcriptio, in libro 15. Met.

*Vir fuit hîc, ortu Samius, ſed fugerat vnà*
*Et Samon & Dominos, odioq; tyrannidis, exul*
*Sponte erat: isq; licet cœli regione remotus,*
*Mente deos adijt, & quæ natura negabat*
*Viſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit.*
*Cumq; animo, & vigili perſpexerat omnia cura,*
*In medium diſcenda dabat, cœtusq; ſilentum,*
*Dictaq; mirantum, magni primordia mundi,*
*Et rerum cauſas, & quid natura, docebat:*
*Quid Deus, vndè niues, quæ fulminis eſſet origo,*
*Iuppiter an venti diſcuſſa nube tonarent:*
*Quid quateret terras, qua ſidera lege mearent,*
*Et quodcunq; latet: primusq; animalia menſis*
*Arguit imponi.*

Hac deſcriptione prolixa, & patriam philoſophi nominauit, & cauſam exilij dixit, & doctrinæ ipſius, totiusq; naturæ contemplationis ſummam comprehendit, & victum ab animantibus non eſſe petendum cenſuit.

XCV.

NOTATIO, ratio altera eſt priori non diſsimilis, cùm ſubſtantia aliqua veſtitur, & quaſi ornatur rebus accidentibus, quæ materia in prædicamentis continetur integra apud Dialecticos. Talis eſt deſcriptio Auen-

Auentini ducis, qui Turni caſtra ſecutus eſt, 7. Aen.

*Poſt hos inſignem palma per gramina currum,*
*Victoresq́ue oſtentat equos, ſatus Hercule pulchro*
*Pulcher Auentinus, clypeoq́ue inſigne paternum*
*Centum angues, cinctamq́ue gerit ſerpentibus hy-*
*Collis Auentini ſilua quem Rhea ſacerdos (dram.*
*Furtiuum partu ſub luminis edidit auras.*
*Mixta Deo mulier, poſtquàm Laurentia victor,*
*Gercone extincto, Tirynthius attigit arua.*
*Ipſe pedes, tegmen torquens immane leonis,*
*Terribili impexum ſeta, cum dentibus albis*
*Indutus capiti, ſic regia tecta ſubibat*
*Horridus, Herculeoq́ue humeros innixus amictu.*

*Auentinus* ſubſtantia eſt.

Quantitas, quòd fuit vir proceræ ſtaturæ, idq́ue ſignificat magnitudine galeæ, *Tegmen torquens immane leonis.*

Qualitas, quòd pulcher & corpore ad dignitatem apto.

Relatio, quòd Herculis & Rheæ filius.

Actio, quòd in Turni caſtris militauit.

Paſsio, quòd partu furtiuo eſſet editus à ſacerdote.

Quando, cùm Hercules ex Hiſpania rediens, iter per Italiam faceret, & in monte Auentino agri Laurentis, armenta ſua paſceret.

Vbi &

Vbi & Situs, in ſilua montis Auentini,

Habitus, qui multipliciter deſcribitur, nominatur enim eius currus inſignis, nominantur equi victores: exprimitur clypeus, & eius pictura, item veſtitus corporis atque capitis. Quæ omnia quaſi præmonſtrante aliquo Dialectico, pulchrè & euidenter tanquam pictoris coloribus ſunt deſignata.

## X C V I.

Tertia ratio, dicitur DIVISIO vel PARTITIO, cùm genus aut totum exponimus per ſuas ſpecies aut partes: vtroque modo amplificatur ſententia. *Omnibus eſt moriendum:* Hanc ſententiam copioſè & variè aliquot locis tractat Horatius, vt in Archyta 1. 28.

*nec quidquam tibi prodeſt*
*Aërias tentaſſe domos, animoq́ rotundum*
*Percurriſſe polum morituro.*
*Occidit & Pelopis genitor conuiua deorum,*
*Tithonusq́ remotus in auras.*
*Et Iouis arcanis Minos admiſſus, habentq́*
*Tartara Panthoiden iterum Orco*
*Demiſſum, quamuis clypeo Troiana refixo*
*Tempora teſtatus: nihil vltra*
*Neruos atq́ cutem morti conceſſerat atræ.*
*Iudice te, non ſordidus auctor*

Naturæ,

*Naturæ, veriq́ꝫ: ſed omnes vna manet nox*
*Et calcanda ſemel via lethi.*
*Dant alios Furiæ toruo ſpectacula Marti,*
*Exitio eſt auidis mare nautis.*
*Miſta ſenum, ac iuuenū denſentur funera: nullum*
*Sæua caput Proſerpina fugit.*

Moriuntur, inquit, ſummi, vt philoſophi, Archytas & Pythagoras: vt reges, Tantalus, Tithonus, Minos. Moriuntur infimi, vt milites & nautæ, ſenes & iuuenes. Idem ad Mecænatem, 2. 18.

*quid vltra tendis? æqua tellus*
*Pauperi recluditur,*
*Regnumq́ꝫ pueris: nec ſatelles Orci*
*Callidum Promethea*
*Reuexit, auro captus: hic ſuperbum*
*Tantalum, atqꝫ Tantali*
*Genus coërcet.*

Moriuntur diuites & pauperes, aſtuti & potentes. Idem in eandem ſententiam, 2. 3.

*Cedes coëmptis ſaltibus, & domo*
*Villaq́ꝫ, flauus quam Tiberis lauit:*
*Cedes, & extructis in altum*
*Diuitijs potietur hæres.*
*Diueſné priſco natus ab Inacho*
*Nil intereſt, an pauper & infima*
*De gente, ſub dio moreris,*
*Victima nil miſerantis Orci.*
*Omnes eôdem cogimur.*

Moriun-

Moriuntur viri nobiles & illuſtres : moriuntur item ignobiles & plebeij.

Rurſus 3. 1.

*Regum timendorum in proprios greges,*
*Reges in ipſos imperium eſt Iouis,*
*Clari Giganteo triumpho,*
*Cuncta ſupercilio mouentis.*
*Eſt, vt viro vir latius ordinet*
*Arbuſta ſulcis : hic generoſior*
*Deſcendat in campum petitor :*
*Moribus hic, melior'q; fama*
*Contendat : illi turba clientium*
*Sit maior. æqua lege neceßitas*
*Sortitur inſignes, & imos.*
*Omne capax mouet vrna nomen.*

Nemo tam potens eſt, cui non ſit moriendum : nam & reges, & locupletes, & nobiles, & bonos, & gratioſos homines occupat fati neceſsitas. Alibi in eandem ſententiam, 2. 14.

*Labuntur anni : nec pietas moram*
*Rugis, & inſtanti ſenectæ*
*Afferet, indomitæq; morti.*
*Non ſi recentis, quotquot eunt dies,*
*Amice places illacrimabilem*
*Plutona tauris : qui ter amplum*
*Geryonem, Tityumq; triſti*
*Compeſcit vnda : ſcilicet omnibus*
*Quicunq; terræ munere veſcimur,*

Enaui-

*Enauiganda, ſiue reges,*
*Siue inopes erimus coloni.*
*Fruſtra cruento Marte carebimus,*
*Fractusq́; rauci fluctibus Hadriæ:*
*Fruſtra per autumnos nocentem*
*Corporibus, metuemus Auſtrum:*
*Viſendus ater flumine languido*
*Cocytus errans, & Danai genus*
*Infame, damnatusq́; longi*
*Siſyphus Aeolides laboris.*
*Linquenda tèllus, & domus, & placens*
*Vxor.* & quæ ſequuntur.

Moriuntur (ait) & pij & impij, & reges & ruſtici. quòd ſi non extinguuntur morbo, moriuntur bellis, naufragio, peſtilentia, aut tolluntur etiam fato, & puniuntur tenebris, pœnis, ærumnis. Nominat autem primùm tyrannos Geryonem & Tityum, deinde maleficos, Danai filias & Siſyphum. Artificis eſt non vti ſolùm varietate verborum, ſed & ſententiarum, & tractationis, & exemplorum, quod in his poëtæ doctiſsimi locis factum eſt.

## XCVII.

Quarta ratio CAVSAE, quæ adhibentur & fidei & amplitudinis gratia. Cauſæ dicuntur aut

1. ἀφορμαὶ, occaſiones quædam, per quas ad rem

ad rem gerendam peruentum eſt.

2. *αἰτίαι*, veræ cauſæ, quarum reſpectu aut ſine res aliqua ſuſcipitur.

3. *προφάσεις*, hoc eſt, cauſæ ſimulatæ, & quaſi quidam prætextus, cùm verum aut non habemus, aut temporis cauſa proferre nolumus. Veræ cauſæ ſemper proferendæ ſunt, & ſi fieri poteſt, etiam cumulandæ: nec præteriri occaſiones debent, & qui veriſimiles, aut etiam ſimulatas affert, copioſus narrator habendus eſt. Venus tollit ἀφορμὴν excidij Troiani, nempe Paridem aut Helenam cauſam non fuiſſe: ſed veram eſſe cauſam ipſorum deorum iram, qui erant læſi à Troianis: nam & ſecundum Euripidem & Virgilium, hoſtes Troianorum infeſtiſsimi fuerunt, Neptunus, Iuno, Minerua, è quibus Neptunus fundamenta murorum, Iuno firmitatem portarum, Minerua arcis ipſius pulchritudinem euertit. Veneris apud Virg. 2. Aen. hæc verba ſunt,

*Non tibi Tyndaridis facies inuiſa Lacænæ,*
*Culpatusúe Paris? diuûm, inclementia diuûm*
*Has euertit opes, ſternitq́ à culmine Troiam.*
*Hîc, vbi diſiectas moles, auulſaq́ ſaxis*
*Saxa vides, miſtoq́ vndantem puluere fumum:*
*Neptunus muros, magnoq́ emota tridenti*
*Fundamenta quatit, totamq́ à ſedibus vrbem*
*Eruit. hîc Iuno Scæas ſæuiſsima portas*

*Prima*

*Prima tenet, ſociumq́ furens à nauibus agmen*
*Ferro accincta vocat.*
*Iam ſummas arces Tritonia (reſpice) Pallas*
*Inſedit, nimbo effulgens, & Gorgone ſæua.*
*Ipſe pater Danais animos, vireſq́ ſecundas*
*Sufficit: ipſe deos in Dardana ſuſcitat arma.*

Cauſæ effectrices odij ab Ariſtotele nominantur ira, contemptus, calumnia, has ponit in 1. Aen. Virgilius. nam cùm ait Iuno, *vna cum gente tot annos*
*Bella gero.*
eſt ἐμποδισμὸς, ſeu (vt Ariſtoteles in Rhet.) ἐπηρεασμὸς, & eſt contemptus ſeu detractio, quia dolet impedita eſſe ſua conſilia. Rurſus cùm dicitur,
*manet alta mente repoſtum*
*Iudicium Paridis, ſpretæq́ iniuria formæ.*
eſt iniuria vetus, ὕβρις, quam idem generali nomine ὀργὴν, quia memoria renouatùr contumeliæ, & animum mouet odio antea flagrantem. Quòd concludit,
*& quiſquam numen Iunonis adoret*
*Præterea, aut ſupplex aris imponat honorem?*
eſt è repetito dolore ὀλιγωρία ſeu διαβολή: nam meminit de ſua maieſtate multùm detrahi: & quòd Troiani faciunt impunè, id alij ſibi porrò licere exiſtimabant. Cauſas igitur odij cum ſuis affectibus non melius potuit exequi.

# XCVIII.

Ratio quinta eſt, cùm non ſimpliciter rem commemoramus, ſed eandem AB EFFECTIS deſcribimus. Tibullus laudaturus Meſſalam ducem bonum & peritum, in quibus rebus conſiſtat ſcientia militaris indicat, & ducis excellentis munera atque officia recenſet, hoc modo,

*Nam te non alius belli tenet aptius artes,*
*Quà deceat tutam caſtris deducere foſſam,*
*Quàliter aduerſos hoſti defigere neruos,*
*Quemúe locum ducto melius ſit claudere vallo:*
*Fontibus vt dulces erumpat terra liquores,*
*Vt faciliſq; tuis aditus ſit & arduus hoſti,*
*Laudis & aßiduo vigeat certaminè miles,*
*Quis tardamúe ſudem melius celeremúe ſagittam*
*Iecerit, aut lento perfregerit obuia pilo?*
*Aut quis equum celeremúe arcto compeſcere fræno*
*Poßit, & effuſas tardò permittere habenas,*
*Inq; vicem modò directo contendere curſu?*
*Seu libeat curuo melius contendere gyro*
*Parma, ſeu quos dextra velit, ſeu læua tueri,*
*Siue hâc, ſiue illac grandis venit impetus haſta*
*Amplior: aut ſignata cita loca tangere funda.*
*Iam ſimul audacis veniunt certamina Martis,*
*Aduerſiſq; parant acies concurrere ſignis:*
*Tunc tibi non deſit faciem componere pugnæ:*
*Seu ſit opus, quadrantem acies conſiſtat in agmen,*

Rectus

*Rectus inæquatis decurrat frontibus ordo:*
*Seu libeat duplicem, ſeu iunctum cernere Martem,*
*Dexter & vt læuum teneat, dextrumq́ ſiniſtra*
*Miles, ſitq́ duplex gemini victoria caſus.*

## XCIX.

In ſexta ratione non ſolum res ipſa, verumetiam MODVS explicandus eſt, per quem ad exitum rei peruentum eſt, vt in hac narratione Ouidij de Oreſte & Pylade factum eſt de Ponto, 3. 2.

*Eſt locus in Scythia, Tauros dixêre priores,*
*Qui Getica longè, non ita, diſtat humo.*
*Hac ego ſum terra (patriæ nec pœnitet) ortus,*
*Conſortem Phœbi gens colit illa deam.*
*Templa manent hodie vaſtis innixa columnis,*
*Perq́ quater denos itur in illa gradus.*
*Fama refert illic ſignum cœleſte fuiſſe,*
*Quoq́ minus dubites, ſtat baſis, orba dea.*
*Araq́ quæ fuerat natura candida ſaxi,*
*Decolor affuſo tincta cruore rubet.*
*Fœmina ſacra facit, tæda non nota iugali,*
*Quæ ſuperat Scythicas nobilitate nurus.*
*Sacrifici genus eſt (ſic inſtituêre priores)*
*Aduena virgineo cæſus vt enſe cadat.*
*Regna Thoas habuit, Mæotide clarus in ora,*
*Nec fuit Euxinis notior alter aquis.*
*Sceptra tenente illo liquidas feciſſe per auras,*
*Neſcio quam, dicunt Iphigeniam iter.*

*Quam leuibus ventis ſub nube, per aëra vectam,*
*Creditur his Phœbe depoſuiſſe locis.*
*Præfuerat templo multos ea rite per annos,*
*Inuita peragens triſtia ſacra manu.*
*Cùm duo velifera iuuenes venêre carina,*
*Preſſeruntq́ ſuo littora noſtra pede.*
*Par fuit his ætas & amor: quorum alter Oreſtes,*
*Alter erat Pylades, nomina fama tenet.*
*Protinus immitem Triuiæ ducuntur ad aram,*
*Euincti geminas ad ſua terga manus.*
*Sparſit aqua captos luſtrali Graia ſacerdos,*
*Ambiat vt fuluas infula longa comas.*
*Dumq́ parat ſacrum, dum velat tempora vittis,*
*Dum tardæ cauſas inuenit illa moræ,*
*Non ego crudelis, iuuenes ignoſcite, dixit,*
*Sacra ſuo facio barbariora loco,*
*Ritus is eſt gentis: qua vos tamen vrbe venitis?*
*Quodúe, parum fauſta puppe, petiſtis iter?*
*Dixit, & audito patriæ pia nomine virgo,*
*Conſortes vrbis comperit eſſe ſuæ.*
*Alter vt è vobis (inquit) cadat hoſtia ſacris,*
*Ad patrias ſedes nuncius alter eat.*
*Ire iubet Pylades carum periturus Oreſtem,*
*Hic negat, inq́ vices pugnat vterq́ mori.*
*Extitit hoc vnum, quod non conuenerat illis,*
*Cætera pars conſors & ſine lite fuit.*
*Dum peragunt iuuenes pulchri certamen amoris,*
*Ad fratrem ſcriptas exarat illa notas.*
*Ad fratrem mandata dabat, cuiq́ illa dabantur,*

(Huma-

*(Humanos caſus aſpice) frater erat.*
*Nec mora, de templo rapiunt ſimulacra Dianæ,*
*Clamq́ per immenſas puppe feruntur aquas.*
*Mirus amor iuuenum: quamuis abiêre tot anni,*
*In Scythia magnum nunc quoq; nomen habet.*

## Eandem narrationem poëta breuius expoſuit Triſt. 4. 4.

*Nec procul à nobis locus eſt, vbi Taurica dira*
*Cæde pharetratæ ſpargitur ara deæ.*
*Hæc prius (vt memorant) non inuidioſa nefandis,*
*Nec cupienda bonis regna Thoantis erant.*
*Hîc pro ſuppoſita virgo Pelopeïa cerua,*
*Sacra deæ coluit qualiacunq; ſuæ.*
*Quò poſtquam (dubium pius an ſceleratus) Oreſtes*
*Exactus Furijs venerat ipſe ſuis,*
*Et comes, exemplum veri Phocæus amoris:*
*Qui duo corporibus, mentibus vnus erant,*
*Protinus euincti triſtem ducuntur ad aram,*
*Quæ ſtabat geminas ante cruenta fores.*
*Nec tamen hunc ſua mors, nec mors ſua terruit illum,*
*Alter ab alterius funere mœſtus erat,*
*Et iam conſtiterat ſtricto mucrone ſacerdos,*
*Cinxerat & Graias barbara vitta comas.*
*Cùm vice ſermonis fratrem cognouit, & illi*
*Pro nece complexus Iphigeneia dedit.*
*Læta deæ ſignum crudelia ſacra peroſa*
*Tranſtulit ex illis in meliora locis.*

C.

Septima ratio augendæ orationis ſumitur AB ADIVNCTIS, quæ poſt definitionem & notationem, & poſt conſiderationem rei vniuerſæ & partium, & inueſtigationem cauſarum, atque modum rei geſtæ, vtiliter & ſpecioſè ad amplificandum adhiberi poſſunt. Adiuncta nomino circumſtantias vtraſq; perſonarum & rerum. Rerum circumſtantiæ ſunt perſona, res ipſa, locus, tempus, facultates, inſtrumentum, cauſa. Perſonarum circumſtantiæ diuiduntur quinq; modis, in nomen, naturam, victum, fortunam, habitum. Nomen ſimplex, eſt ipſum quaſi fundamentum: natura rurſus diuiditur in nationem, patriam, cognationem, ſexum, ætatem: victus ſeu educatio in parentes, præceptores, ſocios, amicos: fortuna in conditionem, vitam & mortem: habitus in affectionem, ſtudia, conſilia, facta, orationem, euentum. Hæc omnia paucis verſibus compræhendit poëta optimus, cùm ita canit,

*Huic coniunx Sichæus erat, ditiſſimus agri*
*Phœnicum, & magno miſeræ dilectus amore:*
*Cui pater intactam dederat, primisq; iugarat*
*Ominibus. ſed regna Tyri germanus habebat*
*Pygmalion, ſcelere ante alios immanior omnes,*

*Quos*

*Quos inter medius venit furor. ille Sichæum*
*Impius, ante aras, atq; auri cæcus amore,*
*Clàm, ferro, incautum ſuperat, ſecurus amorum*
*Germanæ, factumq; diu cælauit, & ægram*
*Multa malus ſimulans, vana ſpe luſit amantem.*

*Huic coniunx Sichæus*, à cognatione.

*Ditiſsimus agri*, à facultatibus, quæ pertinent ad patriam.

*Phœnicum*, à natione, quia regio fertilis frumenti & metallorum.

*Miſeræ dilectus*, ab affectu coniugali, qui pertinet ad victum.

*Cui pater*, ab auctoritate, quæ item ad victum pertinet.

*Intactam dederat*, à fortuna & ætate.

*Primisq; iugarat Ominibus*, ab affectione & conſilijs, in quibus tempus & qualitas exprimitur.

*Sed regna Tyri*, à fortuna.

*Scelere ante alios*, perſonæ qualitas ab habitu.

*Ille*, Pygmalionis furor & crudelitas augetur alio circumſtantiarum ordine, qui in rebus conſiderari ſolet.

*Sichæum*, perſona, nempe auunculum, affinem, Herculis ſacerdotem, à rege proximum.

mum. hîc cognatio, conditio, dignitas, auctoritas, magnam vim addunt.

*Impius*, ab affectione.
*Ante aras*, locus.
*Auri cæcus amore*, cauſa.
*Clàm*, modus.
*Ferro*, inſtrumentum.
*Incautum*, tempus.
*Superat*, facultas.
*Securus amorum*, à ſtudio & conſilijs.
*Germanæ*, à ſexu & cognatione.
*Diu celauit*, à factis & euentu.
*Multa malus ſimulans*, à ſtudijs.
*Vana ſpe luſit*, ab affectione.

## C I.

Octaua ratio ſumitur ex AFFECTVVM expreſsione, cùm videlicet, ſecundum præſcriptum Fabij, totam rei naturam, ac veluti faciem, primùm animo luſtramus, deinde ita verbis geſtuq; effingimus, vt quàm maximè fiat euidens & perſpicua, nec tam legi aut narrari, quàm coram oculis poni, atq; depingi videatur: quam rationem ὑποτύπωσιν Rhetores, πρὸ ὀμμάτων ποίησιν ἢ θέσιν vocant Ariſtotelici. Talis eſt irati ſeruuli apud Terentium ſermo & impetus. nam ita in Adelphis loquitur Geta, 3. 2.

*Me mi-*

*Me miſerum, vix ſum compos animi, ita ardeo iracundia:*
*Nihil eſt, quod malim, quàm illam totam familiam dari mihi obuiam,*
*Vt iram hanc in eos euomam omnem, dum ægritudo hæc eſt recens:*
*Satis mihi id habeam ſupplicij, dum illos vlciſcar modo.*
*Seni animam primùm extinguerem ipſi, qui illud produxit ſcelus,*
*Tum autem Syrum impulſorem, vah, quibus illum lecerarem modis?*
*Sublimem medium arriperem, & capite primùm in terram ſtatuerem,*
*Vt cerebro diſpergat viam,*
*Adoleſcenti ipſi eriperem oculos, poſt hæc præcipitem darem,*
*Cæteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, & proſternerem.*

Similitnr depingitur Dinacium puer exultans geſtiensq́ lætitia, in Sticho Plautina.

## C I I.

Nona ratio eſt, cùm minora maioribus, noſtraq́ alienis conferimus, quam materiam præbet comparatio: mala enim vel bona omnia, collatione fiunt magis illuſtria. Ita Ouidius ſua mala confert cum Iaſonis & Vlyſsis. Iaſonis de Ponto, 1. 5.

*Ille habuit comites, primos telluris Achiuæ,*
*At noſtram cuncti deſeruêre fugam.*
*Illum tutata eſt cum Pallade regia Iuno,*
*Defendêre meum numina nulla caput,*
*Ille domum rediit, nos hic moriemur in aruis,*
*Perſtiterit læſi ſi grauis ira Dei.*

Vlyſsis Triſt. 1. 4.

*Ille habuit fidamq́ manum, ſociosq́ fideles,*
*Me profugum comites deſeruêre mei.*
*Me Deus oppreſſit nullo mala noſtra leuante:*
*Bellatrix illi diua ferebat opem.*
*Denique quæſitos tetigit tamen ille penates,*
*Quæq́ diu petiit, contigit arua tamen:*
*At mihi perpetuò patria tellure carendum eſt,*
*Ni fuerit læſi mollior ira Dei.*

## C I I I.

Decima ratio cùm rei geſtæ adhibentur & coniunguntur, cum ipſo facto antecedentia & conſequentia, hoc eſt, ea quæ & negotium præcedunt, & quæ idem comitantur. Huc pertinent duæ narrationes pulcherrimæ, de Lucretia libro 2. Faſto. & de Philemone & Baucide 8. Met. Exempli loco nunc ſit Arionis hiſtoria, quam idem poëta narrat lib. 2. Faſt.

*Nomen Arionium Siculas impleuerat vrbes,*
*Captaq́ erat Lyricis Auſonis ora ſonis.*
*Inde domum repetens puppim conſcendit Arion,*

*Atq;*

*Atq; ita quæſitas arte ſerebat opes.*
*Forſitan infelix ventos vndasq́; timebas:*
*At tibi naue tua tutius æquor erat.*
*Namq; gubernator diſtricto conſtitit enſe,*
*Cæteraq́; armata conſcia turba manu.*
*Quid tibi cum gladio? dubiã rege nauita puppim:*
*Non ſunt hæc digitis arma tenenda tuis.*
*Ille metu pauidus, mortem non deprecor, inquit,*
*Sed liceat ſumpta pauca referre lyra.*
*Dant veniã, ridentq́; moram: capit ille coronam,*
*Quæ poſſet crines Phœbe decere tuos.*
*Induit & Tyrio diſtinctam murice pallam:*
*Reddidit icta ſuos pollice chorda ſonos:*
*Flebilibus numeris, veluti canentia dura*
*Traiectus penna tempora, cantat olor.*
*Protinus in medias ornatus deſilit vndas,*
*Spargitur impulſa cœrula puppis aqua.*
*Inde (fide maius) tergo delphina recuruo*
*Se memorant oneri ſuppoſuiſſe nouo.*
*Ille ſedet, citharamq́; tenet, preciumq́; vehendi*
*Cantat, & æquoreas carmine mulcet aquas.*

## CIIII.

Vndecima ratio fit, cùm vna ſententia verbis crebrò repetitis iteratur, quam figuram variè nominant Rhetores, συναθροισμὸν, ἐπιμονὴν, ἐπεξεργασίαν. Ariſtoteles vocabulo architectonico προσοικοδόμησιν. Duo exempla ponere ſatis ſit. Propertij, 4. 12.

Pandi-

*Panditur ad nullas ianua nigra preces.*
*Cùm ſemel infernas intrarunt funera leges,*
*Non exorato ſtant adamante viæ.*
*Vota mouent ſuperos: vbi portitor æra recepit,*
*Obſerat herboſos lurida porta rogos.*

Ouidij de Ponto, 2. 3.

*Turpe quidem dictu, ſed ſi modò vera fatemur,*
*Vulgus amicicias vtilitate probat.*
*Cura quid expediat prior eſt, quàm quid ſit hone-*
*Et cum fortuna ſtatq́; caditq́; fides. (ſtum,*
*Nec facilè inuenies multis in millibus vnum,*
*Virtutem precium qui putat eſſe ſui.*
*Ipſe decor recti, facti ſi præmia deſint,*
*Non mouet, & gratis pœnitet eſſe probum.*
*Nil, niſi quod prodeſt, charũ eſt: en detrahe menti*
*Spem fructus auidæ, nemo petendus erit.*
*At reditus iam quiſq; ſuos amat, & ſibi quid ſit*
*Vtile, ſollicitis computat articulis.*

In hac ſententia primùm eſt probatio, πίςις, à vulgi moribus. Sequitur ἰσοδυναμία, quia eadem ſententia variè repetitur. Tum παράδειγμα, quia exemplo agit. Poſtea κατασκευὴ, quaſi noua probatio. Rurſus συντομία, quia breuiſsimè repetit, quod dixit, *Nil, niſi quod prodeſt, charum eſt.* Præterea ἀποςροφὴ, cum conuerſione ſermonis. Ad extremum ἀπόδειξις, qua demonſtrat, quanta dili-

diligentia homines vtilitatem metiantur etiam articulis.

## C V.

Duodecima ratio fit per ſimilitudines, quæ quamuis tantùm doceant, tamen repetitæ vim habent amplificandi.

Ouid. 14. Met.

*Sæuior illa freto ſurgente, cadentibus hœdis,*
*Duriôr & ferro, quod Noricus excoquit ignis,*
*Et ſaxo, quod adhuc viuum, radice tenetur.*

Plures autem tribus ſimilitudinibus coniungi non debent: ſemel quatuor coniunxit Propertius, lib. 2. 99. b. quinque Ouidius, 2. de arte, 86. b.

## C V I.

Ratio tredecima eſt exemplorum, cùm multa enumerantur, confirmandi ſeu amplificandi cauſa. Ouid. de Ponto 1. 4.

*I nunc, & veterum nobis exempla virorum,*
*Qui forti caſum mente tulêre, refer,*
*Et graue magnanimi robur mirare Rutili,*
*Non vſi reditus conditione dati.*
*Smyrna virum tenuit, non Pontus, & hoſtica tellus,*
*Smyrna minus nullo pænè petenda loco.*
*Non doluit patria Cynicus procul eſſe Sinopeus,*
*Legit enim ſedes Attica terra tuas.*

*Arma*

*Arma Neoclides qui Perſica contudit armis,*
*Argolica primam ſenſit in vrbe fugam.*
*Pulſus Ariſtides patria, Lacedæmona fugit,*
*Inter quas dubium, quæ prior eſſet, erat.*
*Cæde puer facta Patroclus Opunta reliquit,*
*Theſſalicamq; adijt hoſpes Achilles humum.*
*Exul ab Aemonia, Pirennida ceſſit ad vndam,*
*Quo duce trabs Colcha ſacra cucurrit aqua.*
*Liquit Agenorides Sidonia mœnia Cadmus,*
*Poneret vt muros in meliore loco.*
*Venit ad Adraſtum Tydeus, Calydone fugatus:*
*Et Teucrum, Veneri grata, recepit humus.*

Nouem proponit exempla, quibus hominibus locus exilij ipſa ferè patria fuit felicior atque honoratior.

## C V I I.

Vltima ratio additur à Fabio, quam ipſe digreſsionem nominat, Græci πάροδον ſeu παρέκβασιν, eruditi interpretes Terentij ὄχημα, quæ eſt à materia inſtituta deflexio, & quaſi deuiatio. Hæc ita inſtituenda eſt, vt aliquam cum materia præſente habeat cognationem. nam ſi aliena eſt, faſtidium: ſi longius petita, obſcuritatem parit. Horatius occaſione nauigationis, qua gratulatur Virgilio Athenas eunti, in hominum audaciam & temeritatem digreditur, qui non mare ſolùm, ſed & cœlum & aërem, & inferos

inferos tentarint, 1. 3. Idem cûm Troiam vaſtatam docet propter iniuſticiam, libidines, periuria, inducit per digreſsionem, Iunonem ipſam diſſuadentem, ne Romani Troiam inſtaurent, 3. 2. quo in loco ſic concludit.

*Ter ſi reſurgat murus ahenus*
*Auctore Phœbo, ter pereat meis*
*Exciſus Argiuis, &c.*

Breuius exemplum eſt de Dædalo, lib. 6. Aen. vbi digreſsio fit per occaſionem cuiuſdam picturæ,

*Dædalus (vt fama eſt) fugiens Minoïa regna,*
*Præpetibus pennis auſus ſe credere cœlo,*
*Inſuetum per iter gelidas enauit ad Arctos,*
*Chalcidicaq́ leuis tandem ſuper aſtitit arce.*
*Redditus his primùm terris, tibi Phœbe ſacrauit*
*Remigium alarum, poſuitq́ immania templa.*
*In foribus letum Androgeo, tum pendere pœnas,*
*Cecropidæ iuſsi (miſerùm) ſeptena quotannis*
*Corpora natorum: ſtat ductis ſortibus vrna*
*Contrà, elata mari reſpondet Gnoſsia tellus,*
*Hîc crudelis amor tauri, ſuppoſtaq́ furto*
*Paſiphaë, mixtumq́ genus, proleſq́ biformis,*
*Minotaurus ineſt: Veneris monumenta nefandæ.*
*Hîc labor ille domus, & inextricabilis error.*
*Magnum reginæ ſed enim miſeratus amorem*
*Dædalus ipſe, dolos tecti, ambageſq́ reſoluit,*

*Cæca*

*Cæca regens filo veſtigia.*

Qui non habet, quod de re dicat, digreſſione vtitur neceſſariò : ſed qui dicere iucundè vult, eadem vtitur arbitratu ſuo. Aptè digredi, & ad rem redire poſſe, viri ſapientis èſt.

## X. DE IVDICIO.

### CVIII.

In ſcribendo carmine exactum iudicium adhibeatur. Ouidius fertur aliquando (vt eſt in controuerſijs Senecæ) repræhendiſſe Varronem Atacinum, qui ſcripſerit,

*Omnia noctis erant placida compoſta quiete :*

nam meliorem potuiſſe fieri ſententiam, ſi ita deſijſſet, *Omnia noctis erant :*

plura enim illa breuitate cogitanti reliquiſſet. Sed Varro (ait Iulius Montanus) quem voluit ſenſum, optimè explicuit : Ouidius in illius verſu, ſuum inuenit, quem in opere non vidit proprio, nam cùm ait, 1. Met.

*Omnia pontus erant, deërant quoq; littora ponto.*

multò dixiſſet efficacius, ſi ibi finijſſet,

*Omnia pontus erant,*

nam adijciendo alia, prioris ſententiæ cogitationem ampliſsimam menti lectoris eripuit, & adiectione infirmauit.

Ingenij

## C I X.

Ingenij libertati, quòd nimium tribuendum non ſit, inde conſtat. Fuſcus Arellius præceptor Ouidij, & Albinouanus Pedo, & Portius Latro petierant ab eo, vt æquo animo pateretur, tres verſus aut mutari, aut demi è ſuis operibus. Id illis volens conceſsit, tres tamen ait ſe velle habere exceptos. Cùm die altero conueniſſent, ijdem erant in amicorum & tabellis ipſius notati. E' quibus vnus eſt ex Heroidib.

*Semibouemq́; virum, ſemiuirumq́; bouem.*

Alter è Medea Tragœdia anapæſticus, quem de carminum generibus, in Senecam annotaui. Tertius in controuerſijs Senecæ, in mutilis exemplaribus eſt omiſſus. Vndè ſubire cenſuram poëta dulciſsimus, quàm non indulgere ingenio promptiſsimo maluit: ſed & Fabius ſcribit maluiſſe ipſum ingenio indulgere, quàm temperare: nec iudicium ei defuiſſe, ſed animum, ait Seneca idem in Declamationibus.

## C X.

Scaurus orator hos Ouidij verſus repræhendit 13. Me. Cùm Polyxena eſſet abducta, vt ad tumulum Achillis immolaretur, Hecuba de Achille ita conqueritur,

*cinis ipſe ſepulti*

*In genus hoc ſæuit: tumulo quoq; ſenſimus hoſtē:*

*Aeacidæ fœcunda fui.* Poterat contentus eſſe dixit Scaurus) *cinis ipſe ſepulti.*

*In genus hoc ſæuit.* Verùm adiecit,

*Tumulo quoq; ſenſimus hoſtem:*

nec hoc contentus, porrò adiecit,

*Aeacide fœcunda fui.*

Aiebat autem Scaurus, non minorem eſſe virtutem, ſcire deſinere, quàm dicere, ſed non poſſe Ouidium, quod bene ceſſerit, relinquere. Verùm cùm in querelis vſitata ſit, & admodum affectuoſa miſeriæ & doloris repetitio, præfero iudicium poëtæ copioſiſſimi rigidæ cenſuræ Scauri. nam & idem ter vnam repetit ſententiam, in Nuce.

*Fructus obeſt, peperiſſe nocet, nocet eſſe feracem.*

vt & alibi ſæpius: quod & ab oratoribus factum eſt. Non caret ſimili reprehenſione illud Virg. 11. Aen.

*Hectoris Aeneæq; manu victoria Graiûm*

*Hæſit, & in decimum veſtigia retulit annum.*

in qua ſententia verba extrema tollenda Montanus cenſuit, cùm illa temporis ſignificatio, plurimùm ad incrementum laudis virorum fortiſsimorum faciat. Sint autem Critici acutiſsimi, Tarpa, Cato, Tucca, Varus: ego optimum eſſe poëtarum Virgilium, de omnium iudicio & ſententia ſtatuo.

Sed

Sed quidquid huius eſt, quod mihi explicatu difficile, id poëta ſapientiſsimus Horatius monuit, cuius ſententias ex Arte verbis breuibus repetam, & vberiora peritioribus relinquam.

# Q. HORATII FLACCI DE ARTE POETICA,

## CATHOLICA.

## Ex Epiſtola ad PISONES.

### CATHOLICON I.

Inuentio ſit ad materiam accommodata, non diſsidens, non aliena, non monſtroſa. nam mulieris caput, ceruix equi, corpus auis variè coloratum, membra è varijs animantibus collecta, pedes in caudam piſcis exeuntes, in pictura monſtrum deforme faciunt: quòd ſi eadem ſit in oratione diuerſitas, quid poteſt dici mendoſius?

### II.

Ornamenta nec nimia ſint, nec temere quæſita, nec vbiq; adhibeantur aut oſtententur.

### III.

Forma dicendi obſeruanda, ne grauia tenuiter, prolixa breuiter dicantur, hoc ad decorum pertinet & ad materiam, vt cum rebus magnis verba grandia conſentiant.

IIII.

In deſcriptionibus poëticis, fidem ne excedat oratio, neúe ſit planè contra naturam inducta fictio.

V.

Diſpoſitio talis ſit, ne peccetur exquiſita ſedulitate, aliqua omitti poſſunt, aliqua prolixitate nocent: nec eſt vna pars excolenda, & relinquenda altera. Id probat exemplo fabri, qui caput & ſuperiorem corporis partem exprimebat artificioſè, reliquum opus abſoluere non poterat. Probat idem ſuo iudicio, quòd nollet corporis parte reliqua eſſe pulcher, & naſo eſſe adunco deformis. Omnia membra ſimilia & compoſita ſint oportet, in integro & bene formato corpore.

VI

Videndum eſt, num quis par eſſe poſsit ei materiæ, quam tractandam ſuſcipere cogitat. Ingenij enim vires ſæpe imprudentem vel incautum deſtituunt.

Elocu-

VII.

Elocutio in verbis poſita eſt, & in verborum formis. Verba ſunt aut ſimplicia aut coniuncta, vetera aut noua, propria aut tranſlata. In ſingulis vtendum iudicio & prudentia, & vſitatorum præcipuus honor eſt. Eadem enim ratio verborum, quæ nummorum, vt vſitata & probata magis valeant.

VIII.

Conſiderandum genus carminis, & accommodandum argumentis, & qui numeri ſint ad quoduis genus accommodati magis. Carminum genera vſitatiſsimorum quatuor, Heroicum, Elegiacum, Iambicum, Lyricum.

IX.

Non vno orationis genere in omnibus ſcriptis eſt vtendum. Inſurgunt interdum Lyrici, interdum Comici. Conueniunt autem grandia propriè tragicis, humilia comicis. Fit autem vt ideæ miſceantur, pro ratione temporis aut loci.

X.

Affectuum habenda ratio eſt, aliud decet hilares, aliud triſtes: aliud iracundos,

aliud lenes. quare cum induſtria tractandi ſunt. Requiruntur autem tria in carmine, pulchritudo, ſuauitas, animorum affectio. Theophraſtus ſcripſit, pulchritudinem eſſe quandam deceptionem, & Ariſtoteles eam vocat τυραννίδα ὀλιγοχρόνιον. Suauitas retinet lectorem, affectus mouent.

## X I.

Perſonis danda ſunt ſua conuenientia, vt oratio ſit bene morata. In hac parte conſideranda dignitas, ætas, ſexus, fortuna, conditio, prouincia, patria.

## X I I.

Perſonæ ſumuntur aut à poëtis alijs, aut finguntur à nobis. Si ſumuntur ab alijs, obſeruandum eſt τὸ ὅμοιον, hoc eſt, vt ſequamur eum auctorem exactè, quem ad imitandum propoſuimus, cuius rei ponuntur exempla. Sin finguntur nouæ à nobis, retinendum eſt τὸ ὁμαλὸν, id eſt, æquale, vt ita perſonas introducamus, vt vbiq; ſibi conueniant, & vt extrema primis reſpondeant, ne hominem modò audacem introducamus, modò prudentem, & cautum: id enim vicioſum eſt. In vtroq; ſeruandum τὸ ἁρμόττον, quod hoc loco vertit conuenientiam, vt, conueniens eſt, virum eſſe fortem,

tem, mulierem timidam, ſeruum callidum, adoleſcentem ingenuum.

XIII.

Quæ communia ſunt, ita tractentur, vt propria fiant. Materiæ communes ſunt, de quibus omnes poſſunt dicere, quas ſi ita quis tractet, vt præcipuam laudem conſequatur, facit eas proprias & ſuas, vt multi ſcripſerunt de bello Troiano, ſed quod commune fuit, id ſibi proprium fecit Homerus.

XIIII.

De Græcis quia ſumenda multa, vt Latini omnes ſumpſerunt, non eadem verba vt interpreti ſunt exprimenda, ſed libertate quadam vtendum eſt, ingenij atque iudicij, qualis eſſe ſolet imitatoris. Hoc præceptum de Cicerone tranſtulit, qui inquit, Non verbum verbo neceſſe eſt reddere.

XV.

Exordium ne ſit ineptum, hoc eſt, alienum, aut tumidum.

XVI.

Propoſitio vel narratio è propinquo petita, & veriſimilis ſit. In narrando decorum ætatum ne negligatur.

XVII.

In genere Dramatico, non neceſſarium eſt omnia facta palàm exhibere, vt ſunt crudelia, turpia, monſtroſa: ſed ea narrare vt geſta ſunt, oratione commoda & pudica, multò rectius & ſpecioſius eſt.

XVIII.

In comœdia plures eſſe actus, quàm quinque, moleſtum: pauciores, illepidum.

Deorum perſonas inducere non decet, niſi in rebus maximis. Cicero: Poëtæ Tragici cùm explicare argumenti exitum non poſſunt, ad Deum confugiunt.

Plures perſonæ quàm quatuor ne loquantur propter confuſionem.

Chori ſint morati, in quibus aut admoneantur homines, aut reprehendantur, aut inſtituantur ad virtutem.

Chori materia eligatur eiuſmodi, quæ ſit argumento præſenti apta atque congrua.

Inſtrumenta & cantus referantur ad ſimplicitatem vetuſtam. Muſica enim theatralis, & cantuum licentia, quæ cum opibus Romanorum creuit, eſt pernicioſa diſciplinæ & moribus.

XIX.

In Satyra grex ruſticus, & dij agreſtes produ-

producuntur ad temperandam ludo & iocis Tragœdiæ triſticiam. In iocis tenendum, ne ſint laſciui, ſcurriles, maledici, quod præceptum in genere ad alia ſcripta omnia pertinet.

In ſatyra habenda ratio eſt loci, vt diei feſti: perſonarum, vt Bacchi, Sileni, Satyrorum: argumenti, ne miſceantur inconuenientia: verborum, vt ſint apta perſonis: decori, ne qui in Tragœdia fuit heros, in Satyra introducatur ardelio: auditorum denique, ne offendantur, ſi miſceantur ridiculis fœda, turpibus laſciua, iocoſis probroſa.

## X X.

Eligendi pedes carminis vniuſcuiuſque proprij, in eoque nimia licentia non eſt vtendum.

Veteres in Iambico vſi puris iambis, deinceps aſſumptus eſt ſpondeus in locis inæqualibus.

Secuta poſtea talis licentia eſt, vt & ſpondeo liberrimè, & pedibus alijs peregrinis, nequaquam feſtiuè vterentur.

## X X I.

Adhibenda in carmine ſcribendo cura & attentio. Quæ ex tempore fiunt carmina,

tanquam operæ leues habentur: quæ ſine arte fiunt, eijciuntur vt ineptæ. Hoc quamuis multi non curant, tamen incuria auditoris, eſſe non debet cauſa negligentiæ & erroris. Qui ſcribere digna eruditis auribus cupit, auctores Græcos ſtudioſè legat, nec vnquam deponat de manibus.

## XXII.

Artes habent ſua incrementa, vt cæteræ in natura res. Ita Tragœdia, quæ primùm rudis fuit, auctore Theſpi, poſteris temporibus ornamenta accepit ab Aeſchylo, primùm acta ruri in vicis, deinde in theatris vrbium magnarum.

## XXIII.

Artes quædam oriuntur, quædam intercidunt, naturali quadam viciſsitudine. Intercidit Comœdia vetus, propter maledicentiam, qua apertè lacerabantur homines: ei petulantiæ ſtatuta pœna eſt, ne nimium acerbitas progrederetur. In eius locum Satyra ſucceſsit apud Latinos. Veteris Comœdiæ auctores fuerunt Eupolis, Cratinus, Ariſtophanes: mediæ, Plato Comicus: recentioris, Menander, quæ in vſu manſit, & celebris facta eſt.

Non

XXIIII.

Non ſimus contenti aliorum inuentis, ſed & ipſi exemplo veterum aliquid noſtra induſtria proferamus, quod laude ſit dignum. Hoc fecerunt, qui ſcripſerunt apud Latinos Togatas, quæ habebant argumenta Græca: vel qui ſcripſerunt Prætextatas, quæ argumenta Latina.

XXV.

Vt carmen ſit perfectum, id efficit cura & compoſitio: ideo quod tale non eſt, meritò reprehenditur. Ingenij facultas artem ſuperat.

XXVI.

Poëta vt perfectus fiat, eget cognitione eius philoſophiæ, quæ mores efficit meliores. Quæ ad naturam ſpectat, minus plauſibilis eſt, & minus ornamentorum habet, & minus eſt vtilis.

XXVII.

Ad philoſophiam maior addenda eſt poëtæ ſcientia, vt nouerit mores hominum, & ingenia populorum: id fit peregrinando, vt quæ ſcribenda ſunt, ita exprimat atque variet, vt fiant narrationes ſpecioſæ.

Finis

XXVIII.

Finis poëticæ eſt, vt ſcribantur iucunda & vtilia. Iucundum eſt, quod delectat, nempe quod non nimis prolixum, quodúe memoria teneri poteſt: item quod veriſimile, & non planè fictitium. Vtile eſt, quod animos incitat doctrina & ſapientia.

XXIX.

Ignoſcendum eſt delictis quibuſdam, *præſertim in magno opere. Errores com*mittuntur aut in arte propria, aut in aliena. Errare poëtam in præceptis, turpe eſt: in aliena arte errorem committere, magis ferendum, vt à Virgilio in aditu Africæ fingitur Aeneas ceruos iaculatus, cum Africa ceruum non habeat. Errores ijdem contingunt, aut incuria, cum peccatur negligentia: aut communi hominum fragilitate, quia nemo inuentus, qui nouerit omnia. Itaque hi poſtremi errores etiam non ſunt exagitandi.

XXX.

Bonus poëta hoc agat, vt ſemper delectet, & auditorem lectoremúe detineat. In pictura quædam delectant longius poſita, quædam adhibita propius. Contra poëta & in vmbra & in ſole delectationem afferat.

In

XXXI.

In poëta nihil admittitur mediocre, qui niſi excellentiſsimus ſit, deterrimus eſt.

XXXII.

Poëma niſi ſit dulce & æquale, ingratum eſt: id probatur ſenſibus duobus, vt auditu & guſtatu in cibis iucundis. Ita igitur fit poëma, vt ſuauitate ſit gratum, & ſui ſimile ſit, vſque ad finem, nequem à legendo moretur & abſterreat.

XXXIII.

Qui ſcripturus eſt aliquid poſteritate dignum, ne id aggrediatur, natura non adiuuante. Non è ligno omni fit Mercurius, vt eſt in prouerbio, nec omnium ſtudijs aut laboribus fauet Minerua. Præſtantiſsima eſt in omni arte, natura, & poëtam non tam fieri, quàm naſci ſermone eruditorum dicitur.

XXXIIII.

Nemo tam doctum ſe exiſtimet, quin aliorum iudicijs ſua ſcripta ſubijciat, & ea domi ſæpius retractet atq; corrigat.

XXXV.

Vtilitas poëticæ inde propagata eſt: quia veteres

veteres ſcripſerunt optima, ad hominum videlicet vitam, mores & felicitatem pertinentia, ſuaq; ſcripta longo tempore examinata, iam ſenes protulerunt. Vſus poëticæ quis olim fuerit, exemplis hominum doctiſsimorum conſtat: Orphei, qui primùm villas condidit: Amphionis, qui vrbes: Tyrtæi, qui bella fortiter geſsit: Homeri, qui ſcripſit ſapienter.

XXXVI.

In poëta artifice tria requiruntur, natura, ars, & diligentia.

XXXVII.

Diſcendum à peritis, & erroris confeſsio ſcribenti neceſſaria, vt quod malum eſt vitet, & meliora diſcat facere. Erroris confeſſio animi magni eſt & ingenui. De Hippocrate medico ſcribunt Celſus & Quintilianus, quòd errores quoſdam, ne poſteros deciperet, ſit confeſſus, more ſcilicet magni viri, & fiduciam rerum magnarum habentis. Leuia enim ingenia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt, vt idem Celſus ait.

XXXVIII.

In eligendis amicis, qui verum nos doceant, & ſcripta emendent noſtra, acri iudicio

dicio vtendum eſt: ne eligantur imperiti, adulatores, fraudulenti. Imperiti iudicare neſciunt, adulatores metuunt offendere, fraudulenti non laudanda ſolent commendare.

XXXIX.

Nemo ſe ipſe fallat, aut falli ſe ab alijs patiatur: ſed ad emendationem ſcriptorum adhibeat grauem virum iudicem, eiusque conſilio mutet ac deleat, quæ corrigenda & expolienda videbuntur.

XL.

Qui adulator non eſt, & poſt ſcriptionem iudicare nouit, rei nulli magis incumbat, quàm emendationi, idq́; faciat graui ſtudio & iudicio exquiſito. Id qui non facit, & hac in re qui peccat ſponte, & famam temere proſtituit, is pro inſano & furioſo & cerito habeatur.

XLI.

Vicia verſuum ſunt ſeptem, vt eorum qui carent arte, facilitate, ornatu: item eorum, qui ſunt ſuperflui, obſcuri, ambigui, otioſi.

Ex Epiſtolis ad MECOENATEM, AVGVSTVM, FLORVM.

XLII.

Imita-

Imitatio non ſit ſeruilis nec ſuperſtitioſa, quaſi non audeas ab exemplo decedere: neq; eadem ſit fatua & imprudens, vt etiam imiteris non imitanda & vicioſa.

XLIII.

Alienis veſtigijs non ſemper inſiſtendum, viam enim interdum non tritam ab alijs & inuſitatam, ingregi licet. Horatius carmen Iambicum mutuatus ab Archilocho eſt, eiusq; numeros & elegantiam expreſsit: turpitudinem in verbis, & in conuicijs dicacitatem vitauit prudenter.

LXIIII.

In carmine aura popularis non captanda, ſed videndum, vt doctorum iudicijs probentur, ea quæ ſcripta ſunt.

XLV.

Iudicium vulgi de poëtis rarò verum, ideo non eſt ſequendum. Iudicauit autem vulgus Romæ, quòd Pacuuius eſſet doctus, Accius grandiloquus: quòd Afranius imitator Menandri, Plautus Epicharmi: quòd Terentius arte eſſet ſuperior, Cæcilius grauitate, ſed non idem periti ſentiebant. Extat apud Macrobium neſcio an Agellium, de ijs qui ſcripſerunt epigrammata, ſimile

iudi-

iudicium, de Rhetoris Antonij Iuliani ſententia, quòd Catullus & Caluus, bona pauca, Neuius implicata, Hortenſius inuenuſta, Cinna illepida, Memmius dura ſcripſerit.

XLVI.

Antiqui ita ſunt laudandi, ne nouis detrahatur, *nec alijs putetur iter interclusum* ad magna perueniendi. Scitè Sidonius ad Eucherium, Veneror antiquos, non tamen ita, vt meorum æquæuorum virtutes aut merita poſtponam.

XLVII.

Nouitas grata eſt, ſi ſit erudita: nam ar*tes non ſimul inchoari & perfici certum eſt*, ſed tempore & ſtudio excoluntur: quæ tamen ſi ad ſummum peruenerint, rurſus minuuntur & quaſi decreſcunt. Cice. de Orat. Nihil eſt in natura rerum omnium, quod ſe vniuerſum profundat, & quod totum repente euolet.

XLVIII.

Artem nemo exercere audet, inprimis periculoſam, qui eam non bene didicerit: id faciunt gubernatores, faciunt idem medici: ſed *hoc minimè fecerunt poëtæ* quidam Romani, quos calor & impetus tantus

tulit, vt ſcribendi carminibus ferè omnes gloriam quærerent, pauci tamen aſſequerentur.

## XLIX.

Poëta affectuum tractandorum non ſit minus peritus, quàm funambulus aut magus artis ſuæ eſſe ſolet: tum ea euidentia res deſcribat, vt lector non audire, ſed ipſis locis & negotjs, vbi quid agitur, intereſſe videatur. Eam facultatem ὑποτύπωσιν Fabius, πρὸ ὀμμάτων θέσιν ἢ ποίησιν vocat Ariſtoteles.

## L.

Poëtæ aut in theatris placere cupiunt, vt Comici & Tragici: aut in bibliothecis ſtudent reponi. Theatrales affectuum animi habeant rationem, vt permoueant ſpectatorum aures & oculos. Ij verò qui intra parietes placere expetunt, ſumant ad ſcribendum otium, & ad expoliendum tempus, vt poſsint ſatisfacere politis virorum ſapientiſsimorum iudicijs in vmbra.

## L I.

Poëta non ſit importunus, vt auditu intempeſtiuo offendat: non difficilis, vt aliorum admonitiones ſpernat: non ambitioſus, vt ſua ſcripta nimis admiretur: non moro-

moroſus, vt ſatis præmiorum tribui ſibi non poſſe exiſtimet: non ſuperbus denique, vt honorari vltra modum velit.

LII.

Neceſſaria poëtæ eſt emendatio, vt obſcuris lucem, ſplendorem vulgatis addat. Omnia impropria, leuia, parum decora, tollat atque deleat, antiquos cum iudicio imitetur, nimis ambitioſa reſcindat, aſpera leuiget, ſanitate ſermonis in toto ſcripto vtatur: quæ virtute carent, ea arte & ordine corrigat.

LIII.

Suſcipiat primùm partes actoris poëta, vt ſic habeatur, quaſi non ſcribat attentè, nec ſcripta ſua expoliat, vt quiuis putet ſe ſimilia poſſe efficere, propter ſimplicitatem. Suſcipiat præterea partes hiſtrionis, vt videatur vulgaria & vſitata agere: non tamen eadem agere propter varietatem: nec laboraſſe, ſed luſiſſe: nec ſudaſſe, ſed exercuiſſe videatur: nam artem ſic celare, vt nihil appareat laborioſum aut exquiſitum, cùm tamen ſtudio & cura expolita ſint omnia, maxima virtus eſt, quam Ariſtoteles κρύψιν appellat.

LIIII.

Sapientia non ea ſola eſt, vti verbis multis & elegantibus, ſed ea etiam ſcire ac dicere, quæ ad vitam bene beateq́ agendam pertinent. vndè artem poëticam ſine cognitione & ſcientia philoſophiæ, nugas canoras ſuprà nominauit. Itaq́ poëtam bonum & legitimum, oportet eſſe ornatum verbis, & ſententijs ſapientem, & oratori ſi non parem, certè maximè propinquum & philoſopho amiciſsimum.

GEOR-

# GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS, DE VERSVVM ACCIDENTIBUS,

# Liber Septimus.

## GEORGIVS FABRICIVS CHEMNICENSIS, GEORGIO SELLAE ad diuum Laurentium Ludimagiſtro Noribergio, S. D.

NVLLA pars artis poëticæ obſcurior, quàm hæc eſt, de qua nunc agimus: ſed tamen cognitionem habet iucundam & liberalem, & ad contemplandam atq; abſoluendam artem non incommodam. Eſt autem diuerſa aliorum quorundam ſententia, qui ſatis eſſe exiſtimant ſcribere verſum ſpecioſum aut celerem: etiamſi quis iſta ſcrinia non excuſſerit puluerulenta: vt Ariſto Chius & Ariſtippus ſatis eſſe dixerunt, nouiſſe Penelopen, quamuis Melanthûs & Polydoræ pediſſequarum nomina quis neſciret, familiaritate non vteretur. Reuera talis artium ratio eſt, vt quædam in ijs ſplendorem habeant manifeſtum, quædam verò abſtruſum, nec omnibus exploratum aut obuium: non aliter atque in pompa regia

eminet apparatus aulicus, & equitatus inſignis, & ſatellitum armatura, etſi alij regis theſauri oculis popularibus non ſint expoſiti. Similiter in poëtica inprimis conſpicua eſt ſuauitas numerorum, & nitor orationis: ſed illa tamen minus ante oculos verſantur, quæ illam dulcedinem & elegantiam tam in ſonis, quàm in verbis efficiunt. nam ea prius tradi ſolent intra parietes, & in gymnaſijs exerceri, quàm in ſolem producantur, & oſtendantur in luce: ſed ipſam artem ſoli intelligunt docti, voluptatem imperiti quoque poſſunt percipere. Ad gynæceum vt redeam: niſi quis Penelopes pediſſequis ſalutatis, aditum per eas impetrauerat, ad dominæ conſpectum non admittebatur: ita qui hæc neglexerit adire, quaſi miniſtra limina, etiam ad ſacra Muſarum adyta aſpirare nunquam audebit. Verſatur in noſtris item liminib. pudor & veritas, quæ habent acceſſus faciles, & portas apertas, ad puellas illas regias, in pudicitiam & virtutem ipſam dominantes, & artium optimarum atque omnis ſcientiæ magiſtras grauiſsimas. Quamobrẽ vt poſt obſeruationes illas pueris & adoleſcentulis præſcriptas, etiam prouectiorib. darem occaſionem quædam tectiora inueſtigandi, hunc ad ſuperiores libellum adieci: in quo ſi quis, aut propter

argu-

argutias, aut propter rerum tenuitatem me fortaſſe accuſat: Pontanum, Minturnum, Marantam Parthenium accuſat, & è noſtris quoq; Micyllum, qui in eiuſdem argumenti tractatione fuerunt & diligentiſsimi, & aliquo modo curioſi: quorum Dialogi & libri in manibus hodie ſunt, & ab eruditis plurimis valde commendantur. Ne mihi autem contendendũ cum quopiam ſit, te Georgi ſubſtituo, ætate ſenem, exercitatione veteranum, mente prudentem, laboribus aſsiduum: vt quod mihi in arte muſica deeſt iudicij aut experientiæ, id tua æſtimatione, tuoúe ingenio expleas atq; perficias: quod vt impetrari à te patiaris, & hunc libellum ſuſcipias æquo animo, à te vehementer etiã atq; etiam nomine ſtudiorum communium peto. Nec de vno tantùm genere carminis, aut de auctoribus ſimilibus inter ſe (vt in ſuperioribus pleriſq; factum eſt) ſolùm agitur: ſed præceptiones iſtæ ad totam artem & auctores omnes ſpectant, in qua tamen, quæ in conſuetudine ſunt, ea ad vſum potiſſimum videntur adhibenda: nam his conſiderationibus vſus præcipuè ſplendorem affert: in perpendendis enim ſyllabis conſeneſcere, hominis eſt, vt Fabius ait, tum miſeri, tum in rebus minimis occupati. Vale, è ludo illuſtri, Miſena Hermundurorum.

# GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS DE VERSVVM ACCIdentibus.

IN omni verſu conſiderantur hæc accidentia decem,& ſeptem.

I. PEDES, in quibus certum ſyllabarum ſpacium eſt, & uumerus finitus.

II. GENVS, ſeu (vt Diomedes) FORMA, eſt nomen carmini inditum ab ipſis pedibus.

III. DIMENSIO (quæ & menſura, & conceptio) eſt conſtitutio ſeu coniunctio pedum: quæ à Micyllo quantitas dicitur, à Iuba coniugatio. Baſſus apud Ruffinum percuſsionem, Horatius ad Piſones ictum appellat, Græci nomine communi interdum metrum.

Accipitur metrum quadrifariam, vt eo ſignificetur.

1. Syllaba vna, vndè verſus hypermeter, qui ſyllaba in fine abundat.
2. Pes vnus, vndè hexameter & pentameter, à totidem pedibus: & apud Latinos iambici binarij & quaternarij.
3. Dimenſio vna, vndè iambicum Græci, ſeu quem alterius generis verſum,

ſum, dimetrum aut trimetrum appellant.

4. Verſus vnus, vndè metrum iambicum & trochaicum vocant recentiores Comicorum interpretes, nec aliter Diomedes.

IIII. TERMINATIO (à Latinis conſtanter depoſitio) quæ eſt verſus in fine aut perfectio aut imperfectio propter ſyllabas, quas pedes iuſti recipiunt.

V. SPECIES, quæ à recentioribus appellatio, quia nominis cauſam vel à perſonis, vel à rebus ſumptam continet.

VI. SCANSIO eſt, definitore Attilio, motus ſeu ingreſsio carminis: hæc etiam à nonnullis rythmus, ſoni & pronunciationis gratia dicitur.

VII. PARTES, ſeu membra, in quæ ſecundum pedum numerum diuidi verſus poteſt. Has partes Seruius definitionem, & è veteribus aliqui vocant clauſulas.

VIII. CAESVRA vt Acro, ſeu ſpeciali nomine (vt Sergius & Priſcianus) comma, vt Cicero, inciſum: vt Horatius, percuſsio: vt Diomedes, ſectio & manſio, eſt in ipſa ſcanſione apta & conueniens pedum diuulſio, & vocis interſpiratio.

IX. COMPOSITIO, ſeu (vt Sergius, licet impropriè) colon: ſeu, vt recentiores, forma: eſt ipſorum carminum aut pura continuatio, aut varia compages, hoc enim nomine Terentianus vtitur.

X. HABITVS, ſubijcitur compoſitioni, & nomen conſequitur à partium numero, quæ partes ſtrophæ Græcis.

XI. QVALITAS, (vt Priſcianus) genus, per quam intelligimus, vtrum carmen ſit (vt idem loquitur) genere informe, an ſpecierum diuerſarum: ſeu (vt Diomedes) vtrum ſpeciem finitam habeat an infinitam, id eſt, vtrum ſimplex carmen ſit, an ex alio formatum ſiue compoſitum.

XII. VSVS, qui proficiſcitur à ſcribentium imitantiumúe voluntate & iudicio.

XIII. MODVS, agit de integritate & ſono verſuum, & de multitudine ſyllabarum.

XIIII. FIGVRA, eſt pedum diſpoſitio atq; variatio, pro multiplici poſitu in ſuis regionibus.

XV. DICTIO, eſt verborum qualitas, quod ad ſyllabarum ſitum & numerum attinet.

XVI. AFFECTIONES (paſsiones, Græci

Græci verbi imitatione, à Priſciano) ſunt vicia quædam verſuum, aut ex abundantia, aut ex inopia, præter conſuetudinem vulgatam admiſſa: quos verſus parum rectos & integros Ruffinus, improbatos Diomedes nominat.

XVII. PROPRIETAS, eſt verſuum è quibuſdam accidentibus vel pedum, vel dictionum, vel ſoni aut pronunciationis, vel ipſius deniq; compoſitionis multiplex conſideratio.

Artis rationem Grammatici habuerunt in his accidentibus ſatis accuratè, quamuis ad vſum quædam non pertineant: proprietatis & nominum non item. Alij confundunt genus, ſpeciem, & qualitatem, vt Diomedes & Priſcianus. recentiores modum, figuram, & habitum: Sergius cæſuram & partes: Seruius ſcanſionem & cæſuram. Hæc ſeu negligentia ſeu incuria, remoretur aut offendat neminem, rem modò ipſam probè aſſequatur. Nunc de ſingulis accidentibus ſeparatim.

## I.

## PES.

Pedi accidunt octo, Arſis & theſis, tempus,

pus, locus, numerus, nomen, reſolutio, proportio, differentia: quæ & à Grammaticis enumerata ſunt, & omitti in obſeruationibus non poſſunt.

I. ARSIS & THESIS, quibus attolluntur vel deprimuntur in pedibus ſyllabæ. Arſis (quam ſublationem Fabius & Diomedes, eleuationem Sergius vertit) eſt in initio pedis, vnius pluriumúe ſyllabarum elatio. Theſis (quam poſitionem vertunt pleriq;, Martianus remiſsionem) eſt in fine pedis, vnius pluriumúe ſyllabarum depreſſio. Habent arſis & theſis, quod ad numerum attinet, ſyllabas.

1. vel pares, vt in iambo arſis vnam habet ſyllabam, vnam itidem theſis, vt *párèns*: ſimiliter in trochæo, *ármà*.
2. vel impares, vt in dactylo, arſis vnam habet, theſis duas, vt *Títy̆rè*: in anapæſto, arſis duas, theſis vnam, vt, *Recubáns*.

II. TEMPVS, eſt ſyllabæ (vt Terentianus) momentum, id eſt, vel tarditas vel breuitas. Syllaba longa ſeu (vt Ouidius) porrecta, duorum eſt temporum: breuis, temporis vnius, Nota ſeu (vt Sergius) figura temporis longi eſt, I litera tranſuerſa, hoc modo, - vt *occīdit*, pro, *interfecit*. *Mecænas occīdit ſæpe rogando*. Breuis eſt ſignum ſub-diſtin-

diſtinctionis inuerſum, hoc modo ᵕ. vt *occi-dit*, pro *periјt*, *Occidit & Pelopis genitor.*

III. Locvs, eſt ſedes ſeu poſitus pedis, isq́ aut eſt

Par, vt, ſecundus, quartus, ſextus.

Impar, vt, primus, tertius, quintus.

IIII. Nvmervs, eſt multitudo ſyllabarum in ipſis pedibus. Pedes duorum ſunt generum.

1. Simplices, qui diuiduntur temporibus, qui ſunt ſyllabarum aut

1. Duarum, eorum ſunt quatuor,

| | | |
|---|---|---|
| Pyrrichius | ᵕᵕ | *Deus.* |
| Spondeus | -- | *verax.* |
| Iambus | ᵕ- | *dies.* |
| Trochæus | -ᵕ | *clara.* |

Trium, quorum ſunt octo.

| | | |
|---|---|---|
| Tribrachys | ᵕᵕᵕ | *Priamus.* |
| Moloſſus | --- | *Aeneas.* |
| Anapæſtus | ᵕᵕ- | *Dorylas.* |
| Dactylus | -ᵕᵕ | *Troilus.* |
| Amphibrachys | ᵕ-ᵕ | *Iülus.* |
| Amphimacrus | -ᵕ- | *Demephon.* |
| Baccheus | ᵕ-- | *Achates.* |
| Antibaccheus | --ᵕ | *Antenor.* |

2. Compoſiti, ſeu (vt Martianus) multiplices, qui reſoluuntur in ſuos ſimplices pedes, & ſunt ſyllabarum qua-

quatuor. Eorum numero ſunt ſedecim.

| | | | |
|---|---|---|---|
| | Proceleuſmaticus | ⏑⏑⏑⏑ | *memoria.* |
| | Diſpondeus | – – – – | *oratores.* |
| | Dijambus | ⏑ – ⏑ – | *propinquitas.* |
| | Ditrochæus | – ⏑ – ⏑ | *cantilena.* |
| | Antiſpaſtus | ⏑ – – ⏑ | *valetudo.* |
| | Choriambus | – ⏑⏑ – | *nobilitas.* |
| | Ionicus minor | ⏑⏑ – – | *redeuntes.* |
| | Ionicus maior | – – ⏑⏑ | *vicinia.* |
| Pæon | Primus | – ⏑⏑⏑ | *legitimus.* |
| | Secundus | ⏑ – ⏑⏑ | *colonia.* |
| | Tertius | ⏑⏑ – ⏑ | *moriturus.* |
| | Quartus | ⏑⏑⏑ – | *celeritas.* |
| Epitritus | Primus | ⏑ – – – | *ſacerdotes* |
| | Secundus | – ⏑ – – | *conditores* |
| | Tertius | – – ⏑ – | *viuacitas.* |
| | Quartus | – – – ⏑ | *libertinus.* |

Græcorum curioſitatem ſecuti alij, propter nomina quinq; ſyllabarum, recenſent pedes duos & triginta, vt Diomedes: propter nomina ſex ſyllabarum, pedes quatuor & ſexaginta, vt Cæſius Baſſus: quos hoc loco omnes omittimus, neq; Halicarnaſſeus, neq; Quintilianus alios nouerunt, quàm duarum & trium ſyllabarũ ſimplices. Quidquid enim ſupra tres ſyllabas, id ex plurib. eſt pedibus, qui pro diuidentis arbitrio iudicari

dicari & diſcerni poſſunt. Vt in hoc nomine *Ratiocinationibus*, comprehenſiones ſeu ſyzygiæ tales fieri poſſunt, *Ratioci*, pæon tertius ∪∪-∪ *Nationi*, ditrochæus -∪-∪, *bus*, ſyllaba abundans. Aut ita, *Ratio*, anapæſtus ∪∪-. *cinati*, amphibrachys ∪-∪. *onibus*, dactylus -∪∪. Aut ita, *Ratio*, anapæſtus, ∪∪-. *cina*, iambus ∪-. *tio*, iambus, ∪-. *nibus*, pyrrichius ∪∪, vt ſit integer iambicus dimeter, qualis ille apud Auſonium,

*Age vera proles Romuli.*

V. NOMEN, primùm vnde ſumptum ſit: deinde quotuplex ſit in ſingulis pedibus. Nomina pedum deducta ſunt vel à

1. Quantitate, vt à breuitate temporum, tribrachys: à ſpacio atq; mora, moloſſus.
2. Situ ſeu forma, vt amphimacrus & amphibrachys: nam medio extrema non reſpondent.
3. Similitudine, vt dactylus à longa incipit, & deſinit in breues: antidactylus à breuibus, & deſinit in longam: ambo igitur digitorum referunt in manu ſimilitudinem. Eadem cauſa dactylus trinodis apud Auſonium, à forma clauæ.
4. Auctore, baccheus & antibaccheus.

5. Loco,

5. Loco, vt cùm nomino Laconicum, Oenotrium, Theſſalicum.
6. Motu, vt ſpondeus lentipes Auſonio, trochæus curſor Rufino.
7. Compoſitione, diſpondeus, dijambus, ditrochæus.
8. Vſu, vt à ſaltationibus Pyrrhichius: à fœderibus ſpondeus : à choris choreus, ab alijs alij.

Habent prætęrea multi pedes varia nomina, quæ tantùm enumerabimus : eorum originem ſtudioſus per ſe inueſtiget, aut petat eorum partem maximam à viro doctiſsimo Micyllo.

Pyrrichius, δίβραχυς, περίαμβος, ἡγεμὼν, κινησίας.

Spondeus, Salius ſeu Pontificius, Herous, magniloquus, ſtabilis ſeu στάσιμος, Deliacus, Gradiuus, ab Ouidio Mæonius, à Sidonio gregarius.

Iambus, pugnax, gradarius, Daunius, ab Horatio pes citus, à Ruffino curſor, à Terentiano præpes, ab Auſonio volucripes, id eſt (vt Sidonius) celerrimus. A' Politiano vulnificus, propter Archilochum, qui eo vſus eſt in Lycamben. ab Ouidio trux & criminoſus.

Trochæus, χορεῖος, κόρδαξ Ariſtoteli, rotulus, rotatilis, Mercurius.

Tribra-

Tribrachys, Seſquipyrrhichius, χορεῖος, πυγμαίων, ἐπίγνωμος.

Moloſſus, Seſquiſpondeus, ἵππιος, κάρνειος, Dodonæus, Vertumnus.

Anapæſtus, ἀντιδάκτυλος, vel (vt Fabius vertit) dactylus retroactus: Laconicus.

Dactylus, Herous, πολιτικὸς, trinodis.

Amphibrachys, σκολιὸς, μεσίτης, ὑπορθετικὸς, Ianus.

Amphimacrus, χορεῖος, Cres vel Creticus, Feſcenninus, Archilocheus.

Baccheus, ὑποβακχεῖος, Oenotrius, Hipponacteus.

Antibaccheus, παλιμβακχεῖος, προσοδιακὸς, πομπευτικὸς, Latius, Saturnius, Theſſalicus.

Dijambus, βακχεῖος κατ' ἴαμβον.

Ditrochæus, διχορεῖος.

Choriambus, Bacchiacus, τῶν ληνοπόλων Auſonio, quaſi torcularius.

Ionicus, ἀπ' ἐλάττονος, ὑποκύκλιος.

Ionicus ἀπὸ μείζονος, Perſicus, Magicus.

Pæon tertius, διδυμαῖος, δρομαῖος, Delphicus.

Pæon quartus, ὑπορχηματικὸς, Cybeleius.

Epitritus ſecundus, Caricus.

Epitritus tertius, Rhodius.

Epitritus quartus, μονογενής.

Obſeruandum eſt pyrrhichium, tribra-

chym, & proceleuſmaticum dici omnes βραχυσυλλάβους. Trocheum & tribrachyn & amphimacrum, dici χορείους. De trochæo & tribrachy ratio eſt, quòd æqualium ſint temporum: de amphimacro nulla ratio artis, ſed vſus: de omnibus theatri aut templorum, quòd his fortaſſe pedibus vſi in choris fuerint.

VI. Resolutio eſt, cùm pro vna ſyllaba longa duæ ponuntur breues, hoc eſt, cùm pro pede legitimo ponitur æqualis temporibus, vt pro ſpondeo dactylus, pro dactylo proceleuſmaticus, pro iambo tribrachys.

VII. Proportio, conditio pedum & temporum, & in eorum reſolutione conuenientia. Hæc in genere duplex

I. Recepta, quam artis ſcriptores admittunt, eaq; rurſus eſt vel

1. Dactylica ſeu par & æqua, quæ habet tot tempora in arſi, quot habet in theſi: ad hanc pertinent proceleuſmaticus & ſpondeus, dactylus & anapæſtus, choriambus & antiſpaſtus.
2. Iambica ſeu duplex, cùm pars altera alteram duplo vincit: huc pertinent iambus & trochæus, tribrachys & moloſſus, ionicus minor & ionicus maior.

3. Pæo-

3. Pæonica ſeu ſexduplex, vel ſeſquialtera, quæ arſin continet ſemel, & partem eius alteram : huc pertinent amphibrachys & pæones.

II. Excepta, quam ſcriptores artis non admittunt, qualis eſt ſeſquitertia, in qua theſis continet arſim ſemel, & eius partem tertiam, vt in epitritis. Hæc ab arithmetico explicanda ſunt.

VIII. Pedum differentia, qua alter ab altero diuerſitatem habet aliquam, quæ cognoſcitur modis ſex,

I. Compositione, Omnes pedes aut ſunt,

1. Simplices, primæ ſcilicet originis, & ab alijs non formati, ijque natura tendunt vſque ad ſyllabas duas aut tres.
2. Duplices (qui vulgò dicuntur compoſiti, à Seruio geminati, à Diomede combinati) ij ſyllabarum ſunt quatuor, & vt ſuperiores, in vſu frequenti.
3. Multiplices, è ſpeciebus diuerſis iuncti, qui poſſunt eſſe ſyllabarum quinque aut ſex, & apud Græcos nomina habent: vel plurium etiam ſyllabarũ, ſed ij omnes rectius reſoluuntur in ſuos ſimplices, vt modò demonſtratum eſt de pedum numero.

II. Affectione, pedes appellantur aut

1. Cognati, qui è ſyllabis conſtant æqualibus, breuibus ſeu longis, vt pyrrhichius, ſpondeus.
2. Contrarij, qui è regione inter ſe pugnant, vt iambus & trochæus, baccheus & antibaccheus.

III. Dignitate, cùm ad vſum adhibentur pedes, aut ſunt

1. Grandes vel (vt Horatius & Fabius) ſtabiles, propter tarditatem & pondus, vt è diſſyllabis ſpondeus: è triſyllabis moloſſus, creticus, antibaccheus, baccheus.
2. Temperati & intermedij vel (vt idem Horatius) mobiles, propter æqualitatem, vt è diſſyllabis iambus & trochæus: è triſyllabis dactylus & anapæſtus.
3. Humiles ſeu tenues & muliebre quid, vt ait Halicarnaſſeus, habentes, videlicet, ob nimiam celeritatem, vt qui è breuibus conſtant ſyllabis, pyrrhichius, tribrachys, amphibrachys. Hi pedes ſi miſcentur longis, currunt: ſi continuantur, exiliunt.

IIII. Qualitate, pedes & ſunt & nominantur

1. Legi-

1. Legitimi, qui ſunt ſui, & generis cuiuſq; proprij ac peculiares, & maximè vſitati, vt in carmine dicto iambico, iambus.

2. Non legitimi, qui ad cæteros adhibentur: quos Terentianus modò aduenas, modò hoſpites, modò ſubditiuos, Micyllus ſcitè ſubſidiarios nominat: vt in iambico tribrachys, aut dactylus, aut ſpondeus: aut his magis alieni, quos Seruius degeneres & ignobiles, vt anapæſtus aut proceleuſmaticus: aut maximè alieni, quos Cicero abiectos, recentiores vocant impuros, vt creticus, quem è iambico nonnulli planè exterminant. Tales in Sapphico, in primo loco trochæus, in ſecundo choriambus, in tertio ſpondeus: cum rectiſsimè & propriè Horatius,

*Integer vitæ ſceleriſq; purus.*

Verùm de hoc exquiſitius dicitur in Senecæ Tragœdias.

V. PROPORTIONE, pedes aut ſunt

1. Pares temporibus, in quibus æqualia vtrinq; tempora, vt in ſpondeo & dactylo.

2. Impares temporibus, in quibus tem-

pora non ſunt æqualia, vt in iambo & trochæo.

VI. Positv, Pedes aut ſunt

1. Acres, qui è ſyllabis breuibus ad longas aſſurgunt, vt anapæſtus, ionicus minor.
2. Lenes, qui è longis in breues deſcendunt, vt dactylus, ionicus maior.

## II.

## GENVS.

Carmina, quod ad genus attinet, nomina accipiunt vel à pedibus

I. Simplicibvs, vnde Dactylicum, quo vtimur in heroum laudib. Iambicum, quo in Tragœdijs. Anapæſticum, quo plerunque in choris tragœdiarum. Trochaicum, quo in comœdijs.

II. Geminatis, vndè Antiſpaſticum, Choriambicum, Ionicum à minore, Ionicum à maiore, Pæonicum: quæ genera omnia apta ſunt (vt inquit Attilius) ſodalitijs verſificationibus, & tamen paucis in vſu.

Omne præterea carmen quod ad genus pertinet, aut eſt

I. Pv-

I. PVRVM, ſeu (vt Priſcianus) probabile, id eſt, probandum, quod vniuſmodi pedes locis omnibus accipit, & cùm pes, (vt Horatius canit) primus ad extremum ſimilis ſibi. Qualis ille apud eundem,

*Vt inquinauit are tempus aureum,*

è puris iambis.

II. MIXTVM SEV CONFVSVM, quod pedes diuerſos & diſsimiles, & (vt Iuba ait) multiformiter coniugatos admittit. Carmen autem quoduis, a pede proprio nomen retinet. Quamuis enim in verſu iambico aut trochaico, iambus trochaicusúe defuerit, vel vnus tantummodo fuerit: iambicum tamen & trochaicum appellabimus, quia is legitimus & quaſi domeſticus eius pes eſt. Turpilius in Lindia,

*Vt quiſq; minimo ſemper contentus fuit,*
*Ita fortunatam vitam duxit maximè.* Hîc in fine tantùm Iambi ſunt.

Terent. in Adelph.

*Hei mihi, quid faciam? quid agam? quid clamem aut querar?*

Plaut. in Merc.

*Dicens pro meritis gratum me ac munem fore.*

Hîc in ſedibus quatuor, numeri heroici ſunt in initio, & in fine demum iambus.

Poëta antiquus apud Ciceronem,

 *Miſeri*

*Miſeri ſunt, qui vxores ducunt: at tu duxiſti alteram.* In hoc trochaico quinque ſunt ſpondei, vnus tantùm trocheus. In iſto verò anapæſtico Senecæ in Agam.

*O` regnorum magnis fallax.*

planè nullus anapæſtus eſt. De omnium carminum generibus ſcripſerunt accuratè noſtra memoria, vir planè optimus Iacobus Micyllus, & præſtantiſsimus Cæſar Scaliger, ad quos adoleſcentes ſtudioſos reijcio.

## III.

## DIMENSIO.

In dimenſione Græci & Latini diſſentiunt: illi enim dimenſionem propriè accipiunt, & duos pedes pariter coniungunt, Latini verò impropriè, qui numerum obſeruant ſyllabarum, & è ſingulis pedibus dimenſionem faciunt: vndè in iambicis & trochaicis, qui à Græcis monometer, à Latinis binarius: qui ab illis dimeter, trimeter, tetrameter, pentameter: ab his quaternarius, ſenarius, octonarius, denarius dicitur.

In elegiacis contrà Græci cum Latinis conueniunt, nam Pentameter, à pedibus quinque, quinarius à Diomede dicitur. Hexameter, à pedibus ſex, ſenarius, vt in iambico

dici poteſt : nec aliter ab Aruntio & Cap.o dictus.

Latini ſcriptores, qui nomina à pedibus impoſuerunt, minus nominibus deſtituuntur, quàm Græci. nam dimetrum brachycatalectum, Latini ternarium, à tribus pedibus: trimetrum brachycatalectum, quinarium, à pedibus quinque: tetrametrum brachycatalectum, ſeptenarium, à ſeptem pedibus: pentametrum brachycatalectum, nouenarium, à nouem pedibus ſolent appellare. Helenius Acro Horatij interpres, & quodam in loco Priſcianus, ſeptenarios & nouenarios appellant, non à numero pedum, ſed ſyllabarum, contra aliorum conſuetudiunem. Idem Priſcianus inuſitatè vocat quaternarium, quem Græci tetrametrum, & eorum imitatione Attilius & Diomedes à metris quatuor, rectius quadratum, & ab octo pedibus octonarium, vulgares nominarunt. Varro præterea & Terentianus ſeptenarium dicunt iambicum trimetrum, cui pes triſyllabus ad finem adijcitur, qualis eſt baccheus vel amphibrachys. Talis eſt ille in Hecyra,

*Nam ſi remittent quippiam Philumenæ dolores,*

Itaq; quando propriè vel impropriè etiam veteres Grammatici locuti ſunt, obſeruandum eſt.

## IIII.

## TERMINATIO.

Terminatio annotatur aut in

I. Iambicis Trochaicisv'e, vndè verſus rēuera eſt, aut

1. Integer & perfectus, qui fine legitimo clauditur, & cui nihil ad extremum deëſt, nihil ſupereſt, vt
*Iunctaq́; Nymphis Gratiæ decentibus.*
2. Diminutus, ſeu (vt Attilius) curtus, qui habet abſciſsionem vel Vnius ſyllabæ tantùm, ſemimutilus, ſemicurtus. Horatius,
*Iunctaq́; Nymphis Gratiæ decentes.*
Integri pedis, mutilus. Idem,
*Vrget diem nox, & dies noctem.*
3. Superfluus & redundans, in cuius fine ſyllaba ſupereſt, vt,
*Vrget diem nox, & dies noctem ſoporam.*

II. Heroicis, vndè verſus Hypercatalectus vel Hypermeter (concatenatus à Victorino) qui habet ſyllabam ſuperuacaneam in fine, quæ coniungitur cum principio verſus inſequentis. Virg. 7.

*Se ſatis ambobus Teucriq́; venire Latinisq́;,*
*Hæc vbi dicta dedit.*

III. In

III. In sapphicis, qui ijſdem nominibus, quibus in Iambicis aut Heroicis, dici poteſt. Catullus,

*Qui illius culpa cecidit, velut prati*
*Vltimus flos.* in quo loco etiam ſyllaba extrema verſus prioris, cum ſequentis initio eſt concatenanda, & quaſi liquefacienda. Hoc an in alijs carminum generibus ſimiliter fiat, obſeruare nondum potui: in anapæſticis fieri nunquam certus ſum.

## V.

## SPECIES.

Secundum ſpeciem, verſus nomina ſortiuntur & accipiunt ab

I. Inventoribus, ſeu auctoribus, qui eos maximè frequentant: vt

| | |
|---|---|
| Alcaicus, | Alcmanius. |
| Anacreonteus, | Archilochius. |
| Ariſtophanicus, | Aſclepiadeus. |
| Bacchilideus, | Callimacheus. |
| Eupolideus, | Glyconius. |
| Hipponactius, | Phalecius. |
| Pherecrateus, | Pindaricus. |
| Phrynichius, | Sapphicus. |
| Simonideus, | Sotadeus. |
| Steſichoreus, | Timocreonteus. |

II. Per-

II. Personis, de quibus agitur, vt Heroicus, Priapæus, Panicus.

III. Loco, vt Deliacus & Carnius, qui Apollini Deliaco & Carnio (vt eſt apud Callimachum) decantabatur.

IIII. Tempore, vt Laconicus, qui olim vſurpatus in Laconia: Saturnius, qui in Latio, quo tempore vrbs Saturnia floruit.

V. Pedibus ipſis, vt Dactylicus, Spondaicus.

VI. Numero ſyllabarum, vt heptaſyllabus, hendecaſyllabus.

VII. Genere orationis, vt Epicus.

VIII. Instrumentis, vt Lyricus, à teſtudine vel lyra, quod nomen indicat: Scolius à genere citharæ, vt vult Diomedes: Ithiphalicus, à ſtipite erecto, vt ſcribit Attilius.

IX. Pede vitiato, vnde Scazon, εἰλιπόδης ab Auſonio.

X. Modulatione seu cantu, vt Melicus, Epodicus, Adonicus.

XI. Argumento ſeu materia, vt Elegiacus, Hymenaicus, Epitaphius, Epithalamicus.

Dicitur

Dicitur etiam verſus dimidius hemiſtichium, ſeu comma, Vt

*Audentes fortuna iuuat.* Item Diſtichon, duo verſus coniuncti,& deinceps porrò Tetraſtichon, Hexaſtichon, Decaſtichon, quatuor, ſex, decem verſuū epigrammata.

## VI.

## SCANSIO.

Propter ſcanſionem verſus heroicus habetur aut

I. CONIVNCTVS, qui ita continuatur, vt ſenſu nuſquam finito verba diuiſa ponantur, vt,

*Infandum regina iubes renouare dolorem.*

II. DIVISVS, cùm primi tres pedes concatenati, & à ſequentibus tribus, quaſi auulſi & diſlociati ſunt, vt,

*Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.*

III. MIXTVS, qui in quibuſdam coniunctus, & in quibuſdam diuiſus ſeu ſeparatus eſt, vt,

*Hic currus fuit, hoc regnum dea gentibus eſſe.*

IIII. DISTINCTVS, qui & illaudatus, propterea quòd partes orationis in locis ſingulis ſeparatas habet: cuius vnicum apud Virgilium exemplum eſt, 4. Georg.

Duc

*Duc age, duc ad nos, fas illi limina diuûm*
*Tangere.*

Apud Horatium in epicis plura inueniuntur.

SCANSIO autem fieri ſolet, vel per

I. PEDES SINGVLOS, id fit impropriè, in heroicis præcipuè & pentametris, cùm ſinguli pedes ſingulas habent regiones & dimenſiones.

II. PEDES CONIVNCTOS, vt ſuprà dictum eſt, id fit naturaliter & verè in iambicis, trochaicis, anapæſticis, cùm duæ regiones conueniunt in vnam, & pedes bini pro vna dimenſione ponuntur.

## VII.

## PARTES.

In partibus conſideratur

I. COLON (quod Ruffinus vertit clauſulam) eſt pars verſus, quæ pedes liberos, & impletos dictionibus integris habet, pedeſque cum metro abſoluit. Colon fit vel poſt pedes (vt de Heroico afferamus exempla.)

1. Duos, vt, *Aeneas ait.* eſtq́ dimeter acatalectus hymenaicus.
2. Tres, vt, *Eſt mihi namq́ domi pater.* trimeter acatalectus Simonideus.

3. Qua-

3. Quatuor, vt, *Crateraſq́ duos ſtatuam tibi.* eſtq́ tetrameter acatalectus Alcmanius.

II. COMMA, eſt pars verſus, quæ pedibus integris non abſoluitur, nimirum vt integra maneat ſententia: pedes enim cum metro non terminat, ſed partem orationis ſemper terminat. Hæc pars interdum ſumitur de verſus ipſius

1. Initio, vt *Stat ſua cuiq́ dies.* Dactylicus dimeter hypercatalectus Archilocheus.
2. Medio, vt, *Res ſi qua diu mortalibus.* Anapæſticus trimeter hypercatalectus Simonideus.
3. Extremo, vt, *Nimium ne crede dolori.* Anapæſticus trimeter catalectus Alcmanius.

In iambicis & trochaicis hæc partium auulſio magis vſitata, in quibus etiam ſingula cola & commata diſcernuntur ſuis nominibus, vt ſupra de dimenſione dictum eſt.

## VIII.

## CAESVRA.

Cæſura omnis aut eſt

I. VSITATA, & (vt vult Priſcianus) neceſſaria, eaq́ vel

1. Semi-

1. Semiquinaria, πενθημιμερὴς, cùm poſt duos pedes primos & ſimplices relinquitur ſemipes. vt, *Hanc tua Penelope.*

2. Semiſeptenaria, ἑφθημιμερὴς, cùm poſt tres pedes primos & ſimplices relinquitur ſemipes, vt, *Hanc tua Penelope, lento.*

II. MINVS VSITATA, eadem quoque duplex,

1. Semiternaria, cùm poſt vnum pedem ſyllaba ſupereſt, vt,

*Labitur, & labetur in omne volubilis æuum.*

2. Seminouenaria, cùm poſt quatuor pedes ſyllaba ſupereſt, vt,

*Euolat infelix & fœmineo vlulato.*

III. PLANE NON VSITATA, quæ apud Latinos Grammaticos caret nominibus, Græci enim ſine nominibus nihil reliquèrunt. Ea itidem eſt duplex,

1. μονημιμερὴς, cùm verſus à vocali incipit, quæ partem orationis includat, & cùm dictio inſequens à vocali inchoat, ita tamen ne fiat colliſio.

Tibul.

*O' ego ne poſſem tales ſentire dolores.*

O particula optantis pedem incipit, & veluti cæſura dictionem finit.

2. ἐνδε-

2. ἑνδεχημιμερὴς, cùm poſt quinque pedes remanet ſyllaba, quæ dictionem antecedentem claudit, & alia dictio pedem nouum terminat. Horat.

*Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.*

Quòd ſi rectè conſideras, & cæſuræ definitionem inquiris, hoc cæſura dici ratione non poteſt.

Cæſura in vno eodemq; verſu aut eſt,

1. Vnica & ſimplex, cum plures non inueniuntur. Horatius,

*Arcanum neq; tu ſcrutaberis vllius vnquam.*

Aut plures cæſuræ concurrunt: eaq; eſt interdum

1. Geminata, ſeu (vt Diomedes) compoſita, cùm inueniuntur duæ. Claudianus, *Scilicet in vulgus manant exempla potentum.*
2. Triplicata, ſeu (vt idem) coniuncta, cùm tres coniunguntur. Tibullus, *Semper vt inducar blandos offers mihi vultus.*
3. Multiplex, cùm vſitatæ, cum minus vſitatis vno in loco poſſunt exhiberi. Virgil. *Ille latus niueum molli fultus hyacintho.*

Ad has cæſuras adiungunt Diomedes,

 Teren-

Terentianus, Seruius, Priſcianus, artis primarij ſcriptores.

I. BVCOLICAM, cùm poſt quatuor pedes finitur pars orationis in colo. Vt,

*Hanc tua Penelope lento tibi.*

II. TETRARCHIAM, non quòd in verſu hexametro eſſe trochæus debeat: ſed quòd ſubtracta de dactylo ſyllaba, trochæus ibi remaneat. Hæc quadrifariam diuiditur

1. Prima, cùm poſt vnum pedem perfectum relinquitur trochæus, Vt, *Hæc vbi dicta.* A' Grammaticis hæc cæſura annotata non eſt.
2. Altera, quæ tertia trochaica à Diomede, cùm poſt duos pedes remanet trochæus. Vt, *O' paſſi grauiora.*
3. Tertia, quam quartam trochaicam Priſcianus, cum poſt tres pedes reſtat trochæus. Vt, *Et crines flauos, & membra.*
4. Vltima, cùm poſt quatuor pedes ſupereſt trochæus. Vt, *Omnis per muros legio ſortita.* Hæc quoque non annotatur à Grammaticis: nam cum aliqui quartam trochaicam reijciant, has minus neceſſe fuerit admittere, ſi modò admittenda eſt harum vlla,

quæ

quæ potius diligentiæ ſunt, quàm neceſsitatis: magisq́ quid fieri poſſit, quàm quid debeat, ſignificant.

In omni carmine cæſuram inueniri neceſſe eſt, vt peritè ſcribit Priſcianus: vndè inſuauis verſus eſt, quia ſine cæſura eſt, iſte Virgilianus,

*Addam cærea pruna, & honos erit huic quoque pomo.*

Eiuſmodi quinque tantùm in Ouidij operibus leguntur. Anapæſtici puri nullam habent cæſuram, nam quod in metris cæteris vicioſum eſt, id in anapæſticis bonum, & alijs contrarium, vt inquit Attilius, & confirmat Diomedes.

## IX.

## COMPOSITIO.

Propter compoſitionem omne carmen aut eſt,

I. VNIFORME SEV VNIMEMBRE, cùm verſus generis vnius continuantur vſq; ad finem, vt,

*Mecœnas atauis edite regibus,*
*O' & præſidium, & dulce decus meum.*

II. MVLTIFORME, vndè appellatur

1. Dicolon, cùm iunguntur verſus generum duorum. Vt,

*Sic te diua potens Cypri,*
*Sic fratres Helenæ, lucida ſidera.*

2. Tricolon, cùm trium generum, vt

*Præſens vel imo tollere de gradu*
*Mortale corpus, vel ſuperbos*
*Vertere funeribus triumphos.*

3. Tetracolon, cùm quatuor generum verſus iunguntur, cuius apud Latinos veteres exemplum nondum inueni.

Hæc autem coniunctio, aut eſt

I. Legitima, quæ fit lege & ratione certa, vt apud Lyricos verſibus tribus ſapphicis coniungitur adonius: apud Tragicos in choris anapæſticis interdum adiungitur ſapphicus: apud Elegiacos hexametro ſubnectitur pentameter: apud Melicos iambicus ſenarius adiungitur quaternario, quæ quidem omnia vſitata ſunt, & exemplo à nobis fieri poſſunt.

II. Confvsa, quæ legem & modum non habet, vt apud Comicos: quorum ſermones cùm ſint ſimiliores populo, & vulgi ſermone cotidiano ferè vtantur, aut ab eo certè non multum recedant, & pro perſonarum ac temporis loquantur ratione & reſpe-

reſpectu: ideo interdum miſcent iambicis trochaicos, octonarijs ſenarios & binarios, catalectis acatalectos, quæ confuſio cauſa obſcuritatis eſt, & interpretibus aut correctoribus negotium faceſsit.

## X.

## HABITVS.

Propter habitum ſeu numerum partium, quas ſtrophas nominamus, carmen dicitur

1. Monoſtrophon, hoc eſt, vniuſmodi, quod replicationem non habet.
2. Diſtrophon, quod poſt duos verſus rurſus incipit.
3. Triſtrophon, quod poſt tres verſus.
4. Tetraſtrophon, vltra quem numerum non excedit Horatius.
5. Pentaſtrophon, quousque progreſſus eſt Claudianus: & inter poëtas ſacros Prudentius in Romano & in Eulalia.

Propter ſtrophas ipſas carmina ſunt
Aut vnius generis, Horatius,

*O' diua gratum quæ regis Antium,*
*Præſens vel imo tollere de gradu.*

Diuerſorum generum. Claudianus.

*Habet hinc patrem maritus,*
*Habet hinc puella matrem,*

*Geminaq́ parte ductum*
*Cæſareum flamineo*
*Stemma recurrit ortu.* Hoc quinq; ſtropharum eſt, priores tres generis eiuſdem, poſteriores duæ generum diuerſorum.

## XI.

## QVALITAS.

Qualitate carmen reputatur aut

I. PRINCIPALE SEV ORIGINALE, quod eſt ſimplex, & primæ poſitionis ſeu originis, qualia ſunt, vt ſuprà de genere dictum eſt, Iambicum, Trochaicum, Dactylicum, Anapæſticum, Antiſpaſticum, Choriambicum, Ionicum, Pæonicum.

II. DERIVATVM, quod ex illis primarijs aut oritur, aut ijs quaſi agglutinatur. Deriuata fiunt modis quatuor, vt ab Attilio annotatum eſt,

1. Adiectione, è iambico ſenario acatalecto addita ſyllaba, fit ſeptenarius catalectus. vt, *Dabunt malum Metelli Nauio poëtæ.*
2. Detractione, è ſenario fit quinarius hypercatalectus, abiecta ſyllaba. vt, *Vulcanus ardens vrit officinas.*
3. Concinnatione, cùm alternantur variantur-

rianturq́ modi, hoc eſt, cùm cola vel generis eiuſdem, vel generum diuerſorum, inter ſe iunguntur. Horatius, *Vitæ ſumma breuis ſpem nos vetat inchoare longam.* Hic verſus eſt dactylicus heptameter, cuius primum colon, *Vitæ ſumma breuis ſpem nos vetat*, eſt bucolicum. Alterum colon, *Incohare longam*, eſt Ithyphalicum. Prudentius, *Dexter in parentis arce qui cluis virtutibus.* Hic verſus eſt trochaicus octonarius catalectus, cuius pars prima, *Dexter in parentis arce*, carmen eſt dimetrum catalectum Alcmanium. pars altera, *Qui cluis virtutibus*, eſt dimetrum catalectum, quod eſt dimetrum catalectum, quod & Colophonium dicitur, à Seruio Euripideum.

4. Permutatione.

Horatius,

*Scribere verſiculos amore percullſum graui.*

Inuerte commata, & erit genus aliud carminis. Idem, *Deformis ægrimonia dulcibus alloquijs.*

## VSVS.

Vſus aut habet

I. ARBITRIVM, quo quis ſui inge-

nij libertate vtitur: hoc minus exercitatis planè non eſt faciendum.

II. IMITATIONEM, veterum videlicet exemplum, quod ſibi quis effingendum & repræſentandum certò proponit, & in eo cum induſtria & ſtudio elaborat, & artem prudentiamq; adhibet.

Vt autem intelligatur, quæ mea ſit in hac re ſententia, eam duorum Grammaticorum doctiſsimorum verbis exponam.

ATTILII, qui in primi libri carminum, odam octauam, ita ſcribit, *Lydia dic, per omnes Te deos oro, Sybarim cur properas amando.* Hoc metrum (inquit) & ipſe Horatius ignorando quale eſſet, laborioſa obſeruatione, ſemel omnino facere conatus eſt, & in eo tamen parum decenter errauit: nam fecit illud aſperius, vno immutato pede. Quòd ſi ſciſſet choriambicum eſſe, & habere clauſulas certas, non in illam ſalebram incidiſſet. nam primum comma ex choriambo & baccheo compoſitum eſt, *Lydia dic per omnes.* Secundum colon, quod eſt longius, tres habet choriambos, & vnum baccheum, clauſulæ ſcilicet gratia, quod metrum Alcæus ſic ordinauit, homo in Muſicis exercitatiſsimus. At Horatius primum chori-

choriambum duriſsimum fecit, pro iambo ſpondeum (pro choriambo epitritum ſecundum) infarciendo, Sic: *Te deos oro Sybarim:* nam ſi ſecutus eſſet Alcæum, ſic ordinaſſet, *Hoc dea verè Sybarim.* Error tamen illius habet excuſationem, quòd in ea perſeuerauerit lege, quam ipſe ſibi aliquo caſu fecerat, vſque ad vltimam partem non mutandam.

DONATIANI, qui in eandem odam hoc modo, Hoc totum choriambicum eſt metrum, primum colon dimetrum catalectum eſt, ſed ne integrum choriambicum eſſe videatur, facit vltimus baccheus: nam ſimiliter in ſecundo colo affectauit baccheum in vltimo loco habere. In hoc etiam receſsit ab Alcæo, quòd primum choriambicum durum fecit, ſecundo colo, pro iambo ſpondeum ponendo. Nam ſi ſecutus fuiſſet Alcæum (quem aliâs ſecutus accuratè eſt) ſic ordinaſſet, *Hoc dea verè Sybarim cur properas amando.* Sed affectaſſe potius hoc, quàm erraſſe Horatium appâret, quòd in eâdem lege vſq; ad finem eclogæ perſeuerauerit. Ergo erit & ſecundum colon tetrametrum catalectum. Idem paulò pòſt, *Non ebur, neq; aureum.* Metrum, inquit, nouum eſt. Philoxenus ait hoc heptaſyllabum iambicum vocari, & eſſe dimetrum catalectum

ctum Euripideum. Hoc ſemel omnino vſus eſt Horatius, frequenter Alcæus. Ab iambico autem natum eſt, nam ſi reddas huic partem ſuam, integrum trimetrum facies ſic. *Beatus ille non ebur neq; aureum.*

Hæc ille.

